1526

VALENTINI ERYTHRAEI, DE RAtione legendi, explicandi, & scribendi Epistolas. Libri tres.

AD ILLVSTRISSIMVM Principem, ac Dominum, D: IVLIVM, Ducem Brunsuuicensem, & Lunæburgensem, &c.

Cum Pręfatione Ioan. Sturmij.



Gratia & Priuilegio Cęsareo ad annos decem.

ARGENTORATI,
Excudebat Bernhardus Iobinus. Anno
MDLXXVI.

EPIGRAMMA ABRAHAMI Hertelij Sprottauiensis, Silesij: in Erythręi libros Episto-licos.

Qui cupis ingenuas fœliciter ire per artes,
Flexanimi grandem uim Ciceronis ama.
Dùm licet, à teneris Marci tere scripta legendo:
Illius artifices lectio docta facit.
Volue, reuolue eadem: nec eum uidisse putabis,
Culta suum hinc formet ni tua uena stilum:
Nec prius Aonidum sacram penetrabis in arcem,
Nec uia, qua Marci scripta sequaris, erit:
Quàm te perspicua quis duxerit arte Magister,
Cuius sit pietas, sit tibi nota fides.
Hoc facit eloquio præstans ERYTHRAEVS, *& arte,*
Cuius in ingenio docta Minerua sedet.
Hic tibi scribenti succurrit, & elicit artes,
Quæ doceant aptis iungere uerba modis.
Ergo uiro claro debetur gratia, Musas
Qui fouet, illius scripta diserta lege.
In se multa tenet breuitas laudata loquentis,
Cuiq; suum uoci pondus inesse uides.
Viuet ERYTHRAEVS, *uiuent monumenta laborum*
Nobilium, genius non sinet illa mori.

ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO, D. IVLIO, Duci Brunſvvicenſi, & Lunæburgenſi, &c. Domino ſuo Clementiſſimo, Valentinus Erythræus

S. P. D.



DE componendis Epiſtolis, doctiſſimi quique homines, Patrum noſtrorum, & noſtra memoria, diligenter ſanè, atque eruditè ſcripſerunt, Illuſtriſſime, clementiſſimeque Princeps, ac DVX IVLI: non ſolum, vt Methodum, ac viam aliquam monſtrarent Latinè, purè, atque eleganter loquendi, & ſcribendi: verùm etiam vt dicendi rationis oſtenderent multiplicem vſum, omnibus ſtudioſis adoleſcentibus & literatis viris pernecesſarium. Etſi enim Rhetores Græci & Latini ſuam doctrinam præcipuè ad eum finem accommodârunt: qui eſt τοῦ λόγȣ πολιτικοῦ, orationis ciuilis: tamen præter hoc præclariſſimum ab Oratoribus ingenio, arte, & indu-

ſtria elaboratum opus, alia non minus neceſſaria, his pręſertim temporibus, oratorum, Rhetorumq́; ſunt opera, quę προασκητικά, Gręcorum aliqui nuncupauerunt. Nam & ἐπιστολική, & προγυμνασματική, & λαλητική τέχνη, λογικὴν, actionesq́; ciuiles præcurrunt, & cũ his coniunctæ ſunt, eaſdemq́; comitantur. Etenim dicendo magiſtrorũ eſt: nõ modo literarum omnium genera, horumq́; formas, earumq́; & partes, & tractationem, & compoſitionem, & orationis peculiarem quaſi ἰδέαν, cognitam habere: epiſtolam ſcitè, & eleganter texere: verum etiam reliqua primordia dicendi: de quibus Theon, Aphthonius, Hermogenes, & poſt hos Rhetores acutiſſimos, alij apud Latinos, noſtro ſęculo præceperunt, in ſuis Scholis cõſtanter retinere, & diu, multumq́; ſtudioſos in his exercere. Quid de ratione declamandi, hoc in loco, dicam? quæ, ut horum duorum generum comes eſt: ſic orationis ciuilis, cuius in locum ſucceſſiſſe videtur, eſt veluti pręcurſor. Sed declamatio etiam in re ficta inſtitui poteſt: oratio autem cauſæ eſt ſeriæ: tametſi nũc declamationes de rebus etiã grauibus, & ſerijs habeantur. Itaq;, ſi conſide-

ſideremus doctrinæ dicendi prȩcipua opera: vt ſunt epiſtola, progymnaſma, declamatio, quæ προασκητικὰ vocantur, & λόγον, orationem, quæ ſummum & perfectiſſimum oratoris, & eloquentiæ opus eſt: apparebit vnius doctrinæ tres prȩcurrentes partes eſſe: quarum vnaquęq; per ſe ars quædam eſt peculiaris. Nam tametſi ex prȩcipuis Rhetoricis, quæ ad orationē ciuilem componendam tradita ſunt, magna pars ad conſcribendas epiſtolas, declamationes, & reliqua προγυμνάσματα traducantur: tamen obſervatio oſtendit, eſſe quędam horum omnium propria, quæ ad Oratorum dictionem non pertinent. Habent enim epiſtolæ ſuas quaſdam, eaſque multas formas: de quibus in arte dicendi nihil traditur: habent ſuas definitiones, ſuas cōprehenſiones, vſu, & exercitatione confirmatas, eadem eſt declamationum ratio: quarum à Menandro genera multa, eaq; diverſa ſunt explicata: Sopater iudiciales perſequitur, & explicat: per omnium controverſiarum conſtitutiones. Eſt igitur ars quędam, ut τῶν ἐπιστολῶν, ſic τῶν λαλιῶν. Sed epiſtolarum apud Grȩcos & Latinos extant plurima, ſele-

ctiſſimaque exempla. Declamationes Quintiliani forenſes, in omnium ſunt manibus: ad quas Saluſtij orationes, & declamationes, & hiſtoricorum δημηγορίας, ſeu conciones referimus. Declamatorias autem ὑποθέσεις, ſeu argumenta nobis Seneca multa, & vtilia ſuppeditat ad ſtili exercitationem: ut ſuccinctam illius breuitatē copiosè, variè, ornatè, explicemus. Huius generis quoq; ſunt Lybani, ut credibile eſt, & alterius Anonymi Greci breuia hypodigmata: quæ in his libris placuit ſtudioſis proponere: ut in utraq; lingua, ea dilatarent: ex infinitis attributionibus perſonarum, & rerum certa redderent, ac definita. Magna igitur gratia, & laus debetur ijs ſcriptoribus artis dicendi: qui hanc nobis generatim, & particulatim Grecè, & Latinè poſt ſe, monumentis literarum traditam, reliquerunt. Eraſmo Roterodamo, & alijs, quantum debeamus: hi tres ex ſcholis noſtris confecti, non commentarij, ſed libri abundè teſtantur. Non enim ſcripti ſunt, ſed dictati: non elaborati, ſed quaſi ex tempore, inter docendum nati, Veruntamen ad illos ſcriptores legendos nonnullum afferent adiumentū. Quamobrem

obrem credo ego plęrosq́; admiraturos: quid ſit, quòd cùm extent clariſſimorum, literatiſſimorumq́; virorum eruditiſſima ſcripta de ratione texendarum, conficiendarumq́; epiſtolarum: ego, qui cùm illis neq́; ingenio, neq́; doctrina, neque vſu, & exercitatione poſſum comparari, de eadē re, hos meos patiar divulgari. Mirari autē iſti deſinent: vbi mei conſilij, factiq́; cauſas, rationesq́; cognouerint. Ante annos quatuor, de voluntate, atq́; conſenſu quorundam collegarum, explicatis Rhetoricis ad C. Herēnium, & aliquot orationib9 Ciceronis, conſtitueram doctrinæ dicendi pręceptiones ad vſum ſcribendi tranſferre. Nam comprehenſiones artium oportet exercitatiōe eſſe cōfirmatas: ideoque in definitione artis ἐγκαταλήψεις dicuntur ἐγγεγυμνασμέναι: ſed oportet eaſdem vitæ hominum pręclaras apportare commoditates: vt ad τέλος εὔχρηστον ἐν τῷ βίῳ, ſeu ad finem rebus humanis vtilem dirigantur. Quid autem conducibilius eſt ſtyli exercitatione? qui dicendi optimus, & perfectiſſimus opifex eſt, atq; magiſter. Cùmq́; ſcribendi latinè, planè, ornatè & aptè initium ab epiſtolis ſumendum eſſe videa-

tur: eamque ob cauſam proponuntur in Scholis, libri Ciceronis, quos familiares ſibi adoleſcentes ſtudioſi eloquentiæ, reddere debent: operęprecium fore putaui: ſi aliquam huius rei oſtenderem ex Græcis, Latinisq́; ſcriptoribus viam atque rationem. Itaq; inueſtigaui quæ potui: meisq́; auditoribus genera, & formas literarum tradidi, definiui, exemplis Græcorum, & M. Tullij illuſtraui: partes etiam, & tractationem præcipuorum generum demonſtraui: adiutus non ſolum artis dicendi præceptis, verum etiam obſeruationibus partim meis, partim Eraſmi Roterodami: cuius viri clariſsimi opus de conſcribendis epiſtolis, meritò docti omnes admirantur.

Atq; hæ fuerunt, Illuſtriſſime Princeps, LXX anni meæ ſcholæ, quas vulgo prælectiones appellare conſueuerunt: quas cum & alij videre cuperent: & typographo autores eſſent, vt ex ſua officina foras daret: recognoui, & quantum per alias grauiores occupationes licuit, correctas alicubi (præſertim libro primo) locupletaui, idq́; exemplis. Sed de alijs obſeruationibus non modo in libris paradigmati-

cis, verum etiam in διαταγῇ omnium epi- ſtolarum Ciceronis plenius, Chriſto Do- mino, & θεανθρώπῳ iuvante, agemus. Quas ad res nonnihil adiumenii afferet, ut ſpe- ramus, hęc ἐπιστολικὴ μέθοδος: quam idcirco inſcripſimus rationem legendi, explican- di, & ſcribendi epiſtolas: quòd non ſolum ad conficiendas cuiuſq; generis, propter imitationem, profutura eſſe videatur: ſed etiam ijs ſit neceſſaria: qui vel ipſi domi, in ſua Bibliotheca, bonorum autorum epi- ſtolas legunt: vel qui in ſcholis, gymnaſijs & Academijs eas interpretantur. Hęc enim noſtra, qualiacunq; ſint: oſtendunt, quid ſit in ſingulis literarum generibus, pręcipuè obſervandum, annotandum, indicandum, & ad imitandum pręcipuè proponendum. Neq; enim ſatis eſt (ut quidam perperam ſentiunt) deprauatos quoſdam locos caſtigare: verba quędam, aut hiſtorias, aut chronologias indicare, (quod Grammaticorum eſt) ſed requiri- tur etiam artis animadverſio, & annota- tio, pręſertim Rhetoricæ: cuius ope non modo ſcribentis mentem, conſiliumq; re ctius aſſequimur: ſed etiã ſeriem, atq; or- dinem ſententiarum melius intelligimꝰ,

Quid dicam de verborum copia, locutionum formulis, de cōpoſitione, de ornatu, de vniuerſo ſtilo, charactereq́; dicendi peculiari, & proprio literarum? Quàm verò vtilè eſt, Plinij & Ciceronis, M. Catonis, & aliorum epiſtolas inter ſe, his omnibus rebus conſideratis, ponderatisq́;, comparare? illorum telam quaſi retexere, addendo, vel detrahendo, vel traijciendo, immutare? Quid pulchrius, quid etiam iucundius: quàm habere omnium generum tanquam perpetuam ἰδέαν, & ſpeciem ante oculos, & animum conſtitutam, quam in ſcribendo imitemur. Quare placuit his libris πρόγραμμα facere, non ſolum de ſcribendi, ſed etiam legendi, & interpretandi epiſtolas via, atque ratione. Quanquam hęc Gręcorum partitio non tātum eſt in hac doctrina ἐπισταλτικῇ: verùm etiam in alijs ſcriptis explanandis fructuoſa. Quid enim? An non doctiſſimos homines videmus, in Terentij ſcenis, Virgilij Eclogis, & orationibus librorum Aeneidos, hiſtoricorū concionibus nominandis, & diſponendis eam acommodaſſe? Nam vt ſcena, vt ecloga, vt oratio, vt concio, ſic harum partium alia eſt συστατική, alia

μεμπτική, alia ὀνειδιστική, alia παραμυθητική, alia ἐπιτιμητική, alia νουθετική. Pſalmi etiam regij Prophetæ, alij ſunt διδασκαλικοὶ, alij ἀξιωμα-τικοὶ, alij νουθετικοὶ, alij ἀπειλητικοὶ, alij παραμυθη-τικοὶ, alij προῤῥητικοὶ, & ſi quid eſt generis e-iuſdem. Scitè igitur faciunt quidam Theo logi: qui in volumine Pſalmorum, & in epiſtolis Pauli, & aliorum, imò Chriſti ἐπι-στάτου ἀληθεστάτου orationibus explicandis, ob-ſeruant, & annotant partes διδασκαλικάς, διαλεκτικάς, ἐλεγκτικάς, παραινετικάς, παραθαῤῥυντι-κάς, παραμυθητικάς, & ſimiles formas, atque partes. Gręcorum igitur hęc breuis, ſed acuta diſtinctio, nō ad epiſtolas ſolum di-ſponendas applicari poteſt: ſed etiam ad omnium autorū ſcripta explicanda adhi-beri. Certè nihil ferè eſt ſententiarū, vel co gitatarum, vel pronunciatarū, vel literis mandatarū, nulla periodus, ſentētięúe cō prehenſio: quæ nō in aliquā horum gene-rum formam queat includi. Quæ cùm ita ſint, ſtudioſorū eſt, hos τύπους ἐπιστολικοὺς me-moriæ mandare: propter varias, atq; mul-tiplices, quas paucis hîc perſtrinximus, v-tilitates. Quàm ego ex hac doctrina, & obſeruatione diuturna vberes fructus per ceperim: nō attinet nunc cōmemorare.

Sed

Sed nõ minores afferent vtilitates ea, quæ apud Menandrum, & apud Sopatrum, & Dionysium Halicarnassensem, genera declamationum numerantur, & explicãtur: quorum doctrinam, ut pulcherrimam ita studiosis pernecessariam, speramus toga Romana indutam, & Latino sermone explicatã brevi nos accepturos, à clarissimo viro & disertiss. homine, Rectore Academiæ nostræ, Ioanne Sturmio: qui vtinã in hoc argumento tractando, quod ego παχυμεστέρως delibaui, vires sui ingenij, & facultatis experiri voluisset. Interim meam operã studiosi boni consulant: & maius opus, videlicet declamatoriũ à Sturmio nostro expectent: quod omnes literarũ cupidi maximopere desiderãt. Hos aũt libros, ex meis scholis hac ęstate confectos, sub tuo, Illustrissime Princeps, ac DVX IVLI nomine apparere, & ad T. C. mittere volui. Primum vt aduersus iniquos iudices, patronum haberent talẽ: qualẽ nostrũ seculũ requirit. Deindè, vt animi mei grati erga eum Ducẽ extaret publicũ monumẽtũ: qui Ecclesiarũ, & Scholarũ pręcipuus, hoc in tẽpore est τιθηνὸς καὶ τροφὸς, nutritius, atq; educator. Tum, ut nobile illud pęda-

gogi-

gogium Gandershaimēſe, quòd piè, ac ſapienter abs T. I. C. nuper conſtitutū eſt, & quotidie liberaliter āplificatur, agnoſcat noſtram, ſeu veterem potius, Græcorū, & Latinorum docendi, & epiſtolas explicandi rationem. Et quanquam munuſculum hoc indignum eſt tanto principe: tamen ſpero, qua pietate, ſapiētia, doctrina, clementia, & humanitate es pręditus. T. I. C. opuſculum illud, & me, meoſq́; in ſuā clientelam, recepturā, cui vt omnia, ꝓ ſingulari erga me, hoc eſt, clementiſſima, & munificentiſſima volūtate, debeo: ſic me, meoſq́; tuæ Illuſtriſſimæ bonitati cōmendo: meq́;, meaq́; ſtudia, officia, operas, & labores. T. C. offero, & mācipo. Aeternus Deus, & pater Domini & Emanuelis noſtri Ieſu Chriſti, T. I. C. Illuſtriſſimā coniugem, illuſtriſſ. liberos, & inter hos ſummæ ſpei Illuſtriſſimū Principem, & Dominū, D. HENRICVM IVLIVM, adminiſtratorē Halberſtatenſem, totā Brunſvvicenſium domum, & Eccleſias, & Scholas tuarum ꝓvinciarum, clemēter defendat, tueatur, & gubernet. Datæ Argentorati, xxv. ſextilis, Anno Chriſti

M. D. LXXIII.

IOANNES STVRMIUS VVOLFIO BARONI A' Schonburg, Domino in Glauchau, & VValdenburg: &c.

S. P. D.



VALENTINVM ERYTHRAEVM *audio rationem epistolarum conficiendarum, quam ante annos tres docendo absoluit, in hoc tempore diuulgare. Per ocupationes mihi ocium non fuit, perlegere id opus. Ex eo autem, quod legi: & ipsius doctrinam non ignorans: & exercitationem eius iam annos multos obseruans: non dubium mihi est, quin aliquid dignum hoc usu, atque hac ætate eius, sit assecutus. Itaque suadeo, ut legas, VVolfi Baro. Si autem quæras: quo in genere ponam huiusmodi rationem: dicam quod sentio:*

Qui artes tradiderunt, eorum tria sunt genera: De eruditis loquor, atq; literatis: de alijs neq; cogito quicquam: neq; iudicandum mihi statuo.

Literatorum uerò, qui nobis doctrinas exposuerunt, unum genus eorum est: qui necessaria solum ad artem cogno-

cognoscendam præcepta dederunt, ut Cicero in libris de Inuentione: ut Hermogenes, in doctrina de statibus, de inuentione, de formis dicendi, qui præter definitiones, atq; diuisiones, earumq; exempla, nihil reliquum complexi sunt. In quo genere etiam comprehendo partitiones oratorias Ciceronis, quæ memoriæ causa sunt conscriptæ: & Topica eiusdem, ad Trebatium. Atq; huiusmodi scriptores sunt tanquam Magistri discipulorum.

Alterum uerò genus eorum est: qui aut amicis scribunt, de his artibus: doctis tamen uiris, aut cum familiaribus, de ijsdem rebus disputant, qui eruditius aliquid, atq; perfectius efficiunt. Libri enim Ciceronis ad Qu. Fratrem, de Oratore, & liber eiusdem ad M. Brutum de Oratore perfecto, quasi extra scholas, atq; officinas Rhetorum scripti sunt: ocio literatorū hominum, ad delectandum, & iudicandum comparati. Et Platonis Dialogi plæriq; omnes, qui huius materiæ sunt, nisi doctas, atq; peritas aures, atq; oculos habent: neque utilitatem afferunt: neq; pariunt uoluptatem. Plato enim, nisi doctis, atq; Dialecticis, placere non potest.

Est præter hæc duo, aliquod tertium: quod utrumque sequitur, quod & præcipiendo docet: et iudicando acuit: & monendo instruit: & dissoluendo usum artium, atq; doctrinarum iudicat: & imitationem adiuuat. Quo in numero Quintilianus est. Genus hominum elegantium: scholis quidem utilissimum: non ut in scholis explicetur: sed ut domi legatur, & quidem diligenter: non enim utilitate cedit duobus superioribus generibus.

In horum laude Erythræus est: qui, quæ præceptis traduntur breuiter, atq; obscurè: ea ipse soluendo demonstrat explicatè, atq; apertè, doctus, & instructus Aristotelis, Ciceronis, & Hermogenis, Græcorumq; doctrinis.

Huius librum de epistolis conscribendis tibi commendo: ut, si in Italiam proficiscaris, aut Galliam, hoc autumno: comitem habeas, ex cuius ueluti sermone, sic lectione, & utilitatem poßes, & uoluptatem percipere. Quodsi eueniet, Deum oro: ut ipse tibi, comitibusq; tuis, & dux sit, teq; aliquot post annos instructum à literarum doctrinis, & moribus elegantißimis, uerißimisq;, in patriam ad patrem reducat: patremq; usq; ad eum diem, incolumem, atq; superstitem custodiat: teq; ei restituat. Id quod futurum spero.

Nam patris grauißimi uiri, Baronis, erga te caritatem animaduertens atq; liberalitatem: et tuam obseruans erga parentem pietatem, atq; sollicitudinem: & eorum fidelitatem intelligens: qui tibi moderatores additi sunt, nobilis & optimi uiri Agathij à Schauroth: & literatißimi atq; diligentißimi Magistri Martini Cononis, confido has uirtutes, Deo gratißimas, eum exitum habituras: qualem amici optant: & qualem nostri seculi mores atq; conuersiones requirũt.

Vale mi Vuolfi Baro. Argentorati, IX. Cal. Septemb.

1573.

VALENTINI ERYTHRAEI DE RATIONE LEGENDI, EXPLICANDI, ET SCRIBENDI EPISTOLAS, Liber Primus.

Quid sit Epistola: quot eius genera, atque formæ: & quæ huius facultatis præcipuæ sint commoditates.

CAPVT I.



PISTOLAE *uocabulum Græcum est, deductum* παρὰ τὸ ἐπιστέλλειν, *hoc est, à mittendo: uel Epistolã mittendo, uel per literas aliquid significando: propterea quòd perferenda ad absentem alteri traditur: qui* ἐπιστολεὺς *&* γραμματοφόρος *dicitur,* παρὰ τὸ φέρειν τὰ γράμματα, *ab Epistolis perferendis. Quas enim Latini multitudinis numero literas nominant: eas Græci quoq;* γράμματα *appellant Quanquam Poetæ numero singulari utuntur: ut Ouid. de Ponto lib. 4. Eleg. 8.*

Littera sera quidem, studijs exculta, Suilli,
Huc tua peruenit: sed mihi grata tamen.

Epistolæ uerò nomen ita usitatum est, in Latina lingua: ut in ipsa Roma natum, & in ipso Latio factum esse uideatur. Significat præterea iussum, seu mandatum,

ἐντολὴν: non ſolum quia tabellario olim mandabatur: ut literas diligenter ei, ad quem mitterentur, redderet: uerũm etiam, quòd initio ferè per literas alicui mandaretur negocium: quod is conficere, atq; expedire deberet, qui eas ferret. Eſt igitur abſolutè ἐπιστέλλειν, Epiſtolam mittere, idem quod ἐπιστέλλειν ἐπιστολὴν, apud Thucidydem. Nam et Plato, ἐπιστέλλετε δὲ καὶ, inquit, ὅ, τι πέπρακται ὑμῖν, ἢ πράττοντες τυγχάνεται. Scribite, quid à uobis geſtum ſit, aut quid geratis. Et Demoſthenes, διὰ βραχέων ἐπέστειλα ὑμῖν, paucis ſcripſi uobis, dixit. Apud Platõnem etiam ἐπιστέλλειν τὶ, eſt, petere aliquid ab aliquo literis, aut per literas: καὶ ἐπιστέλλειν τινὶ, hoc eſt, certiorem aliquem facere per literas. Quæ cauſa eſt, quamobrem Cicero alicubi ſcribat: hoc eſt epiſtolæ proprium: ut is, ad quem ſcribitur: de ijs rebus, quas ignorat, certior fiat. Erant enim hæc tria præcipua, poſt inuentum hoc genus ſcriptionis, genera Epiſtolarũ: πραγματικὸν: qua de cauſa, ἐπιστολὴ, τουτέστιν, ἐντολὴ dicta fuit antiquitùs: παρακλητικὸν, & ἐπαγγελτικόν. Sed de literarum formis paulò pòſt accuratius erit agendum. Ἐπιστόλιον puſillæ Epiſtolæ notationem habet. Quemadmodum γραμμάτια, literulas, & δέλτος, tabellas, ſeu codicillos, literas breues ſignificat. At uerò quæ iuſtò ſunt longiores: & epiſtolarum ſpeciem habent: hæ ἐπιστολοειδεῖς nuncupantur: cum potius ſint libri appellandi. Tales ſunt quædam Apoſtoli Pauli Epiſtolæ prolixiores: & Ciceronis, eiuſq; fratris Quinti, de adminiſtranda prouincia, & de petitione conſulatus: & ſimiles.

les. Ἐπιστολικὸς, ἐπισταλτικὸς, καὶ ἐπιστολιμαῖος χαρακτήρ, forma quædam est Epistolaris: & quasi scribendi literas quædam figura, de qua ἰδέα, suo loco explicabitur nostra sententia. Græci Epistolam ad hunc modum definiunt: ἐπιστολή ἐστιν ὁμιλία τις ἐγγράμματος πρὸς ἀπόντα γινομένη, καὶ χρειώδη σκοπὸν ἐμπληροῦσα. Est enim nihil aliud epistola, quàm colloquium literis mandatum, quod fit cum absente, ad utilem finem directum. Nam ὁμιλία ἀγράμματος, est inter præsentes mutuus quidam sermo. Et addunt Græci: ἐρεῖ δέ τις ἐν αὐτῇ, ἅπερ ἂν ὡς παρὼν εἴπῃ τις, πρὸς παρόντα. Etenim per literas omnia aliquis explicabit: quæ præsens amico præsenti oratione uelit esse exposita. Cicero literas, colloquia amicorum absentium, & colloqui cum aliquo per literas dicit: & ὁμιλίαν, sermonem familiarem conuertit in illo ad Tit. Pomp. Atticum: Nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus deuenire. Idem, in quadam Epistola scribit: Vtemur bono literarum, & eadem ferè absentes, ac si coràm essemus, consequemur. Lybanius Sophista Græcus, eodem pacto definit Epistolam. Sic enim scribit: ἐπιστολή ὁμιλία ἐστὶν ἀπόντος πρὸς ἄποντα, id est, Epistola est colloquium, seu familiaris sermo, ab absente ad absentem, literis transmissus.

Esse igitur epistolam ex eorum numero perspicuum est: quæ inter se cōparantur. Nam ἐπιστολή τοῦ ἐπισταλτοῦ τινός ἐστι ἐπιστολή: epistola est, rei (ut ita loquar) epistolandæ, quæ literis scilicet explicari, & ad absentem

tranſmitti poteſt, epiſtola. Eius igitur fundamentum, & τὸ ἀντιστρέφον eſt, ut Dialectici loquuntur, τὸ ἐπίσταλτον πρᾶγμα, ἢ γραπτέον πρὸς ἀπόντα: res quæ literis committitur, tractatur, & ad alterum, uidelicet abſentem, perfertur: deniq; res omnis, quæ in hoc ſcriptionis genus poteſt incidere. ut, uerbi gratia, mandatum, petitio, conſilium, & cætera generis eiuſdem. Cicero ſcribendi argumentum nominat. Terminus eius eſt: ut ſit epiſtola, hoc eſt, colloquium, & ſermo abſentis tranſmiſſus ad abſentem, & à tabellario redditus. Hæc enim tria perſonarum hîc ſpectantur genera: ὁ ἐπιστέλλων, ἢ ὁ γράφων, ὁ γραμματοφόρος, καὶ ὁ ἀπών, ſiue abſens iſte nobis ſit amicus, ſiue inimicus, ſiue neuter.

ΤΥΠΟΙ ΕΠΙΣΤΟΛΙΚΟΙ,
ἢ γένη.

DEfinitione igitur reperta, ac explicata: eius deinceps tradenda ſunt genera, ſeu formæ, eæq; enumerandæ, ac diſtinguendæ: prius quàm earum ſingulare artificium, ac tractatio aperiatur. Ac Græci genera epiſtolarum γένη nominant: eadem ratione, qua Latini ſolent nuncupare. Sunt etiam inter Græcos, qui εἴδη appellēt: tanquam formas: quas Cicero ſpecies ueretur multitudinis numero dicere. Sunt etiam, qui τύπους ἐπιστολικοὺς appellant, hoc eſt, formulas certas quaſdam conficiendarum Epiſtolırum. Ac Libanius, ut uidetur eruditis, uiginti & unam recenſet epiſtolæ formas. Nam τύπος primus eſt φιλικὸς, ſecundus συστατικὸς: tertius μεμ-

πτικὸς:

πτικὸς: quartus ὀνειδιστικὸς: quintus παραμυθητικὸς: ſextus, ἐπιθυμητικὸς: ſeptimus, νουθετικὸς: octauus, ἀπειλητικὸς: nonus, ψεκτικὸς: decimus, ἐπαινετικὸς: undecimus, συμβουλσυτικὸς: duodecimus, ἀξιωματικὸς: decimustertius, ἐρωτηματικὸς: decimusquartus, ἀποφαντικὸς: decimusquintus, ἀλληγορικὸς: decimusſextus, αἰτιολογικὸς: decimusſeptimus, κατηγορικὸς: decimusoctauus, ἀπολογητικὸς: decimusnonus, συγχαρειστικὸς: uigeſimus, εἰρωνικὸς: poſtremus eſt συγχαρειστικός. Ac iſti characteres ex principio uoluminis primi libri epiſtolarum Græcarum ſunt repetiti. Etenim aut amicus ſcribit amico familiariter, atque amanter: aut aliquis quempiam commendat alteri: aut deſiderat in aliquo debitum officium: aut alicui exprobrat animum ingratum, & beneficij immemorem: aut conſolatur afflictum, in rebus aduerſis: aut reprehendit aliquem in uitium aliquod prolapſum: aut liberè admonet aliquem, quid ei ſit agendum, uel quid non agendum: aut minas alicui denunciat, metúmque inijcit: aut in moribus ac uita obijcit & exprobrat improbitatem: aut aliquem ita collaudat, ac ſi officio ſuo probè perfunctus ſit: aut conſulit alteri, quod ipſi uidebatur optimum eſſe factu: aut tanquam deprecator intercedit apud alium, pro eo, qui deliquit, aut deliquiſſe uidetur: aut ſciſcitatur ab aliquo id, quod ipſe ſcire concupiſcit: aut percontanti reſpondet: aut tectis uerbis ſignificat, & quibuſdam uerborum inuolucris alicui, quod ab eo ſolo, cui ſcribit, intelligi uult: aut ceddit rationes, & cauſas, an aliquid factum non ſit, aut

non ſit futurum: aut incuſat aliquem, & crimen aliquod ei obijcit atque intendit: aut purgat ſe, & excuſat atque defendit: aut gratulatur amico de eius fœlicitate, proſperóque ſucceſſu, bonóque rerum ſtatu: aut diuerſa ſcribit, etiam ſi aliter ſentiat: aut denique gratias agit alicui pro beneficijs in ſe collatis. Atque hæc eſt ueterum Græcorum non partitio, aut diſtinctio, ſed enumeratio.

ΕΠΙΔΙΑΙΡΕΣΙΣ, ΚΑΙ ΠΡΟΣδιαίρεσις.

HOs ſecuti fuerunt poſtea alij, qui partim ſuperiores formas repetiuerunt, partim alias his ipſis annumerauerunt. Verba horum ſunt: διαιρεῖται δὲ εἰς συχνάς γε, καὶ παμπόλλας προσηγορίας, *id eſt, literæ diuiduntur in permultas & uarias appellationes, ſeu formas. Nam quadraginta recenſent:* παραινετικὴν, *cohortantem:* μεμπτικὴν, *obiurgantem:* παρακλητικὴν, *petentem:* συστατικὴν, *commendatricem:* εἰρωνικὴν, *diſsimulantem:* εὐχαριστικὴν, *gratias agentem:* φιλικὴν, *amicam & officioſam,* εὐκτικὴν, *optantem,* ἀπειλητικὴν, *minitantem:* ἀπαρνητικὴν, *purgantem:* παραγγελτικὴν, *denunciantem,* μεταμελητικὴν, *deprecantem:* ὀνειδιστικὴν, *exprobrantem, atque expoſtulantem:* συμπαθητικὴν, *condolentem:* θεραπευτικὴν, *conciliantem:* συγχαριστικὴν, *congratulantem:* παραλογιστικὴν, *cauillantem:* ἀντεγκληματικὴν, *recriminantem:* ἀντεπισταλτικὴν, *reſpondentem:* παροξυντικὴν, *prouocantem aliquem ad*

certamen atque pugnam: ὑβειστικὴν, contumelioſam, ἐπαγγελτικὴν, nunciantem, σχετλιαστικὴν, lamentantem, ſeu querulam, παραμυθητικὴν, conſolatoriam, πρεσβευτικὴν, legationis uice fungentem, ἐπαινετικὴν, collaudantem, διδασκαλικὴν, erudientem, ἐλεγκτικὴν, coarguentem, atque conuincentem, διαβλητικὴν, calumniatricem, ἐπιτιμητικὴν, reprehendentem, ἐρωτηματικὴν, ſciſcitantem, παραθαῤῥυντικὴν, animi fiduciam addentem, ἀναθετικὴν, communicantem alteri ſua conſilia, ἀποφαντικὴν, enunciantem alicuius ſententiam contra alterum, σκωπτικὴν, cauillatricem, αἰνιγματικὴν, tectè & obſcurè innuentem, quæ non omnes ſcire uolumus, ἀπομνητικὴν, commonefacientem, λυπητικὴν, lamentantem, ἐρωτικὴν, amatoriam. Deniq; μικτὴν, uel σύνθετον, mixtam, uariam, & ex diuerſis generibus, quæ hactenus ſunt enumerata, compoſitam. Eſt alia etiam apud eruditos quoſdam ſcriptores partitio Epiſtolarum non prætereunda, propterea quòd accommodata eſt ad omnium ſcriptorum præcipuos fines.

Η ΔΕΥΤΕΡΑ ΓΡΟΣ-διαίρεσις.

OMnis enim ſcriptio, & propterea omnis epiſtola, uel ad docendũ eſt directa, uel ad mouendos animos legentiũ. Ergo quædã epiſtolæ ſunt διδακτικαὶ, quædã, ut Græci loquuntur, διαθετικαὶ, hoc eſt, quaſi affectæ. Omnis uerò διδακτικὴ ἐπιστολὴ, aut θεωρητικὴ eſt, aut πρακτικὴ. Ac prior illa ſpecies poſita eſt in præceptis,

& studijs bonarum artium, atq; disciplinarum. Et propterea à Græcis τεχνικὴ, & ἐπιστημονικὴ, & κατακλητικὴ solet appellari. Sunt, qui huic generi diuinas subijciunt epistolas, id est, Theologicas, ut sunt Apostolorum, & Ecclesiasticorum scriptorum: Basilij, Tertulliani, Cypriani, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, Gregorij, & similium Theologorum: & moratas, ἠθικάς: cum scilicet aliquid præcipiunt, quod ad uitam & mores hominum pertinet: quales ferè sunt ipsius Senecæ. Forma posterior, quam πρακτικὴν nominant, cernitur in actionibus & negocijs uitæ ciuilis. Ergo huc pertinent omnes epistolæ, quæ uocantur à Græcis πολιτικαὶ, ἠθικαὶ, & οἰκονομικαὶ. Sed hæc πρακτικὴ rursus temporibus distinguitur. Omnes enim eiusmodi, quæ ad agendum referuntur epistolæ, aut rerum præsentis sunt temporis, & appellantur à Græcis δηλωτικαὶ, & ἐπαγγελτικαὶ, nunciantes: aut præteriti temporis, τῶν γεγονότων πραγμάτων: cum uel narramus, uel laudamus, uel uituperamus, uel gratias agimus, uel gratulamur, uel accusamus, uel defendimus. A Græcis Epistolæ, ut diximus, nominantur διηγητικαὶ, καὶ ἀπαγγελτικαὶ, ἐπαινετικαὶ, ψεκτικαὶ, εὐχαριστικαὶ, συγχαριστικαὶ, κατηγορητικαὶ, ἀπολογητικαὶ. Aut futuri temporis sunt, τῶν πρακτέων, καὶ ἐκβησομένων. sed qui tales scribunt epistolas: aut uersantur in rebus certis, quas scribunt ad absentem: aut in rebus incertis. Qui autem de rebus certis literas exarant: hi aut imperant, aut prohibent, aut suadent, aut dissuadent, aut commendant, aut commendationem refutant,

aut

aut petunt, aut negant. Hinc illa genera extiterunt: προστακτικὸν, ἀπαγορευτικὸν, προτρεπτικὸν, ἀποτρεπτικὸν, παραθετικὸν, παρακλητικὸν, ἀρνητικὸν. Qui de incertis rebus ſcribunt, hi uel deliberant, atq; conſultant, uel optant, & quaſi uaticinantur, uel interpretantur, etiam aliorum ſententiam, uel coniectura quadam etiam aliquid colligunt, uel conſilium dant. Vnde hæ natæ ſunt formæ literarum: συμβουλευτικὴ, εὐκτικὴ, προῤῥητικὴ, ἑρμηνευτικὴ, εἰκαστικὴ, & βουλευτική.

Hactenus de generibus epiſtolarnm, quæ ad docendum præcipuè pertinent. Sequuntur alia genera: quæ referuntur ad formam διαθετικὴν, uel, ut Hermog, loquitur, ἐνδιάθετον, καὶ οἱονεὶ ἔμψυχον, hoc eſt, quæ affecta eſt, & quaſi animo prædita, ſeu ad motum aliquem animi accommodata. Varietas autem eſt multiplex in hoc altero genere. propterea quod qui ſcribunt literas ad alterum, aut gignere uolunt in animo illius quempiã motum. Atq; hoc genus appellatur κινητικὸν: aut contra ſedare uolunt motum atq; perturbationem animi uehementiorem. Talis Epiſtola appellatur à Græcis μειωτικὴ, ἢ ἀνετικὴ, & ἐκβλητική. propterea quòd habet ἐκβολὴν τοῦ πάθους, aut certe ἄνεσιν. Nam aut prorſus eximitur animo: aut ſaltem minuitur dolor, aut metus; aut confidentia, aut alia quæpiam animi affectio, atque commotio. Prius illud genus, quod ad commouendos, non ſedandos animos refertur, in alia duo genera diſtinguunt. Quicquid enim tale eſt: quod gignit aliquem in altero grauiorem motum, id aut ſeuerum eſt, & graue,

σπουδαῖον, καὶ δεινὸν, aut familiare, & iocosum, οἰκεῖον, καὶ εὐτράπελον, καὶ ἀστεῖον. Illud pertinet, uel ad tristitiã, atq; mœrorem afferendum, uel ad metum, uel ad audaciam, atq; fiduciam, uel ad iram, uel ad dolorem, uel ad cupiditatem gignendam, & excitandam, in animis legentium. Hinc illæ extiterunt formæ literarum, λυπητικὴ, ἐκπληκτικὴ, παραθαῤῥυντικὴ, παροξυντικὴ, σχετλιαστικὴ, φιλικὴ, ἐλπιστικὴ. Hoc uerò alterum genus continet alios animorum motus, qui leniores, & mitiores appellantur. Cuiusmodi sunt, amor, misericordia, lenitas, uoluptas, atq; lætitia. Ergo huius claßis, atq; ordinis sunt epistolæ φιλικαὶ, ἐλεοποιητικαὶ, πρᾳοτικαὶ, συγχαριστικαὶ, ἀγαλλιαστικαὶ, & quæ sunt generis eiusdẽ apud Græcos. Quæ uerò ad sedandum aliquem motum referuntur, hæ superiorib omninò sunt contrariæ. Nam uel dolorem excitatum in alterius animo tollunt, uel iram, & odium, uel metum, uel audaciam comprimunt, uel tristitiam, uel cupiditatem aliquam animo eximunt, uel deniq; amorem euellunt ex animo legentis. Referuntur ad hunc ordinem, epistolæ παραμυθητικαὶ, ἐπαρεστικαὶ, ἀπειλητικαὶ, παραθαῤῥυντικαὶ, καταφρονητικαὶ. Atq; hæc hactenus de generibus, & formis Epistolarum & quibusdam partitionibus.

Η ΤΡΙΤΗ ΠΡΟΣΔΙΑΙΡΕΣΙΣ ἀκριβεστέρα.

SEquitur, ut deinceps hæc genera accuratius distinguamus, & in ordines certos redigamus. Ac placet nobis doctißimorum hominum illa distinctio: qua

qua omnia genera, & omnium generum formas ad tria genera causarum accommodant, propterea quòd epistolæ, quibus in communi uita utimur, ad personas certas plerunq; sunt applicatæ. Nam quæ sunt propositi, seu infinitæ quæstiones, cuiusmodi Theologicæ, & Philosophicæ, quæ docent tantùm, & quasi præcipiunt, eæ, etsi propter inscriptiones, & alias quasdam rationes uideantur esse epistolæ, sunt tamen potius ἐπιστολοειδεῖς nuncupandæ, eò quod sunt λογοειδεῖς, ut ad Nicobulum Gregorius scribit Nazianzenus. Habent enim speciem, & similitudinem quidem literarum, libri tamen potius sunt appellandi, & orationes, quàm epistolæ. Ergo propriè uidentur nonnullis Epistolæ dicendæ, quæ ad aliquod genus causæ referri possunt. Quæ causa est, ut deinceps omnia superiora genera, omnes etiam omnium generum formas tribus dicendi generibus placeat distinguere. Ergo omnis Epistola, aut ad deliberatiuum genus redigi potest, aut ad demonstratiuum, aut ad Iudiciale. Quæ uerò ad hæc tria genera accommodari non possunt, sed in hæc tria incidere possunt, & solent, uel ad hæc ipsa aggregari, ea nominamus sane docendi causa, κοινὰ, καὶ ἐμπίπτοντα, καὶ παραλειπόμενα. Qui nostra ætate, de arte scribendi Epistolas, doctißima sanè monumēta sui ingenij, post se reliquerunt, ijs ualdè placet, hæc quadripartita Epistolarū partitio. Sed tamen operæpretiū est, quas formas Græci cōmemorarūt, et quæ his addi possunt, singulis his quatuor generibus primis attribuere. Ergo deliberatiui generis illæ sūt tanq̃ species, συμβου-

λου-

λευτικὴ, quæ consilium continet: παραινετικὴ, exhortans: παραμυθητικὴ, consolationem adhibens: παρακλητικὴ, petens quippiam: sed ad consolationem, παραθαῤῥυντικὴ, fiduciam addens, & animum confirmans debet adiungi. Ad petitionem uerò πρεσβευτικὴν, id est, postulans aliquid per legationem, debet aggregari. Sequitur deinceps συστατικὴ, hoc est, commendatitia: νουθετικὴ, & θεραπευτικὴ, hoc est, concilians, ad quam officiosa referri potest, qua operam, & studium ultrò non roganti deferimus amico: ἐπαρεστικὴ, hoc est, reconcilians: ἐρωτικὴ, amatoria: εὐκτικὴ, optans: παροξυντικὴ, irritans: ἀναθετικὴ, communicans suum cum altero consilium: ἀποφαντικὴ, denuncians aliquid deterrendo: & ἀπομνηστικὴ, ἢ προστακτικὴ, commonefaciens, uel mandans aliquid alicui. Iam uerò demonstratiuo generi subijciuntur: illæ formæ: ἐπαινετικὴ, collaudans aliquem: συγχαριστικὴ, congratulans alteri: εὐχαριστικὴ, gratias agens: φιλικὴ, amica, blanda, atq; humana: καταγραφικὴ, quæ continet aliquam descriptionem elegantem, ornatam, & iucundam, uel personæ alicuius, uel cuiuspiam rei. Ergo in hoc genere quædam est προσωπογραφικὴ, quædam uerò est πραγματογραφικὴ. Cuiusmodi sunt pulchræ ὑπογραφαὶ urbium, regionum, artium, ædificiorum, fluminum, aut pontis alicuius, fontium, prædiorum, hortorum, & similium rerum. Atq; hæ sunt formæ laudandi rationis: sed quæ ad uituperandum, & contemnendum pertinent: hæ alias habent sibi subiectas species. Est enim quæ ψεκτικὴ dicitur,

citur, uituperans: sed generalis illa est forma: est & παραλογιστική, contemnens, est et διαβλητική, calumnians: cui est σκωπτική affinis, cauillatrix: Iudiciali generi duo sunt alia genera subiecta: Vnum κατηγορητικὸν, quod in accusando positum est: alterum ἀπολογητικὸν, huic contrarium, quod habet defensionem accusati, atq; reprehensi. Cæterùm ad κατηγορητικὴν hæ referuntur species diuersæ: λυπητική, ὀδυρτική, & σχετλιαστική: hæ sunt propè eiusdem naturæ, & artificij: μεμπτική, expostulans: ὀνειδιστική, exprobrationem continens: ἀπειλητική, minas habens: cui adiungunt Græci παραγγελτικὴν, uel διαμαρτυρικὴν, denunciantem: στηλιτευτικὴν, inuehentē. Præterea illas etiā enumerant: ἀντεγκληματικὴν, recriminantem: ὑβριστικὴν, contumeliosam: ἐλεγκτικὴν, conuincentem, & coarguentem aduersarium nostrum: & ἐπιτιμητικὴν, reprehendentem. Sed his formis contrariæ sunt ἀπολογητικαί, defendentes personam accusatam, aut reprehensam. Cuiusmodi sunt, quæ à Græcis peculiariter appellantur ἀπολογητικαὶ, defendentes, purgantes & excusantes: item ἀπαρνητικαὶ, inficiantes: ἀξιωματικαὶ, καὶ μεταμελητικαὶ, deprecantes, aut ueniales. Ergo hæ species possunt non inscitè ad tria genera causarum, tanquam ad suos fontes referri. Sed quartum etiam eruditi constituunt literarū genus quod docendi causa appellabimus ἐμπίπτον, καὶ κοινὸν, propterea, quod commune superioribus tribus est generibus, & in ea quodammodo incidit. Tales sunt istæ: διδασκαλική, docens: cui ego adiungo διαλεκτικὴν, disputan-

tem, Græci etiam addunt ἐρωτηματικὴν, ſciſcitantem, & percontantem. Reliquæ ſunt, ἐπαγγελτικὴ, denuncians, δηλωτικὴ, nuncians res quæ iam geruntur, προῤῥητικὴ, uaticinans, et quaſi diuinans, ἀπαγγελτικὴ, exponens res geſtas, αἰτιολογικὴ, quæ cauſas exponit factorum, uel nõ factorũ, συμπαθητικὴ, condolens, εὐτράπελος, iocoſa: item εἰρωνικὴ, αἰνιγματικὴ, ἀλληγορικὴ. Atq; hæ ſunt propè literarum ſcribendarum, ac mittendarum formæ apud Græcos. Sed his tanquam è regione una reſpondet, quã Græci nominant ἀντεπισταλτικὴν uel ἀποφαντικὴν, reſpondentem.

CICERONIS QVAEDAM partitio famil. lib. 2. Epiſt. 3.

Cicero ad Curionem ſcribens, Epiſtolarum genera multa eſſe dicit, illud certiſſimum, cuius cauſa inuẽta res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorũ intereſſet. Reliqua ſunt, inquit, epiſtolarũ genera duo, unũ familiare & iocoſum, alterũ ſeuerũ et graue. Et addit in clauſula huius Epiſtolæ cohortationẽ. Ergo Cicero ἐπαγγελτικὴν, φιλικὴν, εὐτράπελον, δεινὴν ἢ σεμνὴν, graue atq; ſeuerũ genus Epiſtolarũ, deniq; παραινετικὴν præcipuas cõſtituit Epiſtolarũ, q̃bus ſcribit ſe delectari, formas. Quanq̃ autẽ Rhetorica, id eſt, imperfecta diuiſio etiã hæc uidetur, tamẽ ſi quis eã diligenter conſiderare uolet, is facile reliqua genera ad illa poterit aggregare. Sed hæc hactenus de Epiſtolarũ partitione, quarũ conficiendarũ certa quædã ratio inuenta eſt, ac tradita, eaq;

dicendi

dicendi doctrinæ quædã habetur particula. Etſi autem à Rhetoribus ſumuntur ab huius artis ſcriptoribus generalia præcepta, exordiendi, narrandi, proponendi, confirmandi, refutandi, cõciliandi, promouendi, amplificandi, inueniendi, et collocandi, deniq; eloquendi, uerba deligendi, collocandi et conformandi, tamẽ παρατήρησις obſeruatio, quæ ſuſcipitur in lectione optimorũ ſcriptorũ, quorũ extant epiſtolæ, ut Ciceronis & aliorũ, peculiaria, & propria quædã peperit nobis præcepta. Nos prætermißis ijs, quæ cæteri ex Rhetorũ libris deſumſerunt, & accumularunt, ea tantũ trademus, quæ ipſi longo uſu obſeruauimus. Seligemus etiã παραγγέλματα ἐπιστολικὰ maximè neceſſaria ad ſcribendũ, ſed ex illis autoribus, qui de hac arte diligenter & accuratè ſcripſerunt. Cuiuſmodi inter alios facile princeps eſt Deſyderius Eraſ. Roterodamus, noſtri ſæculi, et noſtræ nationis ſingulare decus, & ornamentũ. Cuiuſmodi etiã eſt Lippus Brandolinus homo Italus, & Ludouicus Viues Hiſpanus. Ideò ſingulorum generum tractationẽ, et collocationẽ ſtudioſi, tanquã in ſpeculo quodã, intuebuntur, & Ideã quandam, ac ueluti ſpeciem, atq; figurã cuiuſq; generis ſemper habere debebunt in cõſpectu, eamq; formã, ſi quando ad abſentẽ ſcribere uolent, id quo frequentißimè in uita humana accidit, habebunt in promptu. Græci quidem nulla præcepta de hac arte ſcribendi reliquerunt, propterea fortaſſe, quòd omnia Rhetoricis comprehenſionibus, & earundem obſeruationi, in Epiſtolis eloquentißimorũ uirorũ tribuerũt. Certè ad hanc

ſiue

ſiue artem, ſiue exercitationem afferenda modica eſt cognitio dicendi doctrinæ, ſine qua parum in hac facultate conſequemur. Formas autem illi multas, & uarias nominant, enumerant, definiunt, exemplis etiam qualibuſcunq; explicant. Partitiones uerò, & tractationes, & rationem componendi, & præceptiones de hac arte Epiſtolica nullas proponunt.

ΣΥΣΤΑΣΙΣ ΤΗΣ ΕΠΙ-στολικῆς.

Pars iſta continet huius rationis breuẽ laudationem & commendationem, à neceſſario, utili, & iucundo. Quid enim magis neceſſarium eſt, præſertim literatis hominibus, quã eruditè, purè, & eleganter ad ab-

QVam uerò utilis ſit hæc ſcribendi ars uel præceptio, ex ijs ferè, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt. Etenim qui hanc artem cognoſcent, primũ cum iudicio, legent omnes, qui Epiſtolarum libros poſt ſe reliquerũt, ſiue illi Græci ſint, ſiue Latini ſcriptores. Deinde eoſdem etiam feliciter imitabuntur, in mittendis ad alios Epiſtolis, texentq; & ipſi artificioſas, & elegantes epiſtolas. Quarum uſus non modò neceſſarius eſt, ſed etiam periucundus. Neque enim ſolùm præſentibus, in congreſsibus quotidianis loquimur, uerùm ad abſentes utimur ſermone exarato, aut ſcripto, ſiue illi amici ſint, ſiue propinqui, ſiue inimici, & hoſtes, ſiue etiam neutri. Quid enim eſt in rebus, & actionibus mortalium, quod epiſtolis non committatur? Siue uoluerimus narrare, nunciare, docere, diſputare, ſciſcitari, explicare, & reſpondere, & collaudare, & gratias agere, gratulari, perſonas, aut res deſcribere, ſiue concilia-

re,

re,reconciliare,petere,recusare,commendare, dissuadere,consolari,monere,mandare,amorem, aliosq; animorum motus indicare,atq; exprimere, siue accusare, siue excusare,queri, uel expostulare,exprobrare,criminari,atq; inuehi in aliquē,obtrectare,minari,siue defendere,purgare, deprecari,operam,ac studium nostrū alicui deferre,iocari,tectè, inuoluteq; aliquid alicui significare: causas rei factæ,aut futuræ indicare,aut prænunciare,annunciare,diuersa,ac sentimus,scribere: seu deniq; irridere eum,ad quē damus literas. Quid porrò est uel in Ecclesia,uel in Republica: quod non per Epistolas magna ex parte conficiatur? Iam uerò, quàm iucundum sic hoc genus collocutionis, siue scriptionis: quæ mittitur ab absente ad absentem, omnes qui literas scribunt,re ipsa experiuntur. Desiderium sanè amicorum absentium nulla alia ratione leuari potest, quàm aßiduitate literarum. Cum enim meditamur, & exaramus Epistolam,uidemur nobis cum amico coràm familiarißime colloqui,atq; confabulari.

sentem mittere literas? Vtilißima etiā est hæc scribendi consuetudo,ad stili exercitationem.

DE CAVSIS EPISTOLARVM, EARVMQVE alijs quibusdam partitionibus.

CAPVT. II.

ESSE igitur artem quandam conscribendarum Epistolarum, ex his,quæ hactenus dicta sunt,perspicuum est. Quanquam illud etiam ex causis,

Causæ efficientes,οἱ ἐπιστολογράφοι.

de quibus ortæ sunt, intelligi potest. Efficentes enim causæ earum, sunt scriptores, qui hanc rationem primum inuenerunt, & literarum monumentis commendarunt, seu posteris tanquam per manus tradiderunt. Ac apud Græcos duo de hac ratione extant libelli: unus περὶ τῶν ἐπιστολικῶν τύπων, alter, περὶ τοῦ ἐπισταλτικοῦ χαρακτῆρος, hoc est, de Epistolarum formis, atq; figuris: quorum ille Libanio à nonnullis ascribitur: & præpositus est principio uoluminis primi epistolarum Græcarum: alter incerti authoris est: ueruntamen priore illo numerosior, & prolixior. Tametsi autē nulla præcepta componendi Epistolas Græci illi nobis dant: tamen principia huius rationis, & tanquam fundamenta ponunt. Cuiusmodi sunt, ut illi loquuntur, διαφοραὶ, προσηγορίαι, καὶ ὅροι, id est, appellationes diuersæ, & inter se certis formis distinctæ: & definitiones singularum istarum formarum differentium, singula etiam genera exemplis subiectis breuioribus illustrant: ex quibus, ὡς ἐν τύπῳ, partes singularū epistolarum, & tractatio, ab attento lectore, facilè colligi possunt. Sed neq; à ueteribus Latinis ars hæc à Rhetorica, cuius particula est ἐπισταλτική, separata fuit. Nullus enim, q de ea re scripsit, hoc tēpore extat ueterum Latinorum author. Nostra quidem ætate multi de conficiendis literis scripserunt, haudquaquam contemnendos libros. quorum de numero præcipui sunt: Erasmus Roterodamus, Ludouicus Viues, & Lippus Brandolinus. Verum enimuerò Erasmus, & Brandolinus magnam partem dicendi doctrinæ præceptorum

rum in ſuos libros ex authore ad Herennium & Trapezuntion non rectè tranſtulerunt. Etenim iſta oratorum ars prius cognoſcenda eſt: quàm hæc exercitatio ſuſcipiatur. Eaq; tantū hic docenda erunt: quæ non communia ſunt Oratori, & literas ſcribenti: uerū propria, et peculiaria huius Epiſtolaris ſcientiæ. Obſeruauerunt tamē multa hi, quos nominauimus: eaq; præclara, atq; utilia: quæ quidem ſunt huius rationis, non alterius doctrinæ. Ea tamen nos, & ſimilia, ad Græcorum conſuetudinē, & noſtras rationes accommodabimus. Materia uerò huius artis, in qua uerſamur, & ea facultas, quæ conficitur ex hac arte, ſunt illæ ipſæ definitiones, partitiones, et præcepta. Cū enim omnis ars ſit σύστημα ἐγκαταλήψεων: etiam hæc eſt ex ſuis extructa comprehenſionibus, tanquam proprijs fundamentis: ſed exerceri etiam uolunt iſtæ præceptiones, quas idcirco ἐγγεγυμνασμένας uocat Lucianus, in ſua definitione. Diu igitur multumq; ſcribendum eſt, & exercendus ſtylus, dicendi optimus, perfectiſsimusq; magiſter, atq; opifex. Et quia utilitates plurimas hæc ratio ſcribentibus epiſtolas adfert, maiore diligentia in id ſtudium nobis erit incumbendum. Iam forma huius artis quæ ſit, ex eius conſtitutione intelligi poteſt. Etenim ἐπιστολικὴ τέχνη eſt σύστημα: ſed eſt σύστημα μεθοδικὸν, hoc eſt, præceptionum non ſolum eſt coaceruatio, ſed etiam earundem, certa uia & ratione facta collocatio, atq; ordo: quæ ὁδοποίησις ſua & principia, & progreſsiones, & metam, finemq; conſtitutum habent. Ac definiuimus initiò hanc artem,

Materia epiſtolaris ſcientiæ.

Forma huius artis.

eandemq́; partiti sumus in sua membra, de quibus deinceps singulis eo docendi modo disseremus, qui, à partiendo μέθοδος διαιρετική est appellatus. Singulas igitur formas Epistolarum suis locis nominabimus, definiemus, et diuidemus, quæ quidem aliquas admittunt partitiones. Ostendemus deinde earum omniū partes cum proprias, tum alijs communes, & tractationū omnium præcepta, antè exempla selecta ponemus. Atq; hæc de forma huius doctrinæ. Fines huius duo principales sunt, lectio, et scriptio. Nam qui hanc artem discent, ij primùm utiliter omnium, qui Epistolas unquam scripserunt, libros peruolutabunt Deinde scribent ipsi, texent doctas, & elegantes epistolas, postquā hoc artificium in Cicerone potissimùm obseruarunt, notarunt, & ad imitandū in scribendo sibi proposuerunt. Tertius etiam finis est, ut exercitati, nos possimus accingere ad reliqua primordia dicendi, & ad declamationes conficiendas, ut tandem aliquando ad finem proprium oratorum perueniamus: qui est ciuilis orationis: qua seriò omnis tractatur, explicaturq́; controuersia, uel in iudicio & foro, uel in senatu, atq; curia, uel etiam in campo Martio, uel deniq; apud Imperatores. Quemadmodum autem huius rationis causas ostendimus, ita etiam non difficile est, causas ipsarum epistolarū indicare. Nam ἡ ἐπιστολὴ est opus scriptionis, τοῦ γράφοντος, quemadmodum λόγος πολιτικὸς, oratio opus est oratoris: λαλιά, declamatio declamatoris: Ergo efficientes causæ epistolarum sunt, ipsa ars, ἡ τέχνη ἐπιστολική: sed quam artifex didicit. Qui enim hanc rationem

Fines huius doctrinæ.

Finis προασκητικός.

Causæ epistolarum.

Efficientes.

nem

nem tenet, artifex est, seu scriptor, quem etiam scribentē nominat Cicero. Sed scribere, γράφειν, seu scriptio, ἡ γραφὴ quotidiana, plurimas gignet epistolas. Itaq; assiduitas scribendi in Cicerone, reliquit nobis multa Epistolarum uolumina. Quorum unum est, quod familiares, quæ ita nominantur, complectitur, alterum ad T. Pomp. Atticum continet missas literas, tertium uolumen eas habet, quæ ad Brutū, & Q. Fratrem missæ sunt. Atq; hæc est una causa efficiens, scilicet scribens ad aliquem absentem literas, cuiusmodi, ut iam dictum est, facile princeps fuit M. T. Cicero. Sed enim à quibus repertæ sint literæ, quæ ad alterum mittuntur, omninò incertum est, eamq; ob causam uidetur hoc genus lōgè esse uetustißimū, propterea quod statim literis, elementisúe inuentis, in usum uenerit. Etenim ad absentes hoc primo styli exercitationis genere scribi cœptū esse minimè dubium est, nimirū illo fine, ut cum absentibus absentes quasi cum præsentibus loquerentur. Quamobrem αἴτια πρῶτα, seu causæ primæ, quas Cicero causas principes, & principales nominat, sunt ars, & ipse artifex, seu scriptor, ὁ γράφων. Quales apud Græcos fuerunt Plato, Demosthenes, & Isocrates, Oratores, quorū extant Epistolæ, Philip. & Alexand. Magnus Macedoniæ Reges, et Crœsus, Cyrus, itidē Reges, Dion, Diogenes, Anastasius, Crates, Anacharsis, Pythagoras, Apoll. Thales, Pysistratus, Solon, Pittacus, Tyaneus, Cleobulus, Thrasybulus, Epimenides, Arcesil. Horum inq̄ Græcorum quædam extant scripta

Volumina epistolica M. T. Ciceronis.

Græci scriptores.

uolumina, & Luciani etiã & Philostrati, et Libanij, &

Ecclesiastici.

Synesij, non sunt prætereundæ silentio Epistolæ. Multò minus Christianorũ sunt prætereundæ: primũ Græcorũ, Basilij, Gregorij, Eusebij, et cæterorum clarißimorũ ec-

Latini.

clesiæ Christi luminum. Deinde Latinorũ, ut Tertuliani, Cypriani, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, et quorundã aliorũ, qui post Cic. scripserunt etiã Epistolas: Plinius, Cæcilius, Seneca, & alij uiri. His tamẽ etiã epistolographis annumerandi sunt Poetæ: inter quos Horatius est

Scriptores patrum nostrorum memoria.

præcipuus: & Ouidius. Nostro demum seculo, & supra nostram ætatem, scripserunt ad absentes eruditi multi sanè homines: & præsertim tam barbaro sæculo, Ioannes Picus Mirandulanus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, & post illos Guilielmus Budæus, Desiderius Erasmus: item Petrus Bembus, Longolius, Sadoletus, & alij complures. Hactenus de causis efficientibus, hoc est, de ipsa arte, & scriptoribus. Sequuntur causæ adiuuan-

Nostræ ætatis.

Causæ adiuuantes.

tes: quas Græci nominant συναίτια. Sunt autẽ duæ potissimũ: Vna ἄσκησις, exercitatio: altera μίμησις imitatio. Vt enim texamus epistolas artificiosè, id duabus rationibus facilimè assequemur, exercitatione, atq; imitatione. Nam ut ars præceptio est, quæ dat certam uiam, rationemq; scribendi literas: sic illius comes exercitatio scribendi: aßiduus est usus, & consuetudo. Sed dux huius debet esse imitatio: qua impellimur cum artis præceptione, γνώσει τῆς τέχνης, animaduersione, τηρήσει, & annotatione, ἀποσημειώσει: ut aliorum in scribendo similes esse ualeamus. Causæ, sine quibus non, conficiemus

epi-

epiſtolas: ſunt chartæ, & calamus. Sumenda igitur papyrus eſt, & ſumendus in manũ ſtylus: quo exaremus, aut ſcribamus in charta literas: quemadmodũ olim ueteres in codicillis ſcribere ſolebant epiſtolas. Nec atramento igitur, nec tempori parcendum eſt: quò minus quotidiè ſcribamus de re aliqua ad abſentem. Scribere igitur, ſeu ipſa ſcriptio efficiet nos ſcriptores: à quibus crebræ conficientur Epiſtolæ: ſed modum, & tanquã inſtrumentum Græci à nobis etiam requirunt. Sic enim illi præcipiunt: τῷ γράφειν βουλομένῳ προσήκει μὴ ἁπλῶς, μήδε ὡς ἔτυχεν ἐπιστέλλειν, ἀλλὰ σὺν ἀκριβείᾳ πολλῇ καὶ τέχνῃ. Iam uerò materiam nobis ſuppeditabunt tempora: & quotidiana, propemodumq; infinita negocia. Cicero ſcribendi argumentũ nominat ὑπόθεσιν. Nihil enim eſt, quod non in Epiſtolam cadere poßit: nullum quæſtionis genus eſt, quod non ſub huius ſtyli exercitationẽ ueniat. Vnde hæc etiam nata partitio Epiſtolarum eſt: ut aliæ ſint Theologicæ: de rebus ſcriptæ diuinis: aliæ φιλοσοφικαὶ, de naturæ obſcuritate, uita & moribus, artibus et diſciplinis confectæ: aliæ πολιτικαὶ, de rebus ciuilibus conſcriptæ: aliæ denique οἰκονομικαὶ, de cauſis priuatis, domeſticisq; negotijs. Hactenus de materia. Sequitur forma Epiſtolarum: Ea nihil aliud eſt, quàm certum quoddam genus ſcripti, quod ab abſente, ad abſentem mittitur. Ac de formis epiſtolarum, quæ τύποι, & χαρακτῆρες dicuntur, paulò antè à nobis eſt explicatum: & poſtea ſuis locis ſingulatim de ijs copioſius exponetur noſtra aliorumq; ſententia. Græci ἐπισταλτικὸς inquiunt,

Cauſæ, ſine quibus non.

Modus, ceu inſtrumentũ.

Materia.

Noua Epiſtolarum partitio.

χαρακτὴρ ποικίλος τε, καὶ πολυειδὴς ὑπάρχει, hoc est, ratio conscribendi epistolas, earumq; forma, & tanquã species uaria, ac multiplex est. Habet enim unumquodq; genus suam tanquam ideam, & quasi figuram. Vndè rursus alia extitit partitio. Omnis enim epistola aut μονοειδὴς est, καὶ περιοδικὴ, hoc est, unius modi, & unius, certiq; generis. Aut est ποικίλη, καὶ σύνθετος, uaria, & composita, quam supra μικτὴν diximus à Græcis nominari, quæ ex diuersis scilicet formis est muxta, & temperata. Quod frequentißimum genus est: tametsi purarum & simpliciũ apud scriptores non pauca reperiantur exempla. Restat finis, & officium scribentis literas ad amicos, uel alios. Ac finis est, ut in Rhetoricis habemus, cuius causa facere debet quispiam aliquid: officiũ autem id quod facere, & præstare debet artifex, aut scriptor. Ergo finis epistolarum mittendarum est persuadere scriptione, item, facere absentem certiorem. Eamq; ob causam, Cicero scripsit, ad Curium, Epistolam inuentam esse, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire, aut ipsorum, aut nostra interesset. Praterea, ut eadem ferè absentes, quæ si coràm adessemus, consequamur, &, quod de rebus nostris, uel aliorum coràm communicassemus, inter nos conficiamus idem literis. Ergo principalis epistolarum finis est necessaria utilitas, id est, ut cum absentibus, ac si coràm adessent, de rebus nostris, uel illorum, uel etiam aliorum, communicemus, uel docẽdo, uel delectando, uel perturbando, uel his tribus modis, atq; rationibus. Nam epistolæ etiam ali-

Alia diuisio epistolarum.

Finis & officium scribentium.

um

um habent finem, qui est uoluptas, & delectatio: plerumque enim cum amicis iocamur, & propterea statim respondent nobis: periucundæ nobis tuæ fuerunt literæ. Sed non solum animum adducimus eius, ad quem scribimus ad lætitiam & uoluptatem, uerum etiam eiusdem incitamus nonnunquam ad spem, atq; cupiditatem. Cicero utrumq; finem uocat bonum literarum, quasi τἀγαθὸν τῶν ἐπιστολῶν. Quantum ad officium pertinet eius, qui scribit, & Epistolam mittit ad alterū, eius certè munus est idem quod oratoris: sed in diuerso genere orationis, nimirum appositè ad persuadendum: sed ad illā πειθὼ, hoc est, persuasionem, quam Ennius suademedullam appellauit, duo sunt inuentionis Rhetoricæ fines aggregandi, fides, atq; motus. Sunt & alij fines, qui ex generibus epistolarum facile possunt animaduerti, atq; notari. ut, uerbi gratia, ut deliberemus cum alijs, aut alios hortemur, aut illis consilium demus, nunciemus, & quæ sunt generis eiusdem. Sed ille finis communis omnium est, qui ex officio scribentis sumitur, ut nostra scriptione absentem faciamus certiorem de rebus nostris, aut illius ad quem scribimus, aut alterius cuiuspiam. Nam in hac ratione, tres præcipuè περιστάσεις diligenter sunt considerandæ: ut scripturus Epistolam, cogitet, non solum quis scribat, uerum etiam cui scribat, & quibus de rebus scribat. Etenim uel scribimus de rebus ad nos spectantibus, uel de rebus ad illum, ad quem scribimus, pertinentibus, uel scribimus de utroq; genere, id est, de rebus, quæ non tantum ad nos aut ad nostros attinent, sed

Attributiones, seu circumstantiæ epistolicæ.

omninò ad eos, qui nihil nos attingunt. Ergo omnia πράγματα ἐπιστολικὰ, ut Demetrius nominat, aut sunt οἰκεῖα, hoc est, nostræ res: aut sunt ἀλλότρια, alienæ. Quantum ad res nostras attinet: de quibus scribimus: sciendum est, eas aut internas esse, aut externas. τὰ ἔνδον, sunt animus & corpus: In animo est mens, ὁ νοῦς: & in mente, sunt iudicium, sagacitas, atq; solertia, & ingenium. Sed ingenij quædam commoda sunt, quædam incommoda. Commoda, ut acumen, & celeritas ingenij, ut memoria, & in his facilitas, & firmitas: quas res eruditio comitatur atq; doctrina. Incommoda uerò sunt inter cætera, hebes, & tardum ingenium, & obliuiosum, seu uires exiguæ ingenij, & ruditas, & ut ita dicam, ineruditio, nullaq; doctrina. Quibus ex rebus in animo positis, sequitur ut interdum instituamus in Epistolis commendationem aliquam de nostris studijs, atque ingenio. Sæpe etiam scribimus literas, quibus cupimus, & petimus ab amico auxilium, ut nostris studijs adsit suo consilio, & sua ope: ut tandem cum laude ad præclaram doctrinam maximarum rerum poßimus peruenire. Huc etiam multæ gratiarum actiones referendæ sunt, pro beneficijs nobis præstitis à patrono aliquo, aut etiam Mecœnate studiorum nostrorum. Sed in animo non tantùm est διάνοια, intelligentia: uerùm etiam βούλησις, uoluntas, & ὄρεξις, appetitio. In uoluntate, tum alia sunt, ut genera uirtutum, tum etiam his consimilia: ut αἵρεσις τῶν ἀγαθῶν, delectus bonorum, & φυγὴ τῶν κακῶν, malorum declinatio. Ergo huc multa pertinent epistolarum

gene-

genera:uel cohortantes ad uirtutem, & ad omnis generis bona:uel deterrentes à uitijs,& à cæteris malis.Iam, in appetitione, regnant motus animorum partim læti, partim tristes. Est & hic magna sylua,& materia scribendarum Epistolarum. Nam propter has res non solum querelam instituimus:uerum etiam indignamur sæpenumero,conciliamus etiam nobis non rarò amicos aliquos nouos, ueteres etiam amicos cupimus constantes esse in amicitia:ut beneuolentiam conseruent,conseruatamq́; augeant:ut etiam officiosæ Epistolæ ad hoc genus referri posse uideantur. Atq; hæc animi sunt:in corpore,non modo quinq; sensus,uerum etiam robur, & forma,& ualetudo, & uictus, sunt consideranda, & quæ his rebus sunt contraria: ut in sensibus defectio, & priuatio quædam: item corporis imbecillitas, & deformitas,atq; ualetudo aduersa,& misera uictus ratio,& quæ sunt generis eiusdem. Quibus de rebus sæpè fit, ut consolemur lippientem,aut cæcum, aut claudum, aut mancum,atq; mutilum, aut consilium ei aliquod demus: aut is à nobis uel consilium expetat,uel propter consilium, atq; opem,gratias agat atq; habeat. Sæpè etiam Cicero solet in his rebus nunciare, qua ualetudine sit: & alios hortari:ut curent suam ualetudinẽ:& uires recuperent. Iam uerò,τὰ ἔξω,hoc est,quæ extra nos sunt,ut bona fortunæ,uel eiusdem fortunæ incommoda sunt, pecuniæ affluentia,aut possessiones, aut uestimenta, aut honor, aut dignitas:uel honorũ,aut pecuniæ destitutio, aut infamia, aut generis nobilitas,aut res præclarè gestæ:aut his con

trariæ,

trariæ, aut amici, aut inimici, aut quæ sunt eiusmodi res aliæ externæ. Hinc fit, ut aliquando, in qua fortuna, aut loco simus constituti, nunciemus: sæpè etiam cupiamus, & optemus, & petamus, sæpè imploremus aliorum auxilium, sæpè etiam narremus, quid amici pro nobis egerint, item, quid inimici nobis obfuerint, & quid tentarint. Sed de rebus ad eum, ad quem scribimus, spectantibus, eadem propè ratio est, de qua hactenus est explicatum. Vel enim narramus aliquid in illa epistola, quam ei mittimus, uel laudamus, uel contrà reprehendimus, exprobramus, obiurgamus, & expostulamus cum eo, uel cum eo etiam iocamur, & blandimur. Quantum uerò ad illius utilitatem attinet, & commodum: sæpe mandamus, sæpè consulimus, & suademus, sæpè monemus, interdum etiam de rebus ipsius secundis, & prosperis gratulamur, incitamus etiam aliquando ad uindictam, ac pœnam de inimico sumendam, uel contra restinguimus eius iram, & animum placamus, & sedamus reliquos eius uehementiores animi motus. Sunt etiam res, quæ ad utrumq; pertinent. Ergo in rebus, & negocijs communibus, inter alia solemus expostulationes scribere, uel etiam inuectiones præter superiores formas, quas indicauimus. Post τὰ οἰκεῖα, sequutur τὰ ἀλλότρια πράγματα, scilicet res alienæ, quæ neque ad nos, neque ad eum, ad quem scribimus, pertinent. De his autem rebus, uel nunciamus quid fiat, uel referimus quid gestum sit, scilicet, quid aliquis dixerit, aut egerit, aut cogitarit. Sed non solum huc illæ simplices, & nudæ narrationes referuntur,

feruntur, uerum etiam mixtæ. Verum enimuerò, propter hanc rerum uarietatem, etiam ista partitio literarum est obseruanda, quòd epistola aut est ἐπισταλτικὴ, aut est ἀντεπισταλτική. Quam Græci ἐπισταλτικὴν, nominant: ea priore loco mittitur, uel à nobis, uel à nostris, uel nostro nomine. Sed ἀντεπισταλτικὴν, qua alij nobis respondent ad nostras literas: Græci etiam nominant ἀντιγραφήν. Atque hæc hactenus de generibus epistolarum, & de earundem etiam causis, materia, fine, & usu. *Alia partitio epistolarum.*

TRACTATIO SINGVLORVM GENERVM: & primùm de generis deliberatiui, ac suasorij formis.

CAPVT III.

SEQVITVR, ut de singulis generibus epistolarum, quæ initiò, secuti Græcos, proposuimus, ordine disseramus: & quæ cuiusq; propriæ sententiæ sint, et propria collocatio atq; tractatio, deinceps porrò consideremus. Ergo inter eas literarum formas, quas generi deliberatiuo subijciunt dicendi artis Magistri, principem locum sibi uendicat ea, quam Græci συμβουλευτικὴν nominant, & τύπον (ἐπιστολικὸν τρόπον) συμβουλευτικόν, formam, qua consilium quispiam alteri dat. Συμβουλευτι- Eam sic definiunt: συμβουλευτικὸς τύπος ἐστὶν, ὅταν τὴν καὶ ἐπιστολήν.

ἰδίαν

ἰδίαν γνώμην προφερόμενοι, προτρέπομεν ἐπί τινα, ἢ ἀποτρέπομεν ἀπό τινος. Hoc enim genere epistolarum, exposita nostra sententia, hortamur alterum ad aliquid suscipiendum, atque agendum: aut eundem dehortamur dissuadendo, & deterrendo, ne hanc uel illam rem suscipiat, agat, aut administret. Sunt inter Græcos: qui hanc figuram deliberatiui generis appellant παραινετικὴν, cohortantem, incitantem, ac ueluti impellentem ad laudem, atq; gloriam. In scholis hortatoriam epistolam nominant, & cohortatoriam. Eamq́; παραινετικὴν epistolam ad hunc modum definiunt:

Παραινετικὴ ἐπιστολή.

παραινετική ἐστι, δι᾽ ἧς παραινοῦμεν τινα, προτρέποντες αὐτὸν ἐπί τι ὁρμῆσαι, ἢ ἀφελέσθαί τινος. Nam qui hoc genere epistolarum cohortante utitur: is ad quem scribit, hortatur, & excitat eum: ut uel audeat aliquid præclarum, & laude dignum

Παραίνεσις συμβουλῆς διαφέρει.

facinus suscipere: uel, si contrarium illud esse uideatur, totum illud animo auersetur, atque negligat. Sed distat consultatio à cohortatione, propterea quòd παραίνεσις, cohortatio nullam admittit refutationem, uel controuersiam.

Ὅτι δεῖ τὸ θεῖον τιμᾶν. οὐδεὶς γὰρ ἐναντιοῦται τῇ παραινέσει ταύτῃ: μὴ πρότερον μανείς.

Est enim ἀναντίῤῥητος: cui contradici nec debet, nec potest. Ergo Græci eam sic describunt: παραίνεσίς ἐστι λόγος παραινετικὸς, ἀντίῤῥησιν οὐκ ἐπιδεχόμενος. Verbi gratia, ut, si quis alterum cohortetur, ad honorem, cultumq́; Deo præstandum: nemo, nisi mentis expers, & impius, hanc cohortationem uocabit in dubium. At uerò consultatio, quam Græci Συμβουλὴν nominant, huiusmodi est oratio in epistola: quæ aliquam potest admittere quæstionem, dubitationem, atque controuersiam.

trouersiam. Quamobrem rectè Græci: συμβουλή ἐστι λόγος συμβουλευτικὸς ἀντίρρησιν ἐπιδεχόμενος. Vt, si fortè quis suadeat, bellum esse suscipiendum: alter contrà dissuadeat (ἀντείπῃ) non ueniendum esse ad arma: Ex his omninò ἀντίρρησις perspicua est, hoc est, ipsa controuersia: unde status existit, seu quæstio: utrùm Cn. Pompeio aduersus Cæsarem bellum suscipiendum sit, nec ne? Sed hæc στάσις est nominata πραγματική, negotialis, scilicet de bello gerendo. Ex hac ἀντιῤῥήσει, hoc est, contrarijs sententijs, ὅτι δεῖ πολεμεῖν, καὶ ὅτι οὐ δεῖ πολεμεῖν, necessariò existit status, quem diximus esse negotialem: idq; propter contrarias rationes, & argumentationes: quæ uterque, in utrámque partem adferre potest. Qui enim bellum gerendum esse suadet cum Cæsare: is inter cætera ostendet, πολλὰ κέρδη, maxima emolumenta reditura esse ad Pompeium: & ad eius duces, atque milites: propter gloriam præclarè rerum gestarum. Qui dissuadebit, Pompeio non suscipiendum esse bellum: is firmamentis etiam suis utetur: propterea quod sint uarij, & improuisi bellorum exitus, atque euentus: qui à Græcis nominantur τὰ τοῦ πολέμου συμβαίνοντα, exitus bellorum: cuiusmodi sunt inter cætera clades acceptæ, seruitutes, pericula bellica, & plagæ: denique ciuitatum euersiones, & agrorum deuastationes, & depopulationes. Hactenus definiuimus συμβουλευτικὸν τύπον: & à παραινετικῷ genere literarum distinximus. Sequitur breuis partitio suasoriæ epistolæ: ea autem facile ex definitionibus superioribus intelligi potest.

Συμβουλή.

Ὅτι δεῖ πολεμεῖν. ὅτι οὐ δεῖ.

Ἧττα, αἰχμαλωσία, κίνδυνος, πληγαί, πόλεως κατασκαφή.

poteſt. Omnis enim epiſtola, qua conſilium alteri damus, aut qua deliberamus, uel habet προτροπὴν, ſuaſionem: uel ἀποτροπὴν, diſſuaſionem. Sed Græci admodũ eruditè his duabus partibus præponunt τὴν τῆς ἰδίας γνώμης προφορὰν, hoc eſt, noſtræ ſententiæ, prudentibus rationibus munitæ, præcedentem expoſitionem, dilucidam, & probabilem. Ergo poſt illam προφορὰν noſtræ ſententiæ: artificioſè debet ſequi ἐπιφορὰ, atq; concluſio noſtri conſilij: ſed accommodata uel ad cohortandum, uel ad dehortandum. Et quanquam Græci nonnulli συμβουλευτικὴν ἐπιστολὴν rectè partiuntur in duo genera: προτρεπτικὸν, καὶ ἀποτρεπτικὸν: tamen cæteri inſcitè hæc duo genera ſubijciunt τῇ παραινετικῇ ἐπιστολῇ, quæ cohortatur ad illud ſuſcipiendum, atq; agendum, quod negari non poteſt, ſeu quod eſt ἀναντίῤῥητον: & propterea non habet dehortantem, aut diſſuadentem, nullum inquam aduerſarium habet: ob eam ipſam cauſam nullam admittit ἀποστροπὴν, uel ἀναστροπὴν, ſeu ἀνασκευὴν, refutationem. Ergo in epiſtola συμβουλευτικῇ, ſtatus eſſe poteſt, hoc eſt, in utramq; partem controuerſia, atque hæſitatio. Sed in παραινετικῇ epiſtola nulla poteſt exiſtere controuerſia, hoc eſt, nulla omninò moueri poteſt quæſtio. Id quod ex inſequentibus exemplis Græcorum facilè poteſt intelligi. Nam iſtud breuiſsimum παράδειγμα παραινετικῆς proponunt: propterea quòd ſuaſionis, uel συμβουλῆς, ut illi loquuntur, eſt quædam particula, nimirum ἐπιλογικὴ, ad concluſionem pertinens. Ζηλωτὴς ἀεὶ, βέλτιστε, γενοῦ τῶν ἐναρέτων ἀνδρῶν. κρεῖτ-

τον

τον γὰρ ἐστι, τοὺς ἀγαθοὺς ζηλοῦντα, καλὸν ἀκούειν, ἢ φαύλους ἑπόμενον, ἐπονείδιστον εἶναι τοῖς πᾶσι. Quorum uerborum iſta eſt ſententia: eorum ergo, amicorum omnium optime, ſemper imitator eſto: qui omni genere uirtutum cæteris prælucent. Etenim longè præclarius eſt: cum qui uiros bonos imitatur, eorumq́; laudem, atq; gloriam æmulatur, benè apud omnes audire: quàm improborum, & ſceleratorum hominum uitam, atque actiones ſectari: & propterea etiam apud omnes ſummo dedecori & probro eſſe obnoxios. Conſtat igitur hanc eſſe perorationis, in quadam cohortatione, atque ſuaſione, ueluti particulam & tanquam membrum quoddam. Propoſitio habet παραίνεσιν, cohortationem non ſine laudis, atque gloriæ præmio propoſitam. Etenim παραίνεσις, eſt dicta ἀπὸ τοῦ αἴνου, à laude. Eamq́; ob rem ſententia eſt ex hoc genere petita: nimirum à cauſa impellente, cuiuſmodi eſt ζῆλος, æmulatio. Propoſitio eſt per ſe argumentoſa. Etenim amicus qui ſcribit ad amicum, initiò compellat ipſum pulcherrimo, & ſuauiſſimo nomine: quòd eum βέλτιστον nuncupat, perſtudioſum omnium uirtutum: hinc ratiocinatur, & colligit: Si optimus uir ſit, ſine omni exceptione: debere eum eſſe æmulum omnium uirorum optimorum: eorum, qui omnis generis uirtutibus ſunt cumulati: qui ſunt ἐνάρετοι ἄνδρες. Quanquam autem παραίνεσις, ut dictum eſt, ἀναντίῤῥητος eſſe ſcribitur à Græcis: ut quæ nullius indigeat approbationis: tamen ex ſuaſione, & συμβουλῇ, illa nimirum cognata forma, ſæpe ſplendoris aliquid

Ἄνδρες βέλτιστοι, καὶ ἐνάρετοι.

λαμπρότης. afferunt rationes, & argumenta. Ergo hic scriptor secundum Hermog. τὸ εὔλογον, quod probabile est, imò quod ἀναντίρρητον est, εὐλογώτερον λέγει: probabilius pronunciat: & propterea etiam splendidius, & magnificentius, subiecta ratione, per contentionem contrariorum demonstrat, atq; illustrat. Etenim longè est præstantius eum, qui æmulatur uiros bonos, rectè factis, sui nominis gloriam consequi: quàm hominum nefariorum imitari conscelerata facta: ex quibus summam infamiam, & extremum dedecus eum consequi necessum est, apud omnes mortales, omnemq́; posteritatem. Itaq; ex hoc apparet exemplo, κινητικὸν αἴτιον, seu stimulum, et quasi calcar ad uirtutem capessendam, esse, τὸ ζῆλος, æmulationem: sed causa, quam Græci Rhetores nominant λογικὴν αἰτίαν, ratiocinationem, est ἐκ τοῦ συμβαίνοντος, ab euentu petita, uel commodo, uel incõmodo: honesto, uel turpi: ac utriusq; optionem, & αἵρεσιν illi nunc dat. Si uelit æmulari uirtutes clarorum uirorum: præmium sibi propositum esse, honestatem, laudem, gloriam: sin improbos, & sceleratos sequi cupiat: esse cõtraria illi proposita, turpitudinem, infamiam, & dedecus perpetuum.

Exemplum συμβουλευτικῆς ἐπιστολῆς. Græci præterea subijciunt aliud exemplum, sed τῆς συμβουλευτικῆς ἐπιστολῆς, eius generis, quo alicui consilium damus, præsertim à nobis petenti. Hoc paulò prolixius est: ἐξ ὧν συνδοκίμησα διὰ τῶν ἀρχομένων, κεφαλαιωδῶς ὑποδέδειχά σοι. Γινώσκω μὲν οὖν, ὅτι καὶ σὺ τῷ τρόπῳ δυνατὸς εἶ, τὴν παρὰ τῶν ὑποτεταγμένων εὔνοιαν περιποιεῖσθαι, τῶν ὑπηκόων. ἔτι δὲ φίλους πλείστους μὲν οὖ

ποιεῖν,

ποιεῖν, πρὸς ἅπαντας δὲ μετρίως ἔχειν, καὶ φιλανθρώπως. τοιοῦτος γὰρ ὤν, παρὰ τῶν ὄχλων τὴν εὐφημίαν, καὶ τὴν ἀρχὴν ἀσάλευτον ἕξεις. Est & haec suasoriae epistolae ueluti clausula, & epilogi pars: qua etiam extimulat ueluti calcare addito ad suarum uirtutum aemulationē. Quicunq; enim est, qui haec scripsit ad amicum, certè constat eiusdem cum altero fuisse dignitatis, & potestatis. Ergo aequali utitur exemplo, quasi scribat: Ego mei nominis aliquam celebrationem sum consecutus ex Republ. benè administrata. Sic etiam tu magnam cōsequeris gloriam, meo exemplo proposito: si uirtute simili Rempubl. tibi commissam administrabis. Ergo argumentum sumptum ἀπὸ τοῦ συμβάντος, ab euentu, seu gloria comparata, πρὸς τὸ συμβησόμενον, ad similem gloriam, aut maiorē, quàm amicus consequetur: si his uestigijs insistat, & ingrediatur, in regni, aut prouinciae administratione. Latinè iste locus sic cōuerti potest: Exposui tibi hactenus paucis: qua nam ratione ego, ex meorum prouincialiū, aut ciuium recta & legitima gubernatione, mihi non cōtemnendam, aut uulgarem laudem, atq; gloriam cōpararim. Quamobrem intelligo etiam, te facile tuorum populorū animos conciliaturum esse, qui ab his uirtutibus, ac artibus probè instructus es. Ac tametsi non admodum gaudes amicorum numero, atq; multitudine, tamē modestiā quandam singularem, cum singulari etiam humanitate cōiungis. Etenim quoniā is uir es, qui apud tuos ciues harum uirtutū commendationē sis consecutus, minimè diffido, quin stabile, atq; perpetuū imperiū sis obtenturus.

Alia discrimi natio suasionis, & exhortationis.

Hactenus συμβουλὴν, & παραίνεσιν, suasionem, à cohortatione distinximus. Sed tamen differunt istæ duæ partes alijs etiam rationibus: primum fine, deinde personis, postremò ratione totius, & partis. Quantũ ad finem per-
1. tinet: is qui suadet id agit, ut uelit illud alter facere: quod ille suadet. At qui exhortatur alterum: is etiam uolentem rationibus adducere conatur: ut audeat rem, quam uellet etiam difficilem, & periculosam aggredi. Altera deinde differentia à personis est desumpta. Etenim, qui sua-
2. det, sententiam alterius dubiam rationibus nititur muta-
3. re: ut in aliam sententiam propendeat, atq; inclinet. Sed qui exhortatur, animum insuper addere conatur: ut fidenter illud, & fortiter suscipiat, atq; agat. Ergo etiam huc pertinet tertium discrimen à personis petitum. Propriè etiam suademus aliquid hominibus uel errantibus in capessendis consilijs, & rebus suscipiendis: uel certè dubitantibus, & ambigentibus, utrum consilium sit capessendum inter duo, aut inter plura consilia, eáque diuersa: & propterea etiam ad diuersos fines spectantia. Deinde etiam non est prætereunda ista differentia: quæ sumitur à materia, hoc est, à sententiarum genere diuerso. Omnis enim suasor, & propterea etiam omnis suasio, docet, idq; probando, et argumentando. At uerò exhortator, & propterea etiam omnis cohortatio animorum perturbationibus, ueluti stimulis, & calcaribus, excitat et inflammat, impellitq; eum, quem exhortatur. Ergo συμβουλὴ est πιστωτική: quoniam argumentis, & rationibus consilium propositum, non tam laudat, quàm confir-

Suadendo id agitur, ut uelit: exhortatio, ut audeat.

Suademus aut errantibus, aut certè hæsitantibus: Exhortamur cessantes aut etiam currentes.

Erasmus.

Suasor sententiam mutat: exhortator animũ addit.

Suasio docet probando: exhortator stimulos addit.

confirmat. Eadem etiam προτροπὴ, suasio est διδακτικὴ: propterea quòd non tantùm docet, expositione sui consilij breui, dilucida, & probabili: sed etiam argumentis, rationibusq; eandem sui consilij ratione demonstrat, & comprobat. Postrema est differentia inter συμβουλὴν, uel προτροπὴν, & inter παραίνεσιν: quòd illa est tanquam totum: hæc autem est illius ueluti totius pars quædam. Nam omnis suasio, quoniam est ἐπιδεχομένη τῆς ἀντιῤῥήσεως, admittit controuersiam: propter consilium anceps: idq; propter dubium euentum: eoq; indiget ἀποδείξεως, confirmationis: perfecta tamen, & suis argumentis cõsummata probatio: in extrema igitur epistolæ parte, quæ est ἐπιλογικὴ, proprium quasi locũ habet παραινετικὴ epistolæ pars, hoc est, quæ inflammat, & impellit eum, ad quem scribitur. Ergo συμβουλὴ est totum: παραίνεσις autem, est pars. Item συμβουλὴ, est antegressa confirmatio dati cõsilij: παραίνεσις, est animi excitatio & impulsio: ut consilium quasi in effectum perducat, hoc est, facere illud audeat, quod suasit ille pluribus argumentis, atq; sententijs. Ergo etiam differunt, ut aliam addamus discriminationem: quòd suasio propriè argumentis conatur persuadere: sed cohortatio non argumentis, uerum τοῖς πάθεσι, animorum motibus pugnat: de quibus suo loco dicemus. Præterea neceßitas etiam est quædam: quamobrem alterius sæpenumero animus sit confirmandus, & insuper addendus: ut amicus noster id, quod optimũ factu nobis esse uidetur, cupidè amplectatur, & sequatur. Sæpe enim fit, ut aliquis deterreatur

uel difficultate rei arduæ, uel etiam periculo instante impediatur. Deniq; idem retardatur etiam nonnunquam quadam ἀνανδρίᾳ, ignauia, & timiditate. Deinceps post definitionem, partitionem, & discriminationem, accedendum est ad rem ipsam, eiusq; propriam tractationē. Sed antequam ad παραινετικὴν epistolam descēdamus, quam partem diximus esse quandam τῆς συμβουλευτικῆς, uel προτρεπτικῆς. (Nullam enim admittit ἀποτροπὴν ἡ παραίνεσις) prius de epistola, quam suasoriam nominant, & eius contraria etiam, quæ dissuasoria nominatur, paucis ea quæ ad nostrum institutum faciunt, explicemus. Nam contrariarum rerum eadem est disciplinabilis uia, atq; ratio. Qui enim scit, quomodo debeat suadere rem quampiam, is etiam sine negocio intelliget, quomodo à contrario consilio alterum debeat reuocare, eique illud dissuadere.

DE GENERE EPISTOLARVM ΣΥΜΒΟΥΛΕΥΤΙΚΩΝ, VEL προτρεπτικῶν: quibus continetur, consilij dandi expedita ratio.

CAPVT IIII.

IN suasorio literarum genere, primùm spectari debet eius officium, quod sanè multiplex est. Quemadmodum enim in hac epistolarum forma aut petimus aliquid, aut commendamus quempiam, aut consilium alicui

licui uel damus nostrum, uel nostrum alteri exponimus, ita ut petamus ab illo huius comprobationem, seu nouum illius, & melius consilium, aut monemus, aut denique consolamur, ita etiam diuersa inde epistolarum genera extiterunt. Cuiusmodi sunt παρακλητικὸν, παραθετικὸν, uel συστατικὸν, βουλευτικὸν, uel ἀναθετικὸν, νουθετικὸν, παραμυθητικὸν. Atque hæc illius, qui suadet, aut suasionem admittet, præcipua ferè sunt munera. Sed post istas rationes officij, quatuor etiam debent, ut in omnibus generibus literarum, considerari. Primùm, τὸ τέλος finis, eiusq; formæ. Deinde ἡ στάσις, constitutio propria. Tertiò, ἔννοιαι, sententiarum peculiare uniuscuiusq; genus. Postremò, ἡ τάξις, καὶ ἐργασία, sententiarum, & rerum ordo, atque tractatio. Itaque in suadendi genere, finis propositus est τὸ χρήσιμον, utilitas, sed eadem honesta. Nihil enim utile est, quòd non idem sit honestum. Status autem, quem etiam Rhetores non prætererunt, proprius huius generis est, qui dicitur negocialis, στάσις πραγματική. quæ constitutio est rei suscipiendæ, ac agendæ, eamque ob causam τοῦ μέλλοντος πράγματος rei futuræ. Quantùm uerò ad sententiarum genus pertinet, quæ sunt propriæ huius formæ, etiam ex libris Rhetoricis petendum est. Etenim loci tanquam fontes harum epistolarum, & ut Hermogenes appellat, κεφάλαια, capita, & Theon Sophista, in suis progymnasmatis τελικὰ κεφάλαια, propterea quòd ad finem, iam propositum uidelicet, honestam utilitatem ag- Τὰ τελικὰ κεφάλαια.

gregentur, & accommodentur. Sunt autem, τὸ καλὸν, τὸ συμφέρον, uel λυσιτελὲς, τὸ ἀσφαλὲς, τὸ ἡδὺ, τὸ ῥᾴδιον. Cui subijcitur, τὸ δυνατὸν, & τὸ ἀναγκαῖον. Quæcunq; enim utilia sunt, si cum honestate coniuncta sint, & utilitate tuta, & modo facili, etsi ardua esse uideãtur: tamen quia necessaria sunt: præsertim si uoluptatem afferant: ea certè magno animo, ac studio sunt, et suscipienda, & aggredienda. Ex his igitur locis omnes depromentur sententiæ, & omnes rationes, & argumenta petentur. Ergo quæcunq; sententiæ afferentur, pertinebũt uel ad aliquam speciem uirtutis, uel partem honestatis, uel ad aliquod munus officij, uel etiam ad laudem, gloriam, nominis existimationem, atq; decus: ea ad hanc suadendi rationem commodè, si res postulabit, adferentur. De ratione tuta est, apud Herennium: et libenter suscipimus ea, quæ sunt ἀκίνδυνα, nullis periculis exposita, sed ad incolumitatem pertinentia. Necessarium enim quicquid est, illud sua quasi natura nos impellit tanquam inuitos, & nolentes, ut id uelimus. Sed in utilitate bipartita, contraria ratio instituitur, uel enim est in rebus commodis, uel in rebus incommodis. In rebus commodis, utilitatis consideratio rursus est gemina. Vel enim res commodæ sunt præsentes, uel absentes, si præsentes, tum eas poßidemus, & nominatur κτῆσις. Sed in illa rerum poßeßione duo iterum spectanda ueniunt, ἡ φυλακὴ, καὶ ἡ αὔξησις. Suademus enim, ut amicus, quas res nunc poßidet, uel à maioribus, uel sua uirtute, & industria partas, non solum tueatur, sed etiam augeat. Quemadmodum

Poeta

Poeta inquit, Non minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri. In absentibus rebus, & acquirendis maior difficultas est. Nam requiritur in illa acquisitione consiliũ, industria, aut solicitudo, & indefessus labor, aßiduumq; studium. At in rebus incommodis uia contraria est. Natura enim declinamus, & fugimus, quicquid est periculosum. Itaq; hoc in loco magis opus erit dissuasione, & dehortatione, de qua suo loco. Cuius finis est ἡ φυγή, fuga, & ἀποβολή, declinatio. Ergo in his locis, & in his sententiarum generibus omnis consistit per literas suadendi ratio, aut methodus. Dissuadendi autem erit contraria uia, contrarijq; loci. Quantùm ad collocationem attinet locorum, & argumentorum, uel sententiarum, consistit omnis illa ratio, primùm in partibus orationis, deinde in præcipuarum harum partium dispositione. Ac, quemadmodum apud Oratores, in grauibus negocijs suscipiendis, omnis & deliberatio & consultatio, quæ quidem perfecta, & suis numeris absoluta est, Oratores utuntur sæpe omnibus orationis partibus, ita in epistolã suadentem omnes hæ partes possunt incidere, προοίμιον, exordium, διήγησις, narratio, προκατασκευή, seu uestibulum confirmationis, κατασκευή, ipsa confirmatio, ἀνασκευή, refutatio earum rerum, quæ nobis uehementer uidentur obstare, & officere, & harum partium orationis ἐπίλογος, conclusio. Etenim apud Ciceronem uidemus sæpenumero captari, quanquam paucis, beneuolentiam, ubi res illud postulat, hoc est, quando obliquo opus est principio, quæ dicitur insinuatio. Sæpe

Περιποίησις τῶν ἀγαθῶν.

enim,ut Cicero in ſuis partitionibus habet,& exordio,
& narratione eſt ſuperſedendum in deliberatiuo gene-
re Quoniam,qui audiunt,ſua ſponte ſunt parati ad con-
ſilium audiendũ,& ſuaſio futurarum eſt, non præteri-
tarum rerum. Verùm apud Ciceronem ſæpè incidit con
ciliatio perſonæ,& rei alicuius expoſitio,quam ad ſua-
dendum accommodat, & qua ueluti ſemina ſpargit ſua-
ſionis uniuerſæ. Nam à ſuo perpetuo ſtudio,quod illi cui
ſcribit in cæteris rebus perſpectum eſt,ſæpè incipit,&
oſtendit,ſe percupidum eſſe, ut aliqua fiat ad ipſius ra-
tiones acceßio,aut uirtutis,aut gloriæ,aut dignitatis,aut
deniq; fortunæ. Cicero tamẽ nõ raró,ἐν τῇ προκατασκευῇ,
res proponit cũ diuiſione,præſertim ſi partes aliquas in
ſe cõtinent. Imò ſi eſt ſimplex aliquando ſcribendi argu
mentũ,partitionẽ tum artificiosè inſtituit,& κεφάλαια,
ſeu capita argumentorũ, à quibus ſuaſurus eſt,enume-
Προκεφαλαίωσις. rat,pulcherrima προκεφαλαιώσει, eaſq; rationes poſtea
in confirmando nõ tantũ extollit laudando, uerũ etiam
uariè,& copiosè tractando mirabiliter exornat. Sed a-
pud eundem Cic. uidere eſt,quemadmodum ingeniosè ad
illa ſuperiora κεφάλαια ſoleat accommodare ἀπόδει-
Argumentationũ formæ. ξιν παραδειγματώδη,quæ ratio exemplorum eſt. Idem
etiã in confirmatione,in diuerſis præſertim locis,utitur
omni genere argumentationũ,cuiuſmodi ſunt δίλημμα
complexio,ἀφαίρεσις,enumeratio,ἐνθύμημα τεκμηριώ-
δες,ſimplex concluſio , ἐπαγωγὴ, inductio,& λόγος
ἐπιχειρηματικὸς, argumentatio illa oratoria quinque-
partita. In refutando etiam mirè tractat aduerſarij obie-
ctiones,

ctiones, quas diluit. Nam uel subiectione utitur, ὑποβολῇ, uel contentione contrariorum oratoria, quam Hermog. nominat ἀντίθετον. In disponendo autem, has adhibet Hermog. partes ἀνασκευαστικὰς, πρότασιν, ὑποφοράν, ἀντιπρότασιν, & ἀνθυποφοράν. In Epilogo instituit plerunq; cohortationem, in quam incidunt ἀξιώσεις, petitiones, & δεήσεις, obtestationes. Atq; hæc est, quemadmodum paucis percurrimus, suadendi etiam in scribendo ratio.

Partes quatuor refutationis.

DE COHORTATIONE.

CAPVT. V.

HActenus igitur de suadendi genere, cuius iam unum, atq; alterū exemplum subijcere conueniebat. Sed quoniam eius præcipua pars est illa literarū species, quā παραινετικήν, Græcos secuti, nominauimus, imò pars illius est quædam grauior, propter animorum motus, quos inflammant παραινέσεις, idcircò paucis etiam illius fontes attingemus & delibabimus. Sed illi fontes, unde ex locis, tanquā scaturiginibus demanat omnis grauior cohortatio, dirigūtur ad eundē statum negocialem: περὶ τοῦ πρακτοῦ, de negocio suscipiendo. Omnes autē sententiæ horum locorū, aut pertinent ad impulsionem, aut ad ratiocinationem, quarum illa nominatur ὀρεκτικὴ αἰτία, hæc λογική, à Dialecticis αἴτιον τελικόν. Sed prius illud genus causarum, quod maximos, & acerrimos stimulos subijcit ei, quem hortamur, & tanquam calcar addit, sumitur ex diuersis ani-

Κινητικά, ὁρμητικά, καὶ ὀρεκτικὰ αἴτια.

animorum motibus,& perturbationibus, quæ πάθη dicuntur,cuiusmodi sunt ἐλπὶς,spes , & huic contrarius motus ὁ φόβος,metus. Ad quos duos referimus expectationem, sed eam bipartitam. Nam ad spem excitandam non ineptè ἡ προσδοκία τῶν φίλων accommodabitur, & ad metum refertur non ineptè, ἡ τῶν ἐχθρῶν προσδοκία,inimicorum expectatio. Reliqui motus tanquam stimuli sunt,τὸ ἔλεος,miseratio,& ζῆλος,æmulatio : Postremi sunt duo contrarij,ignauum etiam qui possint impellere,τὸ φιλεῖν,καὶ τὸ μισεῖν,amor atq; odium. Ergo his Cicero solet uti , non tantùm in extrema epistolæ suadentis, aut cohortantis parte, sed etiam in reliquis partibus,& reliquo orationis cursu suasionis antegressæ,hoc est,in clausulis argumentationum. Sed restat postremum genus sententiarum in hac parte, quæ est exhortationis,quod pertinere diximus ad causas λογικὰς. Quidquid enim uir aliquis fortis suscipit, uel sua sponte,uel ab alio incitatus , id non tam commodi sui causa facit,quàm laudis,& gloriæ quasi præmio,& mercede adductus. Ac apud Ciceronem plurima exempla,in hoc epistolarum genere,inueniuntur sententiarum , ἐκ τοῦ ἐπαίνου,καὶ τῆς δόξης,à laude,& gloria sumpta. Quæ duo genera sunt tanquam fines propositi ei,qui rem aliquam arduam,atq; difficilem conatur suscipere. Atq; hic

Exempla.

locus præcipuus est sententiarum παραινετικῶν , nimirum quæ est causæ. Sed etiam alius est ualdè frequens locus,in cohortationibus,& suasionibus, qui est exemplorum. Plurimum enim hic ualet non solum ἀποδεί-

ξις, ſed etiam αὔξησις παραδειγματώδης. Nam in ſuadendo, hoc eſt, probando, creber eſt Cicero in exemplis applicandis ad rem propoſitam. Adfert enim exempla uaria, noua, priſca, domeſtica, peregrina, ſimilia, diſſimilia, atq; contraria, paria, & imparia, ſeu inæqualia, hiſtorica, & fabuloſa.

Exemplorum uarietas

Quæ uarietas exemplorum diligenter debet obſeruari, & annotari, ut eam & nos in ſcribendo poſſimus imitando exprimere. Sed non ſolum uarietas, uerumetiam ordo conſiderandus eſt. Quantùm præterea pertinet ad iſtam παραίνεσιν, quæ eſt ἐπιλογικὴ, non eſt prætereundum, quod acuti, & ingenioſi homines in Cicerone potiſſimum animaduerterunt.

Tractandi ſententias ratio, ſententiarumq; ornamenta.

Nam præter ſuperiores ſententias, permagnam etiam uim ad excitandum habent rationes tractandi illas ſententias, quæ apud Hermogenem ſunt μέθοδοι περὶ τὰς ἐννοίας appellatæ, & à dicendi doctrinæ magiſtris ſententiarum lumina ſiue ornamenta uocantur. Cuiuſmodi ſunt inter alia, δέησις, obteſtatio, & παῤῥησία, licentia, liberior uox & oratio, quæ tamen ſi aſperior, & acrior eſſe uidetur, mitigari debet, & quaſi leniri. Quam methodum Hermogenes nominat παραμυθίαν, et θεραπείαν.

Τραχύτης ἢ ἐπιτύμησις παραμύθητος.

Quæ ſi fit ante liberam cohortationem, dicitur προθεραπεία, ſi liberiori ſuadentis, & cohortantis ſcriptioni ſubijcitur, nominatur ab eodem Rhetore ἐπιθεραπεία. Huc pertinent etiam cæteræ methodi, quæ rem propè antè oculos conſtituunt, & propterea nominantur in Rhetoricis ab Ariſtotele, τὰ πρὸ ὀμμάτων ποιοῦντα, καὶ τὰ ὑποτυποῦντα, omnia etiā αὐξητικὰ σχήματα, rem exaggeran-

gerantia: conformationes, et demonstrationes, προσωποποιΐαι, et ὑποτυπώσεις. Sed huc σχήματα τῆς λέξεως etiã debent referri: cuiusmodi sunt τὸ ἀσύνδετον κομματικὸν, item ἰσόκωλον, καὶ πάρισον, ἐπαναφοραὶ, articulus, compar, repetitiones, et reliquæ iterationes, ut conuersio, & geminatio, atq; complexio: ἐπαναστροφὴ, & κύκλος: item ἐρώτησις, interrogatio: ἀπορίαι, dubitationes, & ἀποστροφαὶ, appellationes seriæ amici nostri, quem hortamur: denique ἀποφάνσεις, asseuerationes: & ἐπιφωνήσεις, acclamationes. Sed in his uerborum ornamentis, tanquam stellæ elucent, & splendent uerba translata, & reliqua modificationum genera. Ex quibus omnibus perspicuum est, quæ forma dicendi extet, & ueluti emineat in hoc literarum genere, nimirum duo præcipui characteres, quos Demetrius sic nominat, ut sunt δεινότης, grauitas, & μεγαλοπρέπεια, magnificentia, seu amplitudo, cum dignitate coniuncta. Sed his contemperari, & admisceri debet, quantum fieri potest, συντομία, breuitas, ne epistola in librum excrescat. Potißimum autem dominari debet, ut in omni oratione, ἡ σαφήνεια, perspicuitas, ut epistola sit plana, & aperta. Quæcunq; igitur talia sunt, illa ad duo capita reuocantur, αὔξησιν, & δείνωσιν.

Σχήματα λέξεως.

Λέξις.

Τροπή.

Idea suasionũ, & cohortationum.

DE EPISTOLA ΠΑΡΑΘΑΡΡΥΝτικῇ, & παροξυντικῇ.

ATque hæc forma est cohortandi, cui Græci subijciunt duo genera, παραθαῤῥυντικὸν, & παρο-

παροξυντικόν. Est autem ἐπιστολὴ παραθαῤῥυντική, ut Græci definiunt, δι᾽ ἧς παραθαῤῥύνομέν τινα, καὶ ἄφοβον αὐτὸν καθιστῶμεν. Nam huiusmodi est epistola, qua alteri animum addimus, et intrepidũ reddimus, in suscipiendo negocio arduo, & periculoso. Ergo motũ propositum habet θάῤῥος, fiduciam, qui motus ubi cohortatione inflammatus est, ibi est ἐκβολὴ τοῦ φόβου, quasi metus ex animo eiectio, παροξυντικὴ autẽ Epistola est, qua inflammamus, et excitamus, ac ueluti irritamus ignauũ, et lentum. Græci sic definiunt, παροξυντική ἐστι, δι᾽ ἧς ἐρεθίζομέν τινα, καὶ παροξύνομεν, πρὸς τὴν κατά τινος μάχην.

Παροξυντικὴ ἐπιστολή.

Hac enim impellimus aliquem, & ueluti accendimus, ad bellum cum aliquo gerendum. Ergo finis huius epistolæ est uindicta, & ultio: motus autem animi, ἡ ὀργή, ira. Παροξυντικῆς ἐπιστολῆς apud Græcos est breuissimũ exemplũ, cuius est propositio, ut ulsciscatur illatam iniuriam, priuata, aut publica uindicta, & bello.

Exemplum τῆς παροξυντικῆς ἐπιστολῆς.

Εἰ καὶ πόῤῥω τυγχάνω ἐγὼ, τοῦ κακοδαίμονος, καὶ μηδέποτε ἀπ᾽ ἐκείνου ὑβρισθεὶς, λίαν ἄχθομαι· καθὸ κακῶς ἅπαντες διατίθενται. πολὺ γὰρ μᾶλλον, καὶ σὺ τῆς εἰς σὲ λοιδορίας χάριν ὠφελείας ἀμύνασθαι. καλὸν γάρ ἐστι τοὺς πονηροὺς μείζοσιν, ὧν ἀδικοῦσιν περιβάλλειν κακοῖς, καὶ τῆς πολλῆς ἐπιστομίζειν φλυαρίας.

Al. καθὸ οἱ κακῶς παθόντες ὀργῆς διατίθενται.

ex ea parte, quatenus aliqui accepta iniuria, meritò indignantur.

Horum uerborum iste sensus est. Quanquam abs te infelicissimo, magno locorum interuallo sum disiunctus, & ab eo infensissimo tuo aduersario, nulla unquam lacessitus iniuria: tamen tuo nomine uehementer sum perturbatus, ea præsertim de causa, quòd

propter

propter acceptam iniuriam uidemur iure indignari inuidis, atq; inimicis. Quamobrem ſatius, et honeſtius eſſe puto, & cum iuſtitia coniunctum magis, ut quacunq; ratione, hanc abs te contumeliam depellas ulciſcendo. Eſt enim æquißimum, eiuſmodi improbos, & ſceleratos homines grauioribus perſequi ſupplicijs, qui de nobis malè ſunt meriti, atq; his rationibus illorum effrenem petulantiam, & laſciuiam comprimere. Finem continet iſtud exemplum, ut ſumat de ſuo aduerſario grauiorem pœnam, & ut eius animum magis exaſperet, comparationem inſtituit ſui, & illius, quaſi dicat, abſens ſum, & doleo tua cauſa, quòd iniuria, detrimento, & aliquo incommodo es affectus, coniuncto cum ſumma petulantia, à tuo aduerſario, qui non tantum nulla iniuria me affecit, uerumetiã ne de nomine quidem mihi notus eſt. Ergo multò magis conuenit, te præſentem, tuum aduerſarium, re & nomine cognitum, cum ab ipſo ſummis iniurijs, & detrimentis affectus ſis, perſequi iure, & legibus, ut pœnas det, aut, ſi hoſtis ſit, armis opprimatur, aut profligetur, aut etiam prorſus, ſi fieri poteſt, è medio tollatur. Rhetoricum iſtud, & Scholaſticum, fictumq; eſt exemplum, & ὑπόθεσις tractanda, nondum autem pertractata. Sed enim iſta τύπωσις, & delineatio præcipuas oſtindit τῆς ἐργασίας, tractationisúe partes, quarum προκαταρκτικὴ, quæ principij eſt, προλήψει, occupatione, oſtendit ἠθικῶς, καὶ παθητικῶς, ſe & dolere amici cauſa, inimicoq́; illius grauiter iraſci, cæteros etiam ipſius amicos eodem animo eſſe affectos. Iraſcimur enim amicorũ

ini-

inimicis. 2. Rhetor. Aristot. Sequitur κατασκευὴ, confirmatio, cuius initium est ipsa προκατασκευὴ, seu κατάστασις, propositio ἐρεθιστικὴ, irritans amicum ad sumendum de aduersario supplicium. Ipsa ἀπόδειξις, confirmatio est θετικὴ, infinitæ quæstionis, ἐκ τοῦ καλοῦ, ab honesto. quod argumentum copiosè posset dilatari. Finis est, ut punire uelit inimicum, motus est iræ, & indignationis, sæuitia autem, eius qui est cum potestate. Atq; ex his partes, & tractatio, in dando consilio περὶ τῆς τιμωρίας, conijci possunt. Exemplum restat τῆς παραθαῤῥωτικῆς ἐπιστολῆς, quale illud est, ἄφοβος ἔσο, τὸ παράπαν σεμνῶς πολιτευόμενος διὰ τὸ, τὸ θεῖον ἔχειν εὐμενές. Πανταχοῦ γὰρ τὸ θεῖον τῷ ὀρθῶς βιοῦντι παρίσταται. In hoc exemplo amicum non solùm confirmat, sed etiam animum addit, quasi consternato, abiecto, & perculso, & cohortatur eum, ut sit magno, forti, & intrepido animo. Propositio est munita ratione, non nuda, & solitaria. Nam magno, & forti, inquit, animo esto. Et huic propositioni interponit rationem, à laudatione superioris tẽporis, hoc est, à grauiter, & summa cum dignitate, atq; existimatione administrata, & gubernata Republ. Et argumentũ sumit tanquam à suo proprio exemplo, ex loco adiunctorum, hoc est, à factis, sed antegreßis. Illa autem ipsa præcurrentia facta cum gloria, atq; dignitate fuerunt coniuncta. Vndè concludit, eum debere constanter perseuerare in Reipub. administratione, & procuratione, eamq; laudem & gloriam esse subsecuturam. Iam uerò grauißimã addit rationem, qua animũ illi addit, & fidu-

Exemplum τῆς παραθαῤῥωτικῆς ἐπιστολῆς.

ciam gignit. Etenim pulcherrima, & grauißima utitur
γνωμολογίᾳ, sententia generali, non sine acclamatione,
seu Epiphonemate, quam utramq; applicat ad perso-
nam amici Primum enim inquit: Etenim numen diui-
num, uel ipse Deus omnibus piè, rectéq; uiuentibus sem-
per præstò est. Huius epistolij, uel ὑποθέσεως ἐπιστολικῆς,
nullum principium est, nulla etiam conclusio, ut nec su-
perioris fuit argumenti. Sed confirmatio delineata est,
propositione παραινετικῇ, ratione ὑποθετικῇ, confirma-
tione rationis θετικῇ. illa enim finitæ quæstionis sen-
tentiam continet, hæc infinitæ: propter σεμνὴν, καὶ
θεολογικὴν γνωμολογίαν. Consolationi admodum est
affinis παραθαῤῥυντικὴ ἐπιστολὴ, eximit metum, &
contrarium affert motum. τὸ θάῤῥος, fiduciam, graui-
bus sententijs animum confirmantibus, à diuini nu-
minis beneuolentia: & eiusdem præsen-
tis opitulatione, atq; auxilio, ἀπὸ
τῆς τοῦ θείου εὐμενείας τε,
καὶ παραστά-
σεως.

De

DE TRACTATIONE SENTENTIARVM, IN SVASORIO, & cohortatorio literarum genere.

CAPVT. VI.

HActenus fontes aperuimus sententiarum, quibus ueluti calcar, & stimulum addimus ei, cuius suasores, & consultores fuimus. Restat ἡ ἐργασία, tractatio illarum sententiarum. Ergo primùm de illarum, quæ nominantur ἔννοιαι κινητικαὶ, ὁρμητικαὶ, καὶ ὀρεκτικαὶ, tractatione dicemus. Ac principem locum occupant, in hac literarum, quibus suademus, & cohortamur, forma, illæ sententiæ: quæ spem faciunt ei, ad quẽ scribimus, & propterea à nonnullis nominantur ἐλπιστικαὶ ἔννοιαι. Omnis harum tractatio consumitur ἐν τῇ ἐπαγγελίᾳ ἢ ὑποσχέσει, promißione, atq; pollicitatione, & motum habet τὸ θάῤῥος, fiduciam. Ac sanè, ut in deterrendo metus obiectus, propter instans periculum, facile alienat animum à re quadam ardua, plenaq; periculi suscipienda, & aggredienda, sic præmiorum spes inuitat, & excitat animos, eosq; etiam confirmat, ne rerum arduarum difficultate aut frangantur, aut deterreantur. Simplex autem tractatio est propositorum præmiorum, tanquam mercedis cuiusdam uirtutis propositæ, fortitudinis illius scilicet, ad quem scribimus. Habet igitur tota tractatio breuem illarum utilitatum, de

quibus in confirmatione diximus, tanquam summam: quam Cicero solet uelut in conspectum ponere, non sine amplificatione. Etenim hæc pars est, ἐπιλογικὴ, fungens conclusionis loco, in epistola suasoris. Et apud Græcos est κεφαλαιωδῶς λέγειν, in extrema epistolæ grauioris parte: cum paucis uerbis in memoriam reuocamus præcipua argumentorum capita: sed ita: ut animis incensis, & inflammatis, ἐνεργείᾳ, rei euidentia, tanquam in conspectu propositæ, & exaggeratæ, uehementius etiam impellamus ultrò currentem. Huius uerò pollicitationis diuersæ sunt res, tanquam præmia constituta. Ac nos Christiani, in negocijs ueræ religionis, etiam uera, & certa proponimus præmia: τὴν ἀθανασίαν, μακαριότητα, καὶ βίον αἰώνιον μετὰ τὴν τῶν σωμάτων ἀνάστασιν: immortalitatem, & beatitudinem, sempiternamq; uitam. Sed in humanis rebus, quæ ad caducam proprie pertinent uitam, proponimus (ut Cicero plærunque, homines etiam alij, Latini, & Græci uidelicet epistolarum scriptores proponunt) primùm decus, gloriam, & honores: quæ ἀγαθὰ dicuntur τίμια, honorata bona. Deinde opes, atq; copias, aut ad minimum diuitias, aliaq; emolumenta: quæ ἀγαθὰ dicuntur χρήσιμα: aut uoluptates, tranquillitatem, pacem, atq; otium: quæ nominantur ἡδέα ἀγαθὰ, & ἀσφαλῆ, iucunda, & tuta bona. Ac primùm genus, quod diuinum est, ac potißimum pijs, & religiosis hominibus, hoc est, Christianis, cæteris omnibus posthabitis, semper propositum est. Cætera bona, sed superioribus non neglectis, possunt habere secundum locum,

Τὰ τίμια ἀγαθὰ.

Τὰ χρήσιμα ἀγαθὰ.

Τὰ ἡδέα ἀγαθά.

cum, & gradum. Ergo ambitioso proponemus decus, laudem immortalem, gloriam æternam, honores nunquam interituros. Auaro obijciemus opes, & pecuniã: & quæcunq; etiam sordida compendia Iam uerò hominibus delicatis, & uoluptati deditis, (qui ab Aristotele in Ethicis nominantur ἀπολαυστικοὶ) proponemus tanquam escam malorum, δέλεαρ τῶν κακῶν, τὴν ἡδονὴν, uoluptatem. Quanquam senes suas etiam habent honestas uoluptates: animi scilicet, & mentis: quæ in tranquillitate consistunt, & in meditatione diuinarum rerũ, & sapientiæ contemplatione. Veruntamen senibus illis tanquam meticulosis, & ineptis ad arma capienda, etiã proponemus uitæ tutam rationem, otium, & pacem.

Φιλότιμοι.

Φιλάργυροι.

Ἀπολαυστικοὶ, καὶ φιλήδονοι.

TRACTATIO SENTENTIARVM, quæ à Græcis nominantur φοβερὰ, quæ metum incutiunt.

SVperioribus sententijs hæ contrariæ sunt: & pertinent ad deterrendum quendam. Nam etiam peracre calcar habet ad aduersandum, & declinandũ incommodum, obiectus metus instantis periculi: & quicquid est incommodorum: quæ nobis officere, et obstare possent. Græci omnia eiusmodi incommoda nominant, τὰ κακὰ, καὶ βλαβερά. Verùm enimuerò quadripartita est, quemadmodum apud Ciceronem possumus animaduertere, horum tractatio, & expolitio. Nam prima pars est ἔνδειξις τῶν κακῶν, significatio, & indica-

tio istorum malorum: quæ sunt secutura, si faciat: altera pars est μείωσις τῆς δυσχερείας, extenuatio difficultatis: tertia est ἀντεξέτασις, contentio: postrema pars ἀντίθεσις, comparatio est, & altera contentio contrariorum. Omnes hæ partes diriguntur ad eundem ueluti scopum, & finem, qui à Græcis nominatur ἔκπληξις, uel κατάπληξις, territatio, qua solemus aliquem à capto consilio deterrere: sed grauiter & cum authoritate. Quantum ad primam tractationis partem attinet: quæ habet ἔνδειξιν τῶν ἐκβησομένων κακῶν, euentuum denunciationẽ: sciendum est, in scriptoribus epistolarum, non omnium incommodorum conglobationem fieri: nisi in grauißimis epistolis: quæ libri magis dici possunt. Ibi enim omnium, aut præcipuorum incommodorum ueluti summam, paucis, sed non sine αὐξήσει, exaggeratione, non etiam sine suffiguratione, διατυπώσει, complectitur. Quinq; uerò res cumulari debent: si epistola earum capax futura est: aut aliquæ res ex his quinq; breuiter pro poni grauibus uerbis, & uehementibus sententijs. Primũ igitur in rebus, quæ ad uitam pertinent æternam, & ad religionem, eiusq; uel cõfeßionem, uel abnegationẽ, solent eruditi epistolarum scriptores hunc ueluti arietem admouere: qui à Græcis κόλασις dicitur, pœna, atque supplicium, sed æternum: cuiusmodi sunt inferi, & cruciatus sempiterni. In cæteris rebus humanis ad deterrendum eum, ad quem scribimus, proponere solent elegantes uiri, ἀδοξίαν, nominis, & famæ obscuritatẽ, turpitudinem, atq; ignominiam. Deinde πενίαν, paupertatem,

Οἱ εὐδοκιμοῦντες.

tem,et inopiam.Deinde λύπην,dolores, atq; cruciatus: si facinus nefarium committat,ut crucem,& cætera genera suppliciorum. Postremò turbulentis hominibus, et inquietis,& seditiosis proponuntur tumultus,bella quæ consecutura esse denunciamus, nisi à cœpto desistant. Οἱ θορυβοῦντες. Altera pars tractationis, quæ posita est tanquam è regione,in deterrendo,atq; dehortando, est αὔξησις, amplificatio difficultatis,atq; periculi. Sed huic opponitur è contrario ea ratio, quæ est propria cohortationis,& impulsionis:& à Græcis μείωσις appellatur τῆς δυσχερείας. Qua uia,& methodo solemus extenuare,atq; imminuere per depreßionem,ut Rhetores loquuntur,labores,ipsamq; difficultatem. Pars tertia tractationis est ἡ ἀντεξέτασις,contentio,atq; comparatio. Solet enim Cicero plærunq; inter se cōponere πόνον, καὶ τὴν ὠφέλειαν:cum adiungit ἀποβολὴν τῶν κακῶν,euitationē incommodorum,& damnorum. Quarta pars,& postrema huius tractationis est,quæ metum, & spem propositam habet,ἡ ἀντίθεσις,contentio:sed diuersa à superiore proxima: propterea quòd superior ἀντεξέτασις potest fieri citra aduersariæ sententiæ,et cōtrarij cōsilij cōparationem. At uerò hæc ἀντίθεσις à Cic.et ab alijs epistolarū scriptoribus tū instituitur:cum in uno literarū genere,utriusq; contrarijs utimur argumentis. Nam interdum solent illi,in grauioribus negocijs suscipiendis,& conficiendis,inter se artificiosè componere τὰ ἀγαθὰ, καὶ κακὰ,commoda cū incommodis conferendo.Et ut in superiori tractatione,labores extenuantur : parta bo-

na amplificantur: & damna propterea etiam exaggerantur: sic in hac forma, quæ est ἀντιθετική, *diuersa est ratio tractandi, propterea quòd commoda, & utilitates sunt orationis genere dilatandæ: omnes autem incommoditates exaggerandæ, quibuscunq; modis amplificandi. Ergo in enumeratione commodorum, opus est* ὄγκῳ, *uel* ἐπεκτάσει, *dilatatione, si res feret: & aliqua amplitudine orationis, & circumductione. At in commemoratione incommodorum, opus est* αὐξήσει, *exaggeratione: qua ostenditur insequentium malorũ intolerabilis quædam, & ineuitabilis necessitas.*

TRACTATIO SENTENTIARVM QVAE AD IMpellendum pertinent, & cohotandum: cuiusmodi sunt φιλητικαί.

CAPVT. VII.

SEQVVNTVR *alia sententiarum genera, ab amore honesto, à beneuolentia, à necessitudine, & obseruantia: deniq; à pietate, &* στοργῇ: *quæ uehementer mouent, & tanquam peracre calcar addunt etiam ultrò currenti. Sed harum sententiarum est propè simplex tractatio, quæ scilicet fit* κατὰ τὴν ἀνακαίνωσιν τῆς εὐμενείας, καὶ φιλίας, *beneuolentiæ, & amicitiæ renouatione, & quodammodo in memoriam*

reuocatio-

reuocatione per ἀνάμνησιν. Itaq; solent cohortatores in epistolis sœpenumero reuocare, & in memoriam reducere suam beneuolentiam, suum studium, suum amorem, & charitatem: sed non tantum suam, & suorum: uerum etiam eorum ipsorum, quibus consilium dant. Et post animi huius & studij significationem, interdum etiam utuntur αὐξήσει: qua amplificant mutuum amorem, mutuamq; beneuolentiam, & multiplicem necessitudinem. Ergo quemadmodum mutua est ratio amoris inter cohortantem: & eum, cui consilium datur, seu suadetur: ita etiam potest quædam comparatio institui: ut non nuda & solitaria suasio sit, aut cohortatio. Nam quidam sunt pietate, natura nobis insita in patriam, aut parentes, aut cognatos, cæteris συστοργότεροι. Etenim habet suos quosdam gradus: ut omnes uirtutes: quæ in agendo cernũtur: sic etiam animus gratus in benemeritos, & necessitudo in amicos: deniq; obseruantia in uiros aliquos uirtute, et dignitate præstantes, suos ueluti habent gradus. Sunt enim aliqui amantes patriæ: quidam sunt amãtiores: quidam amantissimi sunt patriæ. Eadem ratio est in illa uirtute, quæ non minorem parit illi, qui ea præditus est, amorem: quam Græci συγνωμοσύνην nominãt: posteriores Latini gratitudinem. At in amicos, & necessarios nostros, ἡ ἐπιτηδειότης, necessitudo, magna sane sumit incrementa. Postrema ipsa θεραπεία, quæ obseruantia est debita uiris præstantibus doctrina, uirtute, atq; dignitate, seu amplitudine. Præcipuè uerò etiam ijs, qui religionis puræ laudem habent, & uerum testimonium. Huius

inquam uirtutis non ſunt gradus pauci, nec etiam humiles.

TRACTATIO SENTENTIARVM, quæ pertinent ad odium: & nominantur μισητικὰ ἔννοιαι.

HArum ſententiarum, quæ odium, et atrocitatem oſtendunt noſtrorum aduerſariorum, bipartita eſt tractatio. Quarum prima eſt αὐξητικὴ, altera ἀντεξεταστική. Primum igitur ſœpè fit, ut ſuaſores, & cohortatores per epiſtolas exaggerent odium, & atrocitatem in eos: contra quos bellum ſuſcipiendum eſt: uel aliqua alia grauior mouenda controuerſia. Atq; hæc pars refertur propriè ad illam epiſtolam: quam ſupra nominauimus παροξυντικήν. Deinde altera pars ἀντεξέτασις, contentio eſt, qua componimus utriuſque partis ſententias: amicorum beneuolentiam & gratiam: & inimicorum odium, atq; infeſtas rationes. Huiuſmodi exempla apud Ciceronem, & alios epiſtolarum ſcriptores reperiuntur: & eiuſmodi ſententiæ παροξυντικαὶ: animum fortem quidem, ſed interdum languidiorem excitantes, & ueluti extimulantes. Quando tales inſtituunt ἀντεξέτασιν: pro coniugibus, & liberis: & ipſa patria, animum ſumendum eſſe: & nullum omnino laborem, & periculum ſubterfugiendum uiro forti: præſertim contra hoſtem, eumq́; acerrimum, atq; inſidiatorem, tanquam parricidam. Cicero creber eſt in illis ſententijs, quaſi inculcandis, pro ſocijs, nullum non bellum

esse suscipiendum, atq; administrandum, contra infestos hostes. Sed illæ non minus sunt infrequentes apud Ciceronem: quando pro amico suadet dimicandum esse, contra maledicum aliquem calumniatorem: quem Græci Sycophantam nominant. Etenim aduersus istiusmodi homines, quos Cicero nominat maledicentissimos, est agendum: si absentes sint, legitima defensione: quæ fit scripto: præsertim si priuata sit alicui facta iniuria. Sin res est publica, potest interdum etiam pro amicis in curia institui, & iudicio ordinario (ut Iureconsulti loquuntur) exequutio committi secundum leges. Verùm enimuerò maximum, & acerrimum calcar est, & maximam etiã inijcit solicitudinem ei, ad quem scribimus, ista grauissima contentio: qua argumentis euidentibus, in suasionis confirmatione, docuimus, ueram religionem esse defendendam aduersus superstitiones, & falsas opiniones. Ex his sententijs rerum contrariarum existit, in ipsa παραινέσει ἐπιλογικῇ, hæc orationis grauitas, in amplificando posita: qua inflammatis animis fortium uirorum, quos etiam cultus Dei excitat, ut non uelint tantùm, sed audeãt etiam, non uitam modò profundere, si res postulet: sed etiam res sibi longè charissimas amittere: ut sunt, coniũx, liberi, cognati, affines, amici, necessarij.

TRACTATIO SENTENTIArum commiserationis.

IAm uerò sententiarum, quibus animus etiam fortissimorum uirorum ad misericordiam cõmouetur, est pulcherrima

cherrima tractatio. Græci tales sententias nominant ἐλεοποιητικὰς, & ἐλεεινὰς. Sed harum tractatio est bipartita. Nam mouetur animus hominis ad misericordiam, primum τῇ ἐνδείξει, hoc est, indicatione rerum miserabilium: quæ uocantur πράγματα ἐλεεινά: primum amicorum, si & solitudinem, & inopiam, et luctum, et squalorem grauibus uerbis demonstramus: sed per ἀντίθεσιν, contentionem, longè fit grauior ista commiseratio: quando indicamus inimicorum nostrorum, & maximè illius, de quo scribimus, potentiam intolerabilem: ferociam pertimescendam: audaciam, & insolentiam omni ratione reprimendam. Sic enim τὰ ἐναντία πάθη, contrarij animi motus inter se artificiosè committuntur. Etenim misericordiæ odium, et inuidia, commendationi criminatio τεχνικῶς opponitur. Altera tractatio commiserationis habet αὔξησιν, non ἀντιθετικὴν, ut illa fuit superior, sed ἐμπερίστατον. Non quòd omnibus circumstantijs hæc constet exaggeratio: sed quòd grauius tamẽ excitet misericordiam, κατὰ τὴν ὑπογραφὴν, descriptione: quam Aristoteles ad Alexandrum Magnũ nominat πρόῤῥησιν consequentis temporis, hoc est, impendentium periculorum, & incommodorum omnis generis: nisi res ardua suscipiatur, & geratur. Habet igitur ista ὑπογραφικὴ descriptio quandam ἔκπληξιν, territationem. Nam per hanc ἔκβασιν, quandam ueluti imaginem consequentis temporis γραφικῶς repræsentamus. Apud Ciceronem ista ἔκβασις, euentus, plerunq; solet tractari, per ὑπόθεσιν, conditione aliqua: sed illa est διλημματικὴ, constãs comple-

complexione. Ostendit enim quot, & quanta commoda sint consecutura: si hoc negocium suscipiamus, & administremus, maximè uerò si illud ipsum conficiamus: sin negligamus, contrà, quot, et quanta incommoda sint subsecutura. Huc accedit postrema tractatio, quæ est suasionum, & cohortationum, & methodi, hoc est, sententiæ conformationis, ut est προσωποποιΐα. Hac enim ipsa euidentißima exornatione tanquam acerrimo stimulo excitamur etiam ignauißimi: qua rebus, de quibus scribimus, non solùm tribuimus sermonem conuenientem: uerum etiam motus congruentes: nimirum parentibus, aut nostræ toti familiæ: maius etiam calcar addunt, aut non minus: si templa loquentia introducamus, aut mœnia, aut sepulchra: deniq; si mortuis quasi è monumento excitatis per εἰδωλοποιΐαν, sermonem attribuamus. ut Cicero pro M. Cælio inducit Cl. Appium Cæcum.

TRACTATIO SENTENTIARVM QVAE MOuent, atque impellunt animos eorum, ad quos scribimus, sumptarum ab expectatione amicorum, & necessariorum eorum ad quos scribimus.

CAPVT VIII.

AD causas impellentes pertinent illæ quoq; rationes, seu προτάσεις: ab amicorum, uel etiam maleuolorum

uolorum hominum expectatione. Hæc enim προσδοκίας est διμερὴς, uidelicet, quantùm pertinet ad ipſos expectantes de nobis aliquid uel boni, uel mali. Quæcunque autem huius ſunt generis ſententiæ, uerſantur in triplici quadam tractatione. Nam uel habent αὔξησιν, uel μετάστασιν, uel ἀπόδειξιν. tractantur enim amplificatione, aut translatione. Eſt autem πηλικότης (ut Hermog. loquitur) amplificandi quædam certa forma, eaq́; bipartita in hoc genere cohortationis, nam altera eſt ἀόριστος, infinita, & generalis: altera eſt ὡρισμένη, definita. uelutì nominatim expreſſas perſonas continens. Ergo ſolet non tantùm Cicero, uerùm etiam alij ſcriptores epiſtolarum, qui nominantur προτρεπτικοὶ, & παραινετικοὶ, primùm infinitè oſtendere: quanta ſit illius, quem hortantur, uirtutis expectatio, eaq́; non ſolùm priuata, ſed etiam publica. Deinde illi oſtendunt expreſſis uerbis illorum, qui benè ſperant, & omnia ſibi pollicentur, de ipſius uirtute: quantum ſit iudicium: & quanta etiam authoritas: quàm magni ipſe ab his fiat: quorum cauſa uelle, & facere omnia debere uideatur. Locus alter tractationis eſt μετάστασις, translatio: qua utimur: cum non illius ſolùm intereſſe, ſed etiam omnium neceſſariorum eius, & poſterorum, & noſtrorum dicimus: in quos ſanè ea laus, & gloria ſit redundatura. Tertia ratio tractandi habet ἀπόδειξιν: quæ fit argumentis. Hac ἀποδείξει, ſolent ſcriptores epiſtolarum, & omninò omnes oratores, in hoc genere cauſarum, iſtam expectationem probabiliorem reddere duplici genere argumentorum:

quorum

[Margin notes: Αὔξησις, καὶ πηλικότης. — Μετάστασις. — Ἀπόδειξις.]

quorum primum eſt τῶν ἀτέχνων, diuinorum teſtimoniorum: μαρτυριῶν θείων, cuiuſmodi inter alia ſunt omina, ſomnia, & uaticinia; cuiuſmodi etiam ſunt τὰ ἔντεχνα, inſita: ad quæ perſonarum & cæterarum attributionum pertinent conſiderationes, & notationes. Ergo Cicero frequenter ſumit cohortationem, à loco aliquo celebri, item à perſonarum (quas uocant) circumſtantijs. Cuiuſmodi eſt ingenium palàm ſpectatum, & natura, atq; indoles probè perſpecta, & cognita: cuiuſmodi etiam eſt generis claritas, educatio, atq; diſciplina: denique ut ſunt res anteactæ: item dicta, atq; promiſſa. Attributa perſonis.

TRACTATIO SENTENTIARVM, quæ ab inimicorum expectatione ducuntur.

HArum ſententiarum bipartita eſt tractatio. Pars enim prima habet αὔξησιν, amplificationē: pars altera continet διατύπωσιν, deſcriptionem euidentem. Amplificatio aūt in hoc genere eſt rurſus bipartita: una ἀόριστος, infinita, & generalis: altera ὡρισμένη definita, & quodāmodo nominatim facta. Generatim fit iſta exaggeratio, quando expectationē, et ſtudia inimicorum, maleuolorum, et inuidorum hominum: interdū ſolemus θετικῶς, ueluti quæſtiōe infinita, amplificare. Deinde quādo nominib. ſuis aliquos dicimus eſſe: et eos nos rectè nouiſſe: qui præter cæteros æmulos ipſi infeſti maximè ſint. Sed illud ferè ſolet ſubiecta ἀφηγήσει cō probari, et ſanè maximā ἐνέργειαν habet, hoc eſt, ualdè efficax Αὔξησις bipartita.

efficax eſt ad cohortandum, & impellendum amicum: ſi paucis expoſuerimus στοχαστικῶς: quidnam illi alicubi dixerint odioſè, & inuidioſè: et quid aliquando fecerint inimicè, & ut ille ait, animo gladiatorio. Altera tractationis pars continet διατύπωσιν. Nam ſolent ſcriptores non rarò ob oculos ponere inuidorum hominum ſtudia, & conatus. Quemadmodum illi, gloria noſtra, quos cohortamur, excrucientur: præſertim ſi res nobis fœliciter ceſſerit, præter ipſorum uoluntatem, ſpem, atq; expectationem. Inſolentem enim dicimus futuram eſſe eorum lætitiam: ſi noſtra de ipſo nos fallat ſpes. Dicemus, eoſdem magnis quibuſdam conſpirationibus cum noſtro, et noſtrorum ſummo pudore, ipſum quaſi ex theatro quodam frequentiſsimo, & altiſsimo exploſuros.

Διατύπωσις.

TRACTATIO SENTENTIARVM EARVM, QVAE SVperioribus affines ſunt, & proximæ: & petuntur ab æmulatione, atque inuidia.

CAPVT IX.

HARVM ſententiarum tractatio ſeptem partibus conſtat: quarum prima habet γνωμολογίαν, ſententiam generalem: altera αὔξησιν ὑποτυπωτικὴν, amplificationem, quæ rem ante oculos conſtituit: tertia πρόληψιν αἰτιολογικὴν, occupationem: quæ

quæ causas illius exaggerationis explicat: quarta παραίνεσιν, cohortationem: quinta ἐλάττωσιν, uel μείωσιν, extenuationem. Sexta, alteram γνωμολογίαν. Septima, et postrema alteram παραίνεσιν. Græci ζῆλον nominant, καὶ φθόνον. Sed differunt tamen, quod ζῆλος æmulatio, non est odiosa inuidia: quasi inuideas alterius rebus secundis: sed est tamen inuidia: ueruntamen cũ uirtute coniuncta, uirtuti alterius non inuidens: sed uirtutem alterius, laudabili industria, imitans. Ideoq; æmulatio generosi pectoris est quædam uirtus, extimulans ab ignauia hominem ad industriam, atq; uirtutem. Prima igitur pars tractationis continet γνωμολογίαν. Nam interspergemus has præclaras sententias ex media philosophia morali petitas: Gloriosum esse, quàm plurimos antecellere: etsi maxima pericula sint suscipienda, pro tanta nominis celebritate. Contrà, turpissimum esse dicemus: in huiusmodi pari contentione, atq; certamine superari. Id, quod etiam exemplis, si opus esset, demonstrari posset. Altera pars huius tractationis istarum sententiarum habet αὔξησιν, sed ὑποτυπωτικὴν. Hac enim amplificatione, ante oculos solemus ponere quodammodo, æmulorum, hoc est, contrà certantium uirtutem: Et post hanc, ea, quæ primarium sibi locum uendicant, quæ cum uirtute coniuncta sunt, ut sunt, studium, & conatus: itẽ, quæ hunc adiuuant: ut opes, & facultates: item quæ eundem etiam comitãtur: ut, laus, honos, gloria, atq; gratia. Deniq; hac αὐξήσει, solemus æmulorum etiam ante oculos ponere improbitatem, atq; malitiam. Sed quoniam hæc

Ζῆλος, καὶ φθόνος.

Γνωμολογία.

Κοιναὶ ποιότητες, καὶ θέσεις.

Αὔξησις, ὑποτυπώσει.

amplificatio multò maxima ex parte continet laudē contra certantium: idcirco iſtud eſt παράγγελμα, ſiue præceptum diligenter cuſtodiendum: ne æmulorum laudem nimium exaggeremus: quod fortaſſe eius, ad quem ſcribimus, uel, quem cohortamur, animum ad deſperationē hac ratione adigere queat. Ergo hic locum habebit illud, τὰ χαλεπὰ, ἢ τὰ δύσκολα καλά. Quicquid enim eſt arduum: illud eſt pulchrum, atq; honeſtum. Et propterea omne difficile eſt laudabile. Quamobrem animum ſumet is, quem cohortamur: & eum contra difficultatē rei confirmabimus. Intelliget enim tantò fore laudabiliorem conatum, & uictoriam glorioſiorem: quantò ij, quibus cum certatum fuerit, uirtute, & gloria præcelluerunt. Tertia tractationis pars continet πρόληψιν ἀντιλογικὴν, occupationē: qua cauſas reddemus ſuperioris rationis. Etenim dicemus, æmulos illum, quem cohortamur, nonnihil uiciſſe, ſed non induſtria, & uirtute, ſed partim fortuna, partim ipſius quodam remiſsiore ſtudio, hoc eſt, ignauia, & negligentia. Quarta pars habet παραίνεσιν. nam hortabimur amicum: ut diligentius enitatur: quò induſtria ſua id, quod fortunæ ui, ſeu culpa accepit incommodi, ſarciat, atq; compenſet: et ardentiore ſtudio uincat id: quod negligentia ſua uidetur contraxiſſe: & huius ipſum pudeat. Quinta pars eſt ſecundæ contraria: habet enim ἐλάττωσιν, uel μείωσιν, extenuationē, atq; imminutionem. Etenim, ut ἀπὸ τοῦ ῥᾳδίου, à facili, eius animum erigamus, artificioſè proferemus, per extenuationem, uel diminutionem, illius æmulorum non ſolum

Πρόληψις ἀντιλογική.

Παραίνεσις.

Ελάττωσις, ἢ μείωσις.

lum ignauiam, & inscitiam: sed etiam imbecillitatē, atq; inopiam. Sed hic etiam παράγγελμα contrarium est tenendum. Hanc enim eleuationem eorum, qui contra illū certant, & contendunt, ita debemus moderari: ne eum, quem cohortabimur, securiorem, atq; segniorem reddamus. Ergo hac ratione, facilem fore istam uictoriam, ostendemus: quam pollicemur: ueruntamē eum ipsum metu aliquo in officio continebimus: ne remißius agat: præsertim cum incerti sint, & ancipites omnium rerum humanarum euentus, atq; exitus. Sexta pars est γνωμολογική, & pertinet ad caput illud, quod dicitur τὸ αἰσχρὸν, turpe. Etenim dicemus longè turpißimum esse, ab ignauis æmulis nos certamine superari. Septima & postrema pars est, cum quarta propè eadem: quia habet παραίνεσιν, & refertur ad τὸ ἔνδοξον, ad gloriam, Hortamur enim nostrum (id quod Cicero crebrò facit) ut iam non cum alijs certet: sed secum ipse contendat: & seipsum uincat, industria, constantia, atque fortitudine, quam uictoriam Cicero, Platonem secutus, præclarißimam esse dicit.

Γνωμολογία.

Παραίνεσις.

Εαυτὸν νικᾷν μεγίστη νίκη.

DE SENTENTIARVM, quæ à laude ducuntur, tractatione.

CAPVT X

HActenus de sententijs, quæ trahuntur à causis impellētibus: restāt, quæ sumūtur nō modò ex hoc

causarum genere: uerum etiam à causis, quas Dialectici nominant τελικὰς, finales: ut sunt, laus, honos, & gloria: præter utilitatem honestam. Nihil enim cuiquã suademus: & ad nullam rem alterum cohortamur: quæ nõ uideatur illi fructuosa, atq; utilis. Deinde supra dictum est, hanc non solùm acre calcar addere ei, cui sumus hortatores ad rem præclaram suscipiendam: sed etiam laudem, & gloriam, nominis decus, atq; ornamentum, gratiam, & splendorem familiæ, & quasi ipsam immortalitatem. Itaque istos propositos honores Aristoteles uocat τίμια ἀγαθὰ: Et Rhetores laudabile in deliberatiuõ genere non prætereunt. Quemadmodum etiam ἔνδοξον gloriosum ijs, qui cupidi sunt gloriæ, tanquam mercedem, & præmium uirtutis proponunt: Atq; hæc tractantur simplici ratione, nempe ὑποχέσει, pollicitatione. Quanquam Cicero etiam interdum adhibet σύγκρισιν, & ἀντίστασιν. Et quanquam hic locus (ut breuiter dicemus) est τοῦ τέλους: tamen ad impellentes causas referri potest: id quod Cicero in Topicis, & partitionibus Oratorijs indicauit. Sed hic consideranda paucis est bipartita laus. Est enim omnis ἔπαινος, aut τοῦ πράγματος, rei, aut τοῦ προσώπου, personæ: rei quidem laudatione, & commendatione, hoc est, συστάσει τοῦ πράγματος, eum, quem hortamur, excitabimus: sed dicemus rem esse non modò gloriosam, ἔνδοξον: uerum etiam, piam, seu cum religione coniunctam: item magnificam: & ut uno uerbo dicam, nouam, raram, & hucusque à nemine tentatam: & ut Græci dicunt: ὅτι ἔνδοξον, ὅσιον, μεγαλοπρεπές,

Τελικὰ αἴτια.

Τὰ τίμια ἀγαθά.

λοπρεπὲς, σπάνιον, κοινὸν, δυσχερὲς, & ἀνεπιχείρητον. Personæ autem collaudatio in exhortando plurimũ habet momenti. Cæterum hæc tractatio sex partium est: Quarum prima continet ἐπέκτασιν, dilatationem: altera ἔπαινον, laudationem: tertia παραίνεσιν, exhortationem: quarta σύγκρισιν, comparationem: quinta rursus ἔπαινον, laudem, sed cõiunctam cum amplificatione: sexta, & postrema pars continet παραίνεσιν, hortationem. Partes huius tractationis.

Quantum igitur ad ἐπέκτασιν pertinet: uidemus, Ciceronem sæpe artificiosè eius, quem hortatur, res gestas dilatare, & amplificare: non solùm à circumstantijs: uerumetiam ab augendi modis. A circumstantijs dilatat res gestas: ut sunt, persona, tempus, locus, ipsarum item gestarum rerum difficultas. Modi autem amplificandi sunt inter cæteros præcipui: collatio & fictio, ἀντεξέτασις, & πλάσις. 1. Ἐπέκτασις. Dilatatio ab attributionib. personarum, ac rerum. Modi τῆς αὐξήσεως.

Altera huius tractationis pars est ἔπαινος, laudatio personæ eius, quẽ cohortamur, & cõfirmamus in suscepto negocio. Ergo in hac tractatione utimur uerbis, ut Cicero præcipit, in illustri genere dicendi, superlatis. Nam magnificè efferemus illius laudes superiorũ, scilicet annorum, seu temporum, & rerum gestarum: quas ob res ab omnibus uno ore, quasi in cœlum efferatur. 2. Ἔπαινος.

Itaq; post ἔπαινον, sequetur tertia pars tractationis huius: qua hortabimur ab antecedẽtibus: ut quæ pulcherrimè adhuc perfecit, in hoc uirtutis laudatißimo gradu: eadem pari, uel etiam maiore animi magnitudine, seu industria, pergat porrò ad laudatũ, gloriosioremq; finẽ perducere. Etenim, ut magna uirtus est, aliquid strenuè, & 3. Παραίνεσις.

fortiter, atq; feliciter incipere: quod perhonorificum, et gloriosum est: sic etiam multò laudabilius est, & cũ maiore gloria coniunctum: in præclarißimæ rei alicuius susceptæ progressu, eadem, aut maiore industria pergere, & ueluti extremam manum imponere, ad laudatißimi operis suscepti, & cõtinuati perfectionem. Quarta pars tractationis in laudatione personæ est, ut diximus, σύγκρισις, cõparatio, non personarũ, sed argumentorũ. Dicemus enim, non esse tam difficile, atq; arduũ, quod suademus: et ad quod ipsum cohortamur, quàm necessariũ, ad illam laudem atq; gloriam tuendam, quam hactenus sua uirtute sibi cõparauit. Quinta sequitur cohortationis tractatio, quæ habet (ut diximus) ἔπαινον, ut secunda illa superior. Sed differt ab illa: propterea quòd superior habuit superlata uerba, à testimonio publico. Hæc autem laudatio nõ nititur testimonio publico, hoc est, famæ, atq; rumori uulgi, aut etiam bonorum uirorum: sed est ἔντεχνος, hoc est, non assumpta extrinsecus, sed ex ipsa quasi persona, qua de agitur, orta. Itaq; laude excitabimus nostrum amicum: ut non cepto desistat: sed maiore industria pergat. Hic extollemus ea, quæ sunt personæ ipsius attributa, ex loco adiunctorum: cuius generis sunt familiæ claritas, εὐγένεια, nobilitas, & ἀξία, dignitas, in imperij alicuius, aut potestatis, aut honoris administratione, et functione. Huc etiam pertinent fortunæ bona: quibus si affluat: erit spes, eum posse præstare, & ad optimũ finem perducere, quod instituit: nimirũ, propter diuitias, opes, facultates, et copias. Iam, ab ingenio etiã laudis amplifica-

4. Σύγκρισις.

5. Ἔπαινος, ἢ αἴνεσις ἢ ἀλου-τόρα.

plificationem petemus, hoc est, à solertia, & sagacitate, acumine, & memoria. Huc percommodè accommodabimus rerum usum, & prudentiam: & propterea etiam ætatem, uirium etiam, & roboris, atq; ualetudinis non obliuiscemur. Sexta et postrema tractationis huius pars 6. Παραίνεσις est alia παραίνεσις. Nam ad extremum non possumus a- ἡ δευτέρα. crius ueluti calcar addere: quàm istam cohortationem: qua monemus eum etiam, atq; etiam: & rogamus, atque obsecramus, si ita res ferat: ne quid his, de quibus dixi- Δέησις. mus, quæ ad laudem & gloriam maximè pertinere uidentur, indignum admittat. Hactenus de sententijs, quæ ex locis causarum, & adiunctorum solent in hoc genere epistolarum peti, & de earum etiam sententiarũ tractatione à nobis dictum est. Restat adhuc unus locus, qui Locus exem- est exemplorum; nam exemplis tanquam acerrimis sti- plorum, πί- mulis solent etiam ignauißimi quiq; excitari. Sed ut in στις παραδει- Rhetoricis præcipitur, primum uarietatem, deinde col- γματικὴ, καὶ locationem, atq; ordinem, postremò tractationem opor παραδειγμα- tet considerare. Itaq; scripturo epistolam aliquam cohor τώδης. tatoriam, ante declamationẽ, aut orationẽ uel suasoriã, uel hortatoriã hæc tria obseruanda sunt; ποικιλία τῶν παραδειγμάτων, τάξις, & ἐργασία. Quantum ad uarie Ποικιλία τῶν tatem pertinet exemplorum; etsi delectum debemus ha- παραδειγμά bere, in magna copia, illustriũ exemplorum; tamen ex il τωv. lorum numero depromenda sunt cum uetusta, tum recentia: item, cum peregrina, tum domestica, scilicet, nostræ ciuitatis, uel etiam nationis. Et in nostris comparatio institui potest inter exempla uicina, & remotiora:

item inter nostræ familiæ exempla, & inter peregrina, atque aliena potest fieri quædam contentio. Ordo autem, & collocatio potest institui pro causæ necessitate, & scribentis arbitrio. Sæpè enim magis mouent nos peregrina, & externa, exempla præsertim in Theologicis materijs: & etiam uetusta maiorem uim habent ad nos excitandos, quàm recentia, & noua. Domestica tamen, & uicina acrius admouent calcar: quàm remotiora, & non domestica. Sed in uarietate ista exemplorum, non negligenda etiam sunt fabulosa exēpla. Minus prætermiri debent illustrium uirorum graues sententiæ. Ad quod genus pertinent non tantum Philosophorum παράδοξα, placita: uerum etiam prouerbia trita, & peruulgata. Pulcherrimæ etiam allegoriæ, & parabolæ huius sunt generis. Sed huc debent etiam congruenter applicari, aptæ similitudines: quæ sæpenumerò habent uim authoritatis, atque testimonij.

Exempla fabulosa.

Illustrium uirorum graues sententiæ.

EXEMPLVM EPISTOLAE cohortatoriæ: quæ est Ciceronis ad Q. Fratrem, post longam suasionem, atque commonitionem.

CAPVT XI.

ANtequā suasionis, et cohortatiōis exēpla ex Cicerone petita subijciamus: operæpretium esse uidetur,

tur, propter superiorũ sententiarũ ἐργασίαν, atq; tractationẽ, hoc in loco proponere pulcherrimũ exemplũ Ciceronis ad Quint. Fratrem, quod Erasmo Roterodamo cumprimis placuit: propterea quòd superiorum sententiarum, & earundem tractationis lucem adfert. Etenim ipsa epistola, quæ, ut Demetrius scribit, quia modum excedit epistolarum sua prolixitate, liber potius haberi debe, eamq; ob causam prætermittemus prolixum exordium suasionis, etiam cohortationem multiplicem, & uariam, προτροπὴν, & νουθέτησιν. M. igitur Cicero ad suum fratrem Quintum, sub finem suasionis, & monitionis, sic scribit.

QVapropter incumbe toto animo, & studio omni, in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuæ fidei, potestatiq́; S.P.Q.R. commisit, & credidit, diligas, & omni ratione tueare, ut esse quàm beatissimos velis. Quod si te sors Aphris, aut Hispanis, aut Gallis præfecisset, immanibus, ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuæ, consulere eorum commodis, & utilitati, salutiq́; servire. Cum verò ei generi hominum præsimus: non modo in quo ipsa sit, sed etiam à quo ad alios pervenisse putetur humanitas, certè etiam eã ijs potissimum tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc iam dicere pudebit, præsertim in ea vita, atq́; ijs rebus gestis, in quibus non potest residere inertiæ, aut levi-

Πρότασις τῆς παραινέσεως.

Κατασκευὴ κατὰ σύγκρισιν ἢ ἀντίθεσιν ἐξ ὑποθέσεως.

Ἐπικατασκευὴ, ἠθικὴ ἐξομολογήσει.

tatis ulla ſuſpicio, nos ea, quæ conſecuti ſumus his ſtudijs, & artibus eſſe adeptos, quæ ſint nobis Græciæ monimentis, diſciplinisq; traditæ. Quare præter communem fidem, quę omnibus debetur, præterea nos iſti hominum generi præcipuè debere videmur, ut quorum præceptis ſimus eruditi: apud eos ipſos, quod ab ijs didicerimus, velimus expromere. Atq; ille quidem princeps ingenij, & doctrinæ Plato, tum denique fore beatas reſp. putavit, ſi aut docti, aut ſapientes homines eas regere cepiſſent, aut qui regerent, omne ſuum ſtudiũ in doctrina, ac ſapientia collocaſſent. Hanc coniunctionem, videlicet poteſtatis, & ſapientiæ, ſaluti cenſuit civitatibus eſſe poſſe. quod fortaſſe aliquando univerſæ reipub. noſtræ, nunc quidem profecto iſti provinciæ contingit, ut is in ea ſummam poteſtatem haberet: cui in doctrina, cui in virtute, atq; humanitate percipienda, plurimum à pueritia ſtudij fuiſſet, & temporis. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum acceſſit, idem ad ſalutem Aſiæ prorogatus eſſe videatur. quoniam in te retinendo fuit Aſia felicior, quàm nos in deducendo, perfice, ut lætitia provinciæ, deſiderium noſtrum leniatur. Etenim, ſi in promerendo, ut tibi tanti honores haberentur, quanti, haud ſcio, an nemini, fuiſti omnium diligentiſſimus, multò maiorem in his honoribus tuendis, adhibere diligentiam debes. Et quidem

Ἀπόδοσις.

Ἐπεξεργασία ἐκ τοῦ κρίματος.

Ἐπίκρισις.

Τὸ ἐγκωμιαστικόν. συγχαριστία.

Ἐπιφορά.

Ἐκ τῶν ἐναντίων.

Κατασκευὴ τῆς προτάσεως, ἐκ τοῦ ἐλάσσονος.

dem de isto genere honorum quid sentirē, scripsi ad te ante. semper eos putavi, si vulgares essent, vileis, si temporis causa constituerentur, leveis, si vero (id, quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam multam tibi in his honoribus tuendis operam esse ponendam. Quare, quoniam in istis urbibus, cum summo imperio, & potestate versaris, in quibus tuas virtutes cōsecratas, & in deorū numero collocatas vides, in omnibus rebus, quas statues, quas decernes, quas ages, quid tantis hominum opinionibus, tantis de te iudicijs, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit eiusmodi, ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum: provideas saluti, ut te parentem Asiæ & dici, & haberi velis. Atqui huic tuæ voluntati, ac diligentiæ, difficultatem magnā afferunt publicani, quibus si adversamur, ordinem de nobis optimè meritū, & per nos cum Republica coniunctū, & à nobis, & à Republica disiungemus. Sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorū non modo saluti, sed etiā commodis consulere debemus. Hæc est una (si verè cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas. Nam esse abstinentem: continere omneis cupiditates, suos coercere, & iuris æquabilem tenere rationem, facilē te in rebus cognoscēdis, in hominibus audiendis, admittendisq; præbere, præclarum magis est, quàm

Απόςασις ἐπικέλσει.

Επίλογος inchoatæ exhortationis.

Σαφηνισμός.

Προκατάληψις, καὶ ὑποφορά.

Αιτιολογία, Διλήμματι.

Επιφορά, Κατασκευή, κατ' ἀντίθεσιν

Ἐπικατασκευή.

quàm difficile. non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi, atque voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat socijs. intelleximus ex

Ἀνταπόδοσις ἐγκατάσκευος.

civibus, qui nuper in portorijs Italiæ tollēdis, non tam de portorio, quā de nonnullis iniurijs portitorum querebatur. Quare non ignoro, quid socijs accidat in ultimis terris, cum audierim in Italia querelas civium. Hic te ita versari, ut publicanis satisfacias, præsertim pu-

Συμπέρασμα.

blicis male redemtis, ac socios perire non sinas, divinæ cuiusdam virtutis esse videtur, id

Παράγγελμα.

est tuæ. Ac primùm Græcis, id quod acerbissimum est, & quod sunt vectigales: non ita acerbum videri debet. propterea, quòd sine imperio populi R. suis institutis, per se ipsi ita fue-

Noua propositio.

runt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerunt, quod ijs æqualiter Sylla descripserat. Non esse autem leniores in exi-

Ratio ἐγκατάσκευος.

gendis vectigalibus Græcos, quā nostros publicanos, hinc intelligi pôtest, quod Caunij nuper omnes, ex insulis, quæ erant ab Sylla Rhodijs attributæ, confugerunt ad Senatum:

Conclusio.

nobis ut potius vectigal, quā Rhodijs penderent. Quare nomen publicani, neque ij debent horrere, qui semper vectigales fuerunt, neque ij

Ἐκ τοῦ χρησίμου καὶ ἀναγκαίου.

aspernari, qui per se pendere vectigal non potuerunt, neque ij recusare, qui postulaverunt. Simul & illud Asia cogitet, nullam à se neque belli ex-

externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam fuiſſe, ſi hoc Imperio non teneretur. Id autem Imperium, cum retine ri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo parte aliqua ſuorum fructuum, pacem ſibi ſempiternam redimat, atq; ocium. Quod ſi genus ipſum, & nomen publicani non ini-
quo animo ſuſtinebunt: poterunt ijs, conſilio, Ἐκ τοῦ αἰτιατοῦ.
& prudentia tua, reliqua videri mitiora. Poſ-
ſunt in pactionibus faciendis, non legem ſpe-ctare cenſoriam, ſed potius commoditatem conficiendi negotij, & liberationem moleſtię. Συμβουλή.
Potes etiam tu id facere, quod & feciſti egre-gie, & facis: ut commemores, quanta ſit in pu-blicanis dignitas, quantum nos illi ordini de-beamus: ut remoto Imperio, ac vi poteſtatis, & faſcium, publicanos cum Græcis gratia, atq; authoritate coniungas. Sed & ab ijs, de quibus optime tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas: ut facilitate ſua, nos eam neceſſitudinem, quæ eſt nobis cum publi canis, obtinere, & conſervare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor: quæ tu non modo fa-
cere potes tua ſponte: ſine cuiuſquam præce- Ἐπιδιόρθωσις,
ptis: ſed etiam magna iam ex parte perfeciſti? θεραπεία.
Non enim deſiſtunt nobis agere quotidie gra Αἰτιολογία.
tias, honeſtiſſimæ, & maximę ſocietates: quod quidem mihi idcirco iucundius eſt; quod idē faciunt Græci. Difficile eſt autem ea, quæ com Ἐπιφώνημα.
modis, utilitate, & prope natura diverſa ſunt,

volun-

Ἐπιθεραπεία. voluntate coniungere. At ea quidem, quæ su-
pra scripta sunt, non ut te instituerem scripsi
(neq; enim prudentia tua cuiusquam præce-
pta desiderat) sed me in scribendo comme-
moratio tuæ virtutis delectavit: quanquam
in his literis longior fui, quàm aut vellem, aut
Ἔφοδος, παῤῥησία. me putavi fore. Vnum est, quod tibi ego prę-
cipere non desinam, neq; te patiar (quantum
in me erit) cum exceptione laudari. Omnes
Ἀφήγησις. enim, qui istinc veniunt, ita de tua virtute, in-
tegritate, humanitate commemorant: ut in
tuis summis laudibus, excipiant unam iracun
diam. Quod vitium, cum in hac privata, quo
Ἐκ τοῦ αἰσχροῦ, κατ᾽ ἀντίθεσιν. tidianaq; vita levis esse animi, atq; infirmi vi-
detur, tũ verò nihil est tam deforme, quã ad
summum Imperium etiam acerbitatem natu-
ræ adiungere. Quare illud non suscipiã: ut quę
de iracundia dici solent à doctissimis homini
Ἀποδίωξις. bus: ea tibi nunc exponam: cum & nimis lon-
gus esse nolim, & ex multorum scriptis ea faci
le possis cognoscere. Illud, quod est epistolij
proprium, ut is, ad quẽ scribitur, de his rebus,
quas ignorat, certior fiat: prætermittendum
Θέσις. esse non puto. Sic ad nos omnes ferè deferunt,
Ἐπάνοδος πρὸς τὴν ἀφήγησιν. nihil, cum absit iracundia, te fieri posse iucun-
dius. Sed, cum te alicuius improbitas, perver-
sitasq; commoverit: sic te animo incitari: ut ab
Παραίνεσις μετὰ τὴν ἐπιτίμησιν. omnibus tua desideretur humanitas. Quare,
quoniã in eam rationẽ vitę nos, non tam cu-
piditas quædã gloriæ, quàm res ipsa, ac fortu-

na

na deduxit, ut sempiternus sermo hominũ de
nobis futurus sit: caveamus, quantum efficere,
& consequi possumus: ne quod in nobis in- [Προκατάληψις.]
signe vitium fuisse dicatur. Neq; ego hoc nunc
contendo: quod fortasse cum in omni natura,
tum iã in nostra ætate difficile est mutare animũ:
&, si quid est penitus insitũ moribus, id subito
evellere. Sed te illud admoneo, ut, si hoc [Υποθήκη,]
plenè vitare non potes: quòd ante occupatur [ὑπόμνησις.]
animus ab iracundia: quàm providere ratio
potuit, ne occuparetur: ut te ante compares:
quotidieq; meditêre: resistendũ esse iracundiæ:
cumq; ea maximè animũ moveat: tum tibi esse
diligentissimè linguã cõtinendam. quę quidem
mihi virtus non interdum minor videtur,
quàm omnino non irasci. Nam illud non
solum est gravitatis: sed nonnunquam etiam
lenitudinis. Moderari verò & animo, & orationi,
cum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere
in sua potestate motum animi, & dolorem, et- [Επίκρισις.]
si non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris
ingenij. Atq; in hoc genere multo te es- [Κατασκευὴ,]
se iam commodiorem, mitioremq; nunciant. [κατ' ἀντίθετον.]
Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes,
nulla maledicta ad nos, nullæ contumelię
perferuntur, quæ cum abhorrent à literis, ab [Επιθεραπεία,]
humanitate, tum vero contraria sunt Impe- [ἀφηγήσει.]
rio, & dignitati. Nam, si implacabiles sunt ira- [Αιτιολογία,]
cundiæ, summa est acerbitas, sin autem exora- [κατ' ἀντίθετον.]
biles, summa levitas, quæ tamen (ut in ma-

lis)

Επίλογος 3. annorum συνηθείᾳ.

lis)acerbitati anteponenda est. Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis:credo propterea, quod tibi hominũ iniuriæ,quod avaritiæ,quod insolentia præter opinionẽ accidebat, & intolerabilis videbatur. Secundus autẽ multò lenior:quod & consuetudo,& ratio,& (ut ego arbitror) meæ quoq; literæ te patientiorem, lenioremq; fecerunt. Tertius annus ita esse debet emendatus: ut ne minimam quidem rem quisquam possit ullam reprehendere. Aciam hoc loco non hortatione,neq; præceptis: sed precibus tecum fraternis ago: totum ut animum,curam, cogitationemq; tuam ponas in omnium laude undiq; colligenda. Quod si in mediocri statu sermonis,ac prædicationis nostræ res essent:nihil abs te eximium,nihil præter aliorum consuetudinẽ postularetur. Nunc verò propter earum rerum, in quibus versati sumus,splendorẽ,& magnitudinem:nisi summam laudẽ ex ista Provincia assequimur: vix videmur summam vituperationem posse vitare.Ea nostra ratio est:ut omnes boni tum faveant: tum etiam à nobis omnem diligentiã, virtutemq; & postulent,& expectent, omnes autem improbi,quod cum ijs bellum suscepimus sempiternum, vel minima re ad reprehendendum contenti esse videantur. Quare,quoniam eiusmodi theatrum est totius Asiæ: celebritate refertissimum: magnitudine amplissimum,

Hortatio.

Post Exhortationem, & præcepta, δέησις.

Ratio propositionis.

Τὸ ἀντικείμενον.

Εκ τῆς λογικῆς αἰτίας confirmatio.


Epilogus, ἐκ τῶν περιστάσεων.

mum:iudicio eruditiſsimum: natura autem
ita reſonans: ut uſq; Romam ſignificationes,
vocesq́; referantur: contende quæſo, atque
elabora: non modo, ut his rebus dignum fuiſ- Ἀξίωσις.
ſe, ſed etiam, ut illa omnia tuis artibus ſupe-
raſſe videare. Et quoniam mihi caſus urbanā
in magiſtratibus adminiſtrationem Reipub. Σύγκρισις.
tibi provincialem dedit: & ſi mea pars nemi-
ni cedit: fac, ut tua cæteros vincat. Simul & il-
lud cogitá, nos non de reliqua & ſperata glo-
ria iam laborare: ſed de parta dimicare. Quæ Ἐκ τοῦ ῥᾳδίου,
quidem non tam expetenda fuit: quā tuenda καὶ καλοῦ.
nobis eſt. At ſi mihi quicquam eſſet abs te ſe- Ἀντίθετον,
paratum: nihil amplius deſiderarem hoc ſta- *poſt nouam*
tu: qui mihi iam partus eſt. Nunc verò res ſic *propoſitio-*
ſeſe habet: ut, niſi omnia tua facta, atq́; dicta *nē, quæſitam*
noſtris rebus iſtinc reſpondeant: ego me meis *gloriam tuen*
tantis laboribus, tantisq́; periculis, quorum *dam.*
tu omnium particeps fuiſti, nihil conſecutum
putem. Quod ſi, ut ampliſsimum nomen con
ſequeremur: unus, præter cæteros, adiuviſti:
certè idem, ut id retineamus, præter cæteros,
elaborabis. Non eſt tibi his ſolis utendum exi Ἐκ τῆς κρί-
ſtimationibus, ac iudicijs, quæ nunc ſunt ho- σεως.
minū, ſed his etiam, qui futuri ſunt: quanquā
illorum erit verius iudicium obtrectatione,
& malevolentia liberatum. Denique illud etiā
debes cogitare: non te tibi ſoli gloriam quæ-
rere: quod ſi eſſet, tamen non negligeres: præ- Ἐκ τῆς περιο-
ſertim, cum ampliſsimis monimentis conſe- χῆς.

crare voluiſſes memoriam nominis tui.Sed eã
tibi eſt communicanda mecum : prodenda li-
beris noſtris:in qua cavendum eſt:ne,ſi negli-
Προκατάληψις, παραμυθίας ἕνεκα. gentior fueris, non ſolum tibi parum conſu-
luiſſe:ſed tuis etiam invidiſſe videaris. Atq;
hæc non eò dicuntur: ut te oratio mea dormi-
Αἰτιολογία. entem excitaſſe,ſed potius, ut currentem inci-
Θέσις ὀρεκτικῆς αἰτίας. taſſe videatur.Facies enim perpetuò, quæ fe-
ciſti,ut omnes æquitatem tuam, temperantiã,
ſeveritatem,integritatemq; laudent. Sed me
Αἰτιολογία prolixitatis. quædam tenet, propter ſingularem amorem,
infinita in te aviditas gloriæ.quanquam illud
exiſtimo:cum iam tibi Aſia, ſicut unicuiq; ſua
Ἐπίλογος δεήσει, καὶ παραινέσει. domus,nota eſſe debeat:cum ad tuam ſummã
prudentiam tantus uſus acceſſerit : nihil eſſe,
quod ad laudem attineat: quod non tu opti-
me perſpicias,& tibi non ſine cuiuſquam hor-
tatione,in mentem veniat quotidie. Sed ego,
qui,cum tua lego,te audire, & qui, cum ad te
ſcribo tecum loqui videor,ideò & tua longiſ-
ſima quaq; epiſtola maxime delector,& ipſe in
ſcribendo ſæpe ſum longior. Illud te ad extre-
mum & oro,& hortor,ut tanquam Poetæ bo
ni,& actores induſtrij ſolent, ſic tu in extrema
parte,& concluſione muneris, ac negocij tui,
Ἐκ τοῦ ῥᾴστου. diligentiſsimus ſis,ut hic tertius annus impe-
rij tui, tanquam tertius actus perfectiſſimus,
atq; ornatiſsimus fuiſſe videatur. Id facillime
facies,ſi me,cui ſemper uni magis, quàm uni-
verſis placere voluiſti,tecum ſemper eſſe puta-

bis, & omnibus his rebus, quas dices, ac facies, interesse. Reliquum est, ut te orem, ut valetudini tuæ, si me, & omneis tuos valere vis, diligentissime servias.

Hactenus Ἐπίλογος, *peroratio pulcherrimæ istius Epistolæ, quæ est de administranda prouincia,* πολιτικὴ, καὶ ἠθικὴ. *Sed conclusio hæc tota est* παραινετικὴ, *constans perpetua exhortatione. Eius dispositionis delineationem ante oculos constituamus.*



a | b

Υποθετικῇ, accommodatione ſuperiorum ad perſonam Quinti Fratris.

Επιλόγῳ, concluſione, quæ conſtat { Προτάσει duplici. Αιτιολογίᾳ, ratione, per comparationem. Επιμερίσει, per diſtributionem.

Quapropter incumbe) Exhortationis huius κεφάλαιον, tanquam caput, ipſa propoſitio, trium partium. Vt incumbat in rationem, & uiam rectè adminiſtrandæ Aſiæ prouinciæ. Intertexit autem, κατ' ἐπεμβολὴν, fratris laudationem, qua adhuc, inquit, uſus es. Propoſitio non nuda eſt, ſed τὰ συναίτια, cauſas adiunctas habet, toto animo, & omni ſtudio, inquit, incumbe in ea.n rationem. Complectitur etiam τὰ πρός τι πρόσωπα, perſonas quæ inter ſe conferuntur, τοῦ πολιτευομένου, ἢ ἄρχοντος, prætoris, aut proconſulis, τοῦ προϋπάτου, & τῶν πολιτῶν, ἢ ἀρχομένων, prouincialium Aſiaticorum. Hi enim ſunt, quos Quint. Ciceronis fidei, poteſtatiq; S.P.Q.R. commiſit, & credidit. Iam fidei, & poteſtatis illius tripartitum officium ſubijcit, ut eos diligat, ut omni ratione tueatur, ut eſſe quàm beatiſſimos uelit. Diligendi igitur, & defendendi populi ſunt, & omnia in adminiſtratione, ad finem illum Rerumpublicarum

dirigenda

dirigenda sunt, qui est εὐδαιμονία, felicitas. Sententiæ sumptæ sunt ἐκ τοῦ καλοῦ, ab honesto, & iusto (Quod si te sors.) Ἐπιχείρημα, ratio, per comparationem, σύγκρισιν, à minore ad maius, & personarum τῶν ἀρχομένων, contentionem, ex contrarijs, κατὰ τὸ πλαστὸν, fictione Rhetorica.

Si Hispanis, & Gallis immanibus nationibus prætor consuleres, magis consulere debebis Asiaticis humanissimis populis.

Atqui istis barbaris nationibus prætor consuleres.

Magis igitur Asiaticis populis debebis consulere.

Rationem informauit ἀντιθέτῳ, contrariorum compositione. Quod si te) Connexum, & ipsa ὑπόθεσις, fictio. Tamen esset humanitatis tuæ) Annexum. Ac repetit officium proconsulis, qui consulere debet subiectorum commodis, eorumq; utilitati, & saluti seruire. Cum uerò.) ἡ ἀνταπόδοσις, καὶ τὸ ἀντικείμενον, comparationis, & contentionis pars altera. Laudauit fratrem, ab humanitate, nunc Asiaticos Græcos ab eadem commendat. In his non solum ipsam esse humanitatem, φιλανθρωπίαν, sed ab his etiam ad alios homines peruenisse τὴν παιδείαν. Cum uerò) Περιπλοκὴ, ἡ περίφρασις prætoris, is enim gubernator est, qui alicui generi hominũ præest. Non modo.) Συμπλοκὴ ἐκ τῆς ἀναιρέσεως, post sublationem copulatio. Certe etiam) Enthymematis pars altera per ἐπενθύμημα.

Ενθυμήματος ἀνάλυσις.

Qui ei generi hominum præest, in quo ipsa huma-

nitas est: & à quo illa ipsa ad alios peruenit: is eandem illis humanitatem tribuere debet.

Tu, Q. Frater, praees ei hominum generi, &c.

Ergo tu, Quinte. Frater, humanitatem illis tuã debes tribuere.

Cum uerò) Minor propositio. Certè) Conclusio: et Epenthymema, adiectum προενθυμήματι aliud enthymema: uel illius consequenti intertextum.

A quibus accepimus humanitatem: ijs eandem debemus tribuere.

Ab Asiaticis Graecis accepimus humanitatem.

Asiaticis igitur debes tribuere, in administranda prouincia, humanitatem.

Certè etiam) Conclusio. A quibus) Minor, quanquã totum illud maioris propositionis sententiam complectitur. Non enim) Tertia pars argumentationis ἡ ἐργασία, rationis confirmatio, pertinens ad proximam minorem approbandam: ἠθικῶς enim fatetur M. Cicero: se, quicquid in studijs liberalibus, & ingenuis artibus consecutus est: illud omne Graecis propemodum referre acceptum. Distinguit igitur inter φιλανθρωπίαν, et παιδείαν. Sententiae ductae sunt ab amore: qui subditis debetur: ut φίλησιν sequatur ἀντιφίλησις. Non enim) Προεπίπληξις. Praesertim) Προτίμησις, ἡ ἐξαίρεσις In ea uita, atq; ijs rebus gestis) Περιαυτολογία σώματος. Quae Cicero consecutus est, scil. gloria rerum in consulatu gestarum, his studijs, & artibus dicit se esse adeptum: quae nobis Graeciae monumentis, disciplinisq;

sunt traditæ. Beata igitur tum Rom. Respublica, quam Cicero rexit, qui non solum omne suum studium, in doctrina, & sapientia collocauit, sed etiam doctißimus & sapientißimus homo fuit. Τὸ αἴτιον igitur τοῦ πολιτεύεσθαι, sunt studia, & artes. Quare præter) Quarta pars, ἡ ἐπιφορὰ, conclusio, qua repetit superiorem proximam ἐπενθυμηματικὴν ratiocinationem. Itaq; præter communem fidem (quæ omnibus debetur) Asiaticis prouincialibus tuis præterea debes humanitatem. Accepimus, dixit antea, nunc, horũ præceptis sumus eruditi, ut paulò ante, hæc studia, et hæ artes nobis sunt Græciæ monumentis, disciplinisq́; traditæ. Locus ἠθικὸς, grati animi in M. Tullio significationem habens. Quod ab ijs didicerimus) Περιττότης, supra ab ijs accepimus, etc. uerborum idem significantium copia. Atque ille quidẽ) Pars secunda huius loci, ἡ παραύξησις, adiecta amplificatio, quæ partim θετική est, & generalis, partim ὑποθετική, & ad personam Quinti fratris applicata. Incipit à χρείᾳ, quæ est Platonis scitè dictum, habetq́; ἀξίωμα, καὶ ἀξιοπιστίαν, authoritatem, & fidem, & sententia est ἄτεχνος, testimonij locupletißimi uim continens. Tractatio tribus partibus constat.

Ευφημία τοῦ φήσαντος,
Αναγνώσει, &
Επικρίσει.

Atque ille quidem) Ευφημία τοῦ φήσαντος, collaudatio dicentis. Plato princeps ingenij, & doctri-

næ. Tum deniq; fore) Ἀνάγνωσις, recitatio dicti ἐπιφωνηματικοῦ, κατ᾽ ἀντιμεταβολήν.

Γνωμολογία σεμνοτάτη.

Tum fore beatas Respublicas:
Si aut docti, aut sapientes eas regere cepissent:
Aut qui regerent: omne suum studium, in doctrina, & sapientia collocassent.

Libro V. Πολιτειῶν.

Ἐὰν μὴ, ἦν δ᾽ ἐγὼ, ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἐν ταῖς πόλεσι, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι, καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε, καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταυτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ, καὶ φιλοσοφία. Τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐφ᾽ ἑκάτερον, αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν: οὐκ ἔστι κακῶν (ὦ φίλε γλαύκων) ταῖς πόλεσι.

Idem, in VI.

Πῶς οὖν εὖ ἔχει λέγειν, ὅτι οὐ πρότερον κακῶν παύσονται αἱ πόλεις: πρὶν ἂν ἐν αὐταῖς οἱ φιλόσοφοι ἄρξωσιν, οὓς ἀχρήστους ὁμολογοῦμεν αὐτοῖς εἶναι.

Cicero, libro I. de Inuentione.

Ad Rempub. plurima ueniunt commoda, si moderatrix omnium rerum præstò est sapientia.

Hinc illa ἐκφώνησις S.P.Q.R. cum de Imper. Tacito agebatur.

Quis melius, quàm literatus imperat?

Hanc coniunctionem) Ἐπίκρισις σεμνὴ, graue scriptoris additum Platonis sententiæ iudicium. Coniunctionem) Σύμπτωσιν εἰς ταυτό. Videlicet potestatis.)

Σα-

Σαφηνισμὸς, explicatio, & ἑρμηνεία loci Platonis. Potestatis, ac sapientiæ) Δυνάμεως τε πολιτικῆς, καὶ φιλοσοφίας. Saluti censuit ciuitatibus) Fore beatas Resp. putauit. Quod fortasse) Hactenus pars θετική, nunc ὑποθετική. Quæ enim dicta sunt infinitè: iam ad certas personas, & res, ut fit in causa, uel quæstione definita, applicat. Videtur enim de se, in priore membro dicere: quanquam ἠθικῶς, ad arrogantiam uitandam, utitur ἐνδοιάσει, dubitatione, quod fortasse, ἴσως, aliquando (in præterito) uniuersæ Reipub. nostræ (πηλικότης, αὐξήσεως συνέκον) & ἐλλείψει, omißione uerbi, contigit. Nunc) pars altera inductionis exemplorum duorum, sed domesticorum, sed propriorum, sed suorum, τῶν ἰδίων, καὶ οἰκείων. præsentis temporis est fratris exemplum: cum laude ipsius coniunctum. Habet πεποίθησιν: fidenter enim loquitur, ἀποφάνσει, asseueratione λαμπρᾷ, illustri: Nũc quidem profectò. Isti prouinciæ) Antea Reipub. cuius Marcus fuerat consul: prouinciæ autem Quint. frater proconsul. Prouinciæ) Ὑπαλλακτικῶς, id est, prouincialibus tuis. Contingit) Συμβαίνει. Ut is) Εἰδικώτερον διασαφηνίζει τὴν σύμβασιν: disertè euentum explicat: idq́; cum gloria fratris coniungit: & laude superiorum temporũ inde usq; à pueritia. Et gratulatur Asiæ: quod prætorem nacta est: in quo non solùm est δύναμις πολιτική, sed etiam ἡ φιλοσοφία: ut qui & summam in Asia potestatem habeat: & ad uirtutem, ad humanitatem, ad doctrinam percipiendam, plurimum à pueritia studijs, & temporis impenderit.

Ἐπαγωγὴ παραδειγμάτων οἰκείων.

Quare cura) Epilogus ſuperiorum προτρεπτικός. Eius propoſitio eſt bipartita.

1. Cura, ut hic tertius annus ad ſalutem Aſiaticorum prorogatus eſſe uideatur.

2. Perfice, ut horum lætitia deſiderium tui meum leniatur.

Vt hic annus) Pars prima. Et quoniam) Pars altera ἐνθυμηματική, rationem namq; præcurrentem habet. Quoniam Aſia felicior in te retinendo fuit: quàm nos in illam te deducendo. Duo ſunt hic motus, πόθος, καὶ φιλία, deſiderium & amor. Deſideramus abſentem: amamus etiam præſentem: eſtq; ἀντίθετον, in contrarijs: in retinendo, & deducendo. Etenim ſi) Αἰτιολογία, ratio, ex comparatione, per ratiocinationem à minore, ad maius.

Si in promerendo, ut tibi tanti honores deberentur, fuiſti diligentiſsimus: multò in his tuendis diligentior eſſe debebis.

Atqui in promerendo, ut tibi tanti honores deberentur, fuiſti diligentiſsimus.

Ergo in iiſdem tuendis, maiorẽ diligentiã adhibebis.

Etenim) Connexum. Tanti quanti) Υπόστασις, κατὰ σύγκρισιν, ὑπερβολῇ, per comparationem, quæ fit superlatione. Quanti haud ſcio, an nemini. Multò) Poſt τὸ ἧττον, ſequitur τὸ μᾶλλον. In his honoribus tuendis) Non minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri. Et quidem) Ἐπίκρισις, iudicium Ciceronis. Semper eos) Σαφηνισμὸς μερισμῷ, explanat quod dixit, ſed diſtributione.

Ἀπορία.

Duo

Duo priora membra ſunt aliena: tertium huius inſtituti: pertinetq́; ad τὸ μεῖζον illud confirmandum, promeritus es tantos honores, ſeu meritis tuis tributi ſunt. Ergo in his tuendis multa tibi opera eſt ponenda. Eſtque ἀντίθεσις: non ſunt honores uulgares, hoc eſt, uiles: nec temporis cauſa conſtituti, qui ſunt leues. Quare) Alter ἐπίλογος μερικὸς, παραινέσει. Vtitur autem ἐνθυμήματι. Ratio ſumpta eſt ex eius perſona, & officio: proconſul es. Ergo cogitabis, quid tanto honori debeas. Vtramque partem dilatat: primum λόγῳ ἀντὶ τοῦ ὀνόματος. Proconſul enim eſt, qui in prouinciam miſſus, in illius urbibus cum ſummo eſt imperio, & poteſtate. Ac addit laudationem ὑπερβολικὴν. Vides in his tuas uirtutes conſecratas, & in deorum numerum collocatas. Itaque fratri pollicetur ἀποθέωσιν. In omnibus rebus) Τὸ ἑπόμενον, annexum propoſitionis αἰτιολογικῆς: ipſa exhortatio, ab expectatione hominum. Prætor quicquid ſtatuit, decernit, agit; id expectationi, & opinionibus, & iudicijs hominum ſatisfaciet. Suntque hic terna ternis, hoc eſt, paria paribus reddita: cum duplici repetitione, & articulo. Id autem) Ἐπιλεγόμενον, clauſula: qua modum oſtendit. Διασαφηνίζει γὰρ εἰδικώτερον.

Conſulas omnibus:
Medearis hominum incommodis:
Prouideas eorum ſaluti.

Vt te parentē Aſiæ & dici, et haberi uelis) Ἐπιφώνημα, acclamatio. Atqui huic tuæ diligētiæ) Sequitur pars

ſecunda,

ſecunda, huius loci, quæ eſt ἀνασκευαστική, κατὰ παρέκβασιν, per digreßionem. Cuius τύπον, in gratiam ſtudioſorum, adumbrabimus.

Refutationis, quæ difficultatis eſt, partes ſunt: ἡ

- Ἀντίθεσις ἢ τοῦ ἐναντίου κεφαλαίου εἰσαγωγή.
  - Ὑποφορά. Atqui huic tuæ uoluntati, ac diligentiæ &c.
  - Κατασκευή, κατὰ δίλημμα.
    - Πρῶτον λῆμμα. Quibus ſi aduerſabimur, &c.
    - Ἀφαίρεσις αὐτοῦ, ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως. Ordinem à nobis illum diſiungemus.
    - Τὸ δεύτερον λῆμμα. Sin autem obſequemur:
    - Ἀφαίρεσις αὐτοῦ, Funditus eos perire patiemur, &c.
- Λύσις
  - Ἀντιπρότασις
    - Συγχώρησις. Hæc eſt una difficultas.
    - Κατασκευή, συγκρίσει. Nam eſſe abſtinentem, &c.
    - Ἐπικατασκευή. Non eſt enim poſitum in labore, &c.
  - Ἀνασκευή
    - Ἀνταπόδοσις μαρτυριώδης, illa cauſa publicanorum.
    - Ἀντεισαγωγὴ à pſonis
      - Prætoris.
      - Prouincialiũ

Ἀποσημείωσις.

Atqui huic tuæ) Occupationis τῆς προκαταλήψεως huius pars prima, ἡ πρότασις, & ὑποφορὰ, à difficili gubernatione, propter publicanos.

Propositio.

Publicani magnam tibi uolenti, & diligenti afferent difficultatem.

Ratio, ex contrarijs, eorumq́; euentibus generis eiusdem.

Δίλημμα duobus connexis, συνημμένοις ἀξιώμασι ὑποθετικοῖς constat.

Ἀνάλυσις.

Si aduersaberis publicanis: ordinem illum à nobis disiungemus.

Aqui ordinem illum à nobis disiungere non debemus.

Ergo non aduersaberis publicanis.

Ἀντισυλλογισμὸς, ἐκ τῶν ἐναντίων, opposita conclusio, ex contrarijs.

Sin omnibus in rebus obsequeris publicanis: patieris illum ordinem perire.

Sed hunc ordinem perire, minimè pati debes.

Ergo omnibus in rebus obsequi uoles publicanis.

Ἀποσημείωσις.

Quibus) Κατασκευὴ, ratio propositionis, ipsaq́; obiectio duplex, & anceps. Si aduersamur) Connexum prioris ratiocinationis. De nobis optimè meritum) Assumptio-

ſumptionis approbatio, ex repugnantibus, & inhoneſto. Qui de nobis optimè meriti ſunt; ijs non eſt aduerſandum. Ergo publicanis aduerſari noles. Et per nos cum Repub.) Ad eandem & hæc pertinet ratio. Et à nobis, & à Repub.) Ἔκβασις, ἢ τὰ βλαβερὰ, euentus, & incommoda duo. τῆς προνοίας, prouidentiæ ſigna. Sin autem) Κατ' ἀντίθεσιν τὸ δεύτερον λῆμμα τοῦ διλήμματος, contentione enim contrariorum alteram complexionis partem ſubiungit: & τοῦ ἀντισυλλογισμοῦ connexum. Funditus) Τὸ ἑπόμενον, annexum, & ἀφαίρεσις ſumptionis, ex contrario euentu, grauibus uerbis. Quorum non modò) Aſſumptionis approbatio, ex contrario, & honeſto, ſeu officij ratione.

Hæc eſt VNA) Ἀντιπρότασις, pars τῆς λύσεως prior, κατὰ συγχώρησιν, per conceßionem: in qua tamen eſt τῆς δυσχερείας, difficultatis imminutio, μείωσις. Nam VNA, numeri nota exceptionis eſt; cui τὸ ὅλον, TOTVM imperium additur. Nam) Κατασκευὴ, ratio, κατὰ σύγκρισιν, facilioris, & difficilioris. Conglobat autem, κατὰ συναθροισμὸν, præclara quidem, at non difficilia τῷ σπουδαίῳ, uiro bono, τῷ τὰς ἀρετὰς ἔχοντι, καὶ δυνατῷ πρᾶξαί τι ἐν τοῖς πολιτικοῖς.

1. li. μεγα. ἠθικῶν, initio.

1. Eſſe abſtinentem:
2. Continere omnes cupiditates:

a

b

Abſtinentiæ, τῆς ἀποχέσεως.
Continentiæ, τῆς ἐγκρατείας.

3. Suos

3. Suos coercere : a 4. Iuris æquabilem tenere rationem ; 5. Facilem ſe in rebus cognoſcendis, in hominibus audiendis, admittendisq́; præbere.	Quæ ſunt	b Iuſtitiæ, et æquitatis, τῆς δικαιοσύνης, καὶ ἐπιεικείας. Facilitatis, τῆς εὐπροσιτίας, καὶ εὐαγωγίας.

Præclarum) Καλόν. Quam difficile) Δύσκολον. Eſtq́; concluſio ſyllogiſmi ſequentis: Vnde Socrates, eſſe bonum, dicebat facile eſt: fieri autem perdifficile. Non eſt enim) Ἐπικατασκευή, confirmatio rationis proximæ, à cauſa: & minor ſequentis ratiocinationis.

Quicquid poſitum eſt in quadam inductione animi, atq; uoluntate, præclarum magis eſt, quàm difficile.

Abſtinentem eſſe prætorem, &c. poſitum eſt in animi quadam inductione, id eſt, propenſione, & beneuolentia.

Abſtinentem igitur eſſe, &c. præclarum magis eſt, quàm difficile.

Illa cauſa) Ἀνταπόδοσις, κατὰ ἀντίθεσιν τοῦ χαλεποῦ, rei difficilis: eiusq́; propoſitio. Intelleximus) Ratio, αἰτιολογία ἄτεχνος: à teſtimonijs ciuium. Qui nuper) Ἀφήγησις, narratiuncula.

Quis? Ciues.

Quid? querebantur non tam de portorio, quàm de nonnullis iniurijs portitorum.

Quando? Nuper, in portorijs Italiæ tollendis. Portitorum)

torum) Publicanorum, uel ministrorum. Portoria) Vectigalia de rebus exportandis. Non tanquam) Υπόστασις: Quare) Συμπέρασμα ἐνθυμηματικὸν, per conductionem. Hic te ita) Sequitur ἀντεισαγωγὴ bipartita: una à persona, & officio proconsulis: altera ab officio prouincialium: uerba grauia sunt, & superlata: Diuinæ est uirtutis, ac prudentiæ: publicanis satisfacere: & non sinere, ut socij pereant. Hoc opus, hic labor est. Sed Quum to facile esse dicit. Hoc est, tuæ) Ερμηνεία, interpretatio, sed ἄστοργος, propter φιλαδελφίαν, ex amore nimio in fratrem profecta. Ac primùm) Altera ἀντεισαγογὴ, à persona prouincialium, eorumq; officio. Sententiæ desumptæ sunt ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ, καὶ δικαίου. Id enim fieri posse, & debere: esseq; iustum: ut Asiatici publicanos uectigalia exercentes patienter ferant.

Διατύπωσις loci sequentis.

- Μείωσις τῶν ἱκανῶν φαινομένων.
  - Λύσεις συχναὶ
    - 1. Non esse debet Græcis acerbũ: quod uectigales sunt populo Romano:
    - 2. Nomen publicani aspernari nõ possunt.
    - 3. Græci publicani non sunt Romanis mitiores.
  - Επίλογος, cum superiorum ἀνθυποφορῶν ἐνθυμηματικῶν ἀνακεφαλαιώσει.
  - Αυξησις τῶν ἀγαθῶν, κατὰ ἀντικατάλλαξιν.

Quinq;

Quinq; sunt insequentis loci tractationis partes:
- Προσθήκη τῆς τῶν λοιπῶν ἱκανῶν δοκούντων μειώσεως.
- Συμβολή.
- Παραμυθία, ἢ ἐπιθεράπευσις.

Ac primùm Græcis) Propositio huius disputationis est. Quod Græci uectigales sunt: id ipsis acerbum esse non debet. Id quod acerbiss.) scilicet, esse uectigales, & tributarios, ut loquuntur. Interposita est ὁμολογία, concessio. Non ita acerbum) μεταφορὰ, à pomis immaturis, id est, graue, molestum, intolerabile. Estq; conclusio syllogismi. Propterea quòd) Επιχείρημα, ratio, quæ est συλλογισμὸς διαλεκτικὸς, conclusio probabilis. 8. Τοπ. & minor propositio. Nam suis institutis per se fuerunt ante uectigales, uidelicet Antiochi, Gallorum, qui auxilio Nicomedis Bithyniæ Regis freti, Asiam inter se diuisam uectigalem fecerunt: postea bello Asiatico tota Romanis cessit: ut hodie Turcis.

Liu. l. 8. dec. 4
Liu. li. 5. dec. 5
Flor. sub finē lib. 2.

Qui antea fuerunt alijs uectigales: ijs non debet acerbum uideri, populo Romano uectigalia pendere.

Græci antea fuerunt alijs regibus & populis uectigales: ut nihil nunc illis accidat noui.

Græcis igitur non debet uideri acerbum: quod populo Romano uectigalia pensitant.

Nomen autem publicani) Altera propositio secundæ refutationis. Sunt enim λύσεις συχναὶ, καὶ βραχεῖαι, & ἐνθυμηματικαὶ, solutiones frequentes, & breuiter conclusæ: ut prima illa superior fuit: cuius πρότασις est ἀποφατικὴ, sed κατασκευὴ contrariæ qualitatis κατα-

φατικὴ. Propositio hæc est τοῦ ἀντιστρέφοντος. Nam uectigalia, sunt τὸ πρός τι. Nihil enim aliud sunt uectigalia, quam quæ à publicanis exiguntur uectigalia, seu tributum: siue portorium sit, siue decimæ. Argumentatur autem ad hunc modum: contra ὑποφορὰν: At publicani nomen, quia odiosum, aspernabuntur. Huic κατ' ἀνθυποφορὰν, occurrit, & respondet, ἀποφάσει. Publicani nomen aspernari non possunt. Estq; conclusio syllogismi. Qui pendere) Ἐπιχείρημα, ratio, & minor πρότασις: ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, ex ijs, quæ inter se conferuntur: & ex causis, ὧν οὐκ ἄνευ. Nemo pendere uectigal sine publicano potest, Nulli enim alteri penditur.

Συλλογισμός.

Qui sine publicano pendere uectigal non potest; is nomen publicani aspernari non potest.

Asiatici sine publicano, uectigal, quod ijs æqualiter Sylla & uictor, & dictator descripserat, non potuerũt.

Ergo Asiani nomen publicani aspernari non debent.

Non esse autẽ) Tertia λύσις, & propositio, τὸ ἐναντίον κεφάλαιον, contra ὑποφορὰν. At Græci leniores Romanis, in uectigalibus exigendis sunt. Ex comparatione. Respondet ἀποφάσει, per ἀνθυποφορὰν: Græci non sunt leniores Romanis. Quæstio. Num Græci Romanis leniores sint, nec ne? Hinc intelligi) Ratio, ἐπιχείρημα, ἀφηγήσει, narratiuncula & ab exemplo contrarij: Caunij, Cariæ, regionis Asiaticæ incolæ, maluerunt Romanis, quàm Rhodijs Græcis, (qui sunt in insula è regione Cariæ) esse uectigales. Ergo Græci non sunt leniores in

exigen-

exigendis uectigalibus, Romanis publicanis. Refellit igitur ἀόριστον ὑποφορὰν ὡς καθόλε, κατ' ἔνστασιν.

Si Caunij nuper Romanis maluerunt esse, quàm Rhodijs uectigales: non sunt Græci Romanis leniores.

Atqui Caunij nuper Romanis maluerunt esse uectigales, quàm Rhodijs.

Græci igitur Romanis non sunt leniores.

Non esse autem) Conclusio, & ἀνθυποφορὰ ἀποφατική. Hinc) Assumptio syllogismi, κατ' ἀφήγησιν.

Quis? Caunij omnes.

Quid? Confugerunt ad Senatum.

Quando? Nuper, recenti adhuc memoria.

Vnde? Ex insulis: quæ erant ab Sylla, Rhodijs attributæ.

Cur? Vt nobis Rom. uectigal potius, quàm Rhodijs penderent.

Caunij) Τὰ πρόσωπα, personæ, Nuper) ὁ χρόνος, tempus. Ex insulis) ο τόπος, locus. Confugerunt) Τὸ πραχθὲν πρᾶγμα, factum. Nobis) Λογισμὸς, καὶ τελικὸν αἴτιον, consilium, in quo est αἵρεσις, καὶ προτίμησις, optio, & electio, & causa. Quare nomen) Conclusio, κατ' ἀνακεφαλαίωσιν τῶν τριῶν, ἀποφατικὴν. Horrere) Quia acerbißimum. Qui semper) Ενθυμήματα repetit integra. Neq; ij aspernari) Alterum enthymema. Neq; ij recusare) Tertium. Hactenus τὰ φαινόμενα δεινὰ, quæ grauia esse uidentur, κατὰ μείωσιν, extenuauit. Deinceps his incõmodis, κατ' ἀντίθεσιν, & ἀντικατάλλαξιν, cõpensatione opponit maiora cõmoda. Locus est ἐκ

τῶν χρησίμων, καὶ ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως, ab utili, & euentu.

Si Aſiatici non tenerentur hoc imperio: nulla ab ijs abfuiſſet calamitas, uel belli externi, uel domeſticarum diſcordiarum.

Abfuit autem ante hac ab Aſianis omnis calamitas.

Aſiani igitur libenter teneantur hoc imperio. Hoc eſt, Sint ἑκουσίως ἀρχόμενοι, ὑπέφοροι, ὑποτελεῖς.

Simul & illud) Ονειδιστικῶς connexum proponit, partium immutatione: à contrario euentu, καθ' ὑπόθεσιν. Si non eſſent uectigales Romanis: duplex ſequeretur calamitas: una ab externis bellis: altera ab internis ſeditionibus, & tumultibus. Habent igitur pro uectigalibus, certam pacem, utile, & gratum ocium. Id autem) Concluſio ſyllogiſmi. Teneantur itaq; libenter hoc noſtro imperio. Id eſt, ſint ſua ſponte Romano pop. uectigales: ſed ἐγκατάσκευος eſt, & approbata ratione ipſa concluſio ex cauſis, ὧν ἐστὶν αἴτιον.

Si hoc imperium retineri non poteſt, ſine uectigalibus: æquo animo uectigal pendāt, pro ſempiterna pace.

Atqui ſine uectigalibus, retineri hoc imperium nullo modo poteſt.

Ergo æquo animo uectigales ſint populo Romano.

Id autem imperium) Aſſumptio. Aequo animo) Concluſio enthymematis. Parte aliqua ſuorum fructuum) Περίφρασις uectigalium, ut decimarum, & ſcripturæ. Pacem) ἀντίθεσις maioris boni. Vectigalibus tolerabilibus pacem, atque ocium ſempiternum Græci rediмunt. Quod ſi genus ipſum) Poſt μείωσιν τῶν ἀγαθῶν μειζόνων,

νων, amplificationem maiorum bonorum, per compensationem: προσθήκη, appendicula sequitur, quæ pertinet ad extenuationem cæterorum incommodorum, μείωσιν τῶν λοιπῶν κακῶν: in pactionibus faciendis, lege censoria. Nam Censores Romæ certis pactionibus locabant uectigalia publicanis: idq́; in populi Rom. cōcione: quæ conuentiones etsi meritò seruandæ uidentur: tamen ἐπιείκειαν, æquitatem hic M. Cicero adhibendam censet. Propositio est: reliqua etiam ijs uidebuntur mitiora. Ratio prima. si publicanos æquo animo ferent: altera: si consilio, & prudentia tua utentur.

Argumentum sic informat ὑποθετικῶς.

Si Græci publicanos æquo ferent animo: reliqua etiam ipsis erunt mitiora

Atqui publicanos æquo animo ferent.

Ergo & reliqua ipsis erunt mitiora.

Quod si) Τὸ συνημμένον, connexum. Non iniquo) Aequißimo. Poterunt) τὸ ἑπόμενον, annexū, τοῦ ἐλάσσονος, minoris rei grauius est enim publicanos ferre æquo animo. Consilio, & prudentia tua) Επεμβολὴ, interiectio alterius causæ adiuuantis: quam εἰδικώτερον postea exponet. Estq́; iterum laus admixta fratris. Possunt in pactionibus) Conclusionis alia κατασκευὴ, ratio. Tuo consilio, publicani pactiones, in redimendis uectigalibus factas, lege censoria, non ita rigidè seruare: sed maiorem commoditatis habere rationem: quàm legis.

Si, in pactionibus faciendis, non legem Censoriam, sed commoditatem conficiendi negotij, & liberationem

molestiæ spectabunt: reliqua erunt illis mitiora.

Sed, in pactionibus faciendis, commoditatem potius conficiendi negotij spectabunt.

Ergo reliqua ijs uidebuntur mitiora.

Possunt, in pactioni) Assumptio, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ. Potes & hic) Hæc est intertextæ rationis, à persona Q. Fratris, ἐπικατασκευή, confirmatio: si consilio, & prudentia sua illud fiat. Ac subijcit hoc in loco, utile consilium προτρεπτικῶς.

Potes etiam TV.) Iam συμβουλή, consilium παραινετικόν. Cuius propositio est: Tu (ἔμφασις) potes id facere, hoc est, consilio, & prudentia tua reliqua mitiora reddere. Ratio sequitur ab anteactis, ἀπὸ τῶν προηγουμένων πράξεων: item ab ijs, quæ nunc agit, ἀπὸ τῶν νυῦ πραττομένων: ex loco adiunctorum: non sine laude χειδὸν κολακευτικῇ fratris Quinti.

Quod hucusq; fecisti egregiè, & facis: id poteris deinceps facere.

Atqui primo, & secundo, tui proconsulatus anno illud fecisti, & nunc facis egregiè.

Ergo idem reliquo tertij anni tempore, poteris facere.

Potes etiam) Conclusio, & propositio. Quod & fecisti) Minor propositio duorum temporum. Vt commemores) Τὸ ἀόριστον ὡρισμένως, quod enim obscurè dixit, planius explicat: modum igitur duplicem præscribit: unum ἀπομνημονευτικὸν, ἢ διεξοδικόν: alterum παρακλητικόν: quorum ille commemorationis est: hic petitionis.

titionis. Vt commemores) Primus modus τῆς διεξόδου, commemorationis: sed bipartitæ: nam & ad publicanos, quantum ad ἀξίωμα, dignitatem, pertinet: & ad Cicerones, quantum ad ἐπιτηδειότητα, necessitudinē: quæ ipsis est cum illo publicanorum equestri ordine. Exponet igitur quanta sit in publicanis dignitas, seu honorata authoritas apud populum Romanum: ut & metuant Senatum: & hunc ordinem uereantur, non contemnāt. Quantum nos illi) Exponet deinde quantum Cicerones, homines noui, debeant equestri ordini; quem nolint offendere. Hæ causæ Græcos flectent (sunt enim κινητικαί.) ad patientiam: ut æquo animo, & libenter publicanis uelint, quantum quisque debet, præstare. Sententiæ istæ ἐκπληκτικαὶ sunt, territantes: & eos retinentes in officio. Vt, remoto) Λογισμὸν, consilium subdit ex ratiocinatione, ἐκ τῆς λογικῆς αἰτίας: ut gratia, & authoritate sua, non imperio procōsulari suo, publicanos cum Græcis coniungat.

Remoto imperio) Ἄρσις, remotio falsi modi. Nam fasces, id est, imperium, & uis potestatis magis terret: quàm conciliet; magis cogit: quàm demulceat. Gratia, &) Θέσις causarum flectentium animos: gratia, & authoritas. Illa ἀκουσίως, hæc autem ἑκουσίως facit. Sed & ab ijs) Altera uia, & ratio παρακλητική, & κινητική, petes à tuis prouincialibus: ut nos Cicerones, illi patiantur obtinere (nostro iure) & conseruare (per ipsos) eam necessitudinem: quæ nobis est cum publicanis, propter equestrem ordinem. Facilitate sua) Ergo eos mouebit &

tua petitio: & ipsorum facilitas. Neque enim difficiles se præbebunt. Præcurrunt tamen causæ æquè graues. Tu de illis supèrioribus annis optimè meritus es: & ijdem etiam tibi debent omnia. Ergo patientur nos illam cum publicanis nèceßitudinem obtinere, & conseruare. Ambitus est neruosus, & argumentosus, μεστὸς, καὶ ἐνθυμηματικὸς. Sed quid ego) Ἐπιλογικῶς longiorem exhortationem, & suasionem abrumpit, κατ' ἀποκοπὴν. Et, si quæ fuit supra fortè, oratio liberior, καὶ παρρησιαστικωτέρα, & σφοδροτέρα: illam nunc lenit, atque mitigat, ἐπιθεραπείᾳ: cum eximia laude fratris χεδὸν κολακευτικῇ.

Partibus absoluitur quinque:
- Προτάσει. Sed quid ego, &c.
- Αἰτιολογίᾳ. Quæ tu non modo, &c.
- Αἰτιολογίᾳ τῆς αἰτιολογίας. Non enim, &c.
- Ἐπικρίσει. Quod quidem, &c.
- Ἐπιφωνήματι γνωμολογικῷ. Difficilè est autem, &c.

Sed quid) Πρότασις ἀπὸ τοῦ ἀποῤῥήτου, propositio ex abrupto, per ἐπανόρθωσιν, ἢ μετάνοιαν, correctionem sui, & tanquam dictorum pœnitentiam. Quæ tu non modò) αἰτιολογία, ratio, κατὰ τὴν ἐξ ἀναιρέσεως συμπλοκὴν. Non modò) ἀναίρεσις. Non solùm hæc potes facere per te, sine meis præceptis. Ἀπὸ τῆς

δυνάμεως.

δυνάμεως. Sed etiam) Συμπλοκή. ſed etiam magna iam ex parte, perfeciſti: ἐκ τῆς πράξεως.

Non enim deſiſtunt) Αἰτιολογίας αἰτιολογία, rationis ratio, ſiue κατασκευὴ, confirmatio, περιόδῳ ἀφιλεῖ, unius membri, à ſigno, ſeu effectu: qui eſt gratiarũ actio. Verba grauia ſunt, & ſuperlata, & addita ad nomen: non DESISTVNT, honeſtiſſimæ, & maximæ ſocietates. Quod quidem) Ἐπίκρισις, & προσθήκη alterius ſigni. Idem faciunt Græci Aſiatici. Difficile eſt autem) Ἐπιφώνημα γνωμολογικὸν, acclamatio ſententioſa: ἐκ τοῦ δυσχεροῦς, à difficili: eò igitur eſt præclarius. Ea quæ) ἀορίστως, pro Aſiaticis cum publicanis: qui inter ſe commodorum ſtudio: ingenijsq; diſſident plurimum. Voluntate coniungere) Beneuolentia: ut inter tales uera conſtituatur amicitia. At ea quidem) Eſt ad extremum alia ἐπιθεραπεία adiecta: qua mollit prioris epiſtolæ partis liberiorem προτροπὴν, & νουθέτησιν παραγγελματικὴν. Occupatio αἰτιολογικὴ eſt: conſtans cauſarum διαστολῇ. Quæ ſuprà) In præceptis πολιτικοῖς, περὶ τοῦ εὖ πολιτεύεσθαι de rectè adminiſtranda prouincia. Non ut) Ἄρσις, negatio cauſæ falſæ. Non te uolui docere: aut tibi præcipere. Neque enim) Huius αἰτιολογία, ratio, ἐκ τοῦ περιέργου, ἐπαινετική. Tua namq; prudentia nullius præcepta deſiderat. Sed me) Θέσις, oppoſitio ueræ cauſæ, ſcilicet impellente. ſed commemoratio tuæ uirtutis me delectauit. Quanquam) Altera λύσις τοῦ ἀντιπίπτοντος, excuſatione conſtans longitudinis in ſcribendo. Longior fui, ac uolui, aut putaui.

Ingeniorum ſimilitudo τῆς φιλότητος μήτηρ.

LOCVS ἠθικὸς, de reprimenda ira.

Ἀποσχηματισμός.

Dehortationis istius partes sunt:

- Ἔφοδος, aditus longiusculus, propter insinuationem.
  - Πρόφασις. Vnum est, &c.
  - Κατασκευή. Neq; te patiar, &c.
  - Ἐπικατασκευή, ἀφηγήσει. Omnes enim, &c.
  - Ἐπίκρισις ψεκτική, καὶ ἀποτρεπτική, ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ. Quod uitium, &c.
  - Ἀπόδοσις. Quare illud non suscipiam, &c.
- Προκατασκευή.
  - Κατάστασις. Illud, quod est epistolæ, &c.
  - Ἀνακαίνωσις τῆς ἀφηγήσεως. Sic ad nos omnes, &c.
- Κεφάλαιον. Quare quoniã, etc.
- Ἐπιχείρημα, προκατάληψις.
  - Ἄρσις, καὶ ὁμολογία. Neq; ego nunc, etc.
  - Θέσις, καὶ ἀντεισαγωγή. Sed te illud admoneo, &c.

a b

a b

Κα[τα]σκευή. { Εργασία. { Πρότασις. Nam illud, &c. Ἀνταπόδοσις. Moderari uerò, &c.

Ἐπεξεργασία, ἀφηγήσει ἑτέρα. Atq; in hoc genere, &c.

Ἐπίκρισις conclusionis loco. Nam si implacabiles, &c.

Ἐπίλογος. Sed quoniam primus annus, &c.

Ἀποσημείωσις.

Vnum est) Vestibuli huius πρότασις, propositio. Vnum) ἕν τι, propter exceptionem. Quod tibi præcipere) Proponit liberè, ut præceptor. Neque te patiar) Κατασκευή, ratio, coniuncta cum laude fratris, & amoris fraterni significatione. Omnes enim) Ἐπικατασκευή, προσαπόδοσει, in distributis ratione supposita. Estq; ἄτεχνος, à generali testimonio. Ita de tua) Τὰ ἐπαινετά. Vt in tuis) Τὸ ψεκτόν. Vnam iracundiam) Ὀργιλότητα. Quod uitium) Ἐπίκρισις, iudicium Ciceronis, ad uituperandum uitium, & fratrem ab hoc deterrendum. Cum in hac) Πρόσληψις, assumptio infiniti, ad finitum: & ratiocinatio à minore.

Si iracundia uitium in priuata, quotidianaq; uita maximum est: maius, & deformius est in eo, qui est cū summa potestate. Est

Est autem hoc uitium in uita priuata turpißimum.

Est igitur longè deformius, in eo, qui est cum imperio.

Cum in hac priuata) Aſſumptio. *Tum)* Concluſio. *Ad ſummum imperium)* Proconſulatus. *Acerbitatem naturæ)* Ὀργιλότητα, uel ἀκροχολίαν, καὶ πικρίαν. *Iracundia uitium est* τοῦ θυμοειδοῦς, *eius animi partis: in qua irarum exiſtit ardor. Cuius ſpecies ſunt* ἀκροχολία, excandeſcentia: πικρία, acerbitas naturæ: & βαρυθυμία, moroſitas.

Vide Ethica Nicom, et lib. de uirtutibus, & uitijs.

Iracūdi hominis notæ ſunt: μὴ δύνασθαι φέρειν, μήτε τὰς μικρὰς ὀλιγωρόσεις, μήτε τὰς ἐλαττώσεις: item, εἶναι κολαστικὸν, καὶ τιμωρητικὸν, καὶ εὐκίνητον πρὸς ὀργὴν, καὶ ὑπὸ ἔργου, καὶ ὑπὸ λόγου τοῦ τυχόντος. Comites ira perciti ſunt: τὸ παροξυντικὸν τοῦ ἤθους, καὶ εὐμετάβολον: item ἡ πικρολογία: denique τὸ ἐπὶ μικροῖς λυπεῖσθαι: καὶ ταῦτα πάσχειν ταχέως, καὶ παρὰ βραχὺν καιρὸν. Ex quibus iracundus animus Q. Ciceronis facile cognoſci, & iudicari poteſt. *Quare illud non ſuſcipiam)* Ἀπόδοσις, concluſio huius aditus, κατ᾽ ἀποδίωξιν. Non enim ex media Philoſophia morali uult depromere doctrinam, & præcepta de comprimenda iracundia. *Doctißimis)* Ethicis Philoſophis. *Cum)* αἰτιολογία, ratio duplex. Vitat longitudinem, & remittit fratrem ad legendos doctores morum, & uitæ. *Illud, quod)* Sequitur προκατασκευὴ, ueſtibulum, & præparatio ad confirmationem, & dehortationem. *Quod est epiſtolæ proprium)* Οἰκεῖον, ἤγουν ἐπιστολικόν. Nam præcipere

de

de moribus, est ἀλλότριον, τοῦ ἄλλου λόγου, καὶ ἀλλοτρίας σκέψεως. Magna Moral.

Epistolæ proprium est: ut is, ad quem scribitur, de his rebus, quas ignorat, certior fiat.

Si ad nos) Αἰτιολογία, & ἀνακαίνωσις, renouatio narratiunculæ, & testimonij uniuersalis. Supra laudabilia enumerauit, uirtutem, integritatem, & humanitatem. Nunc hæc uno uerbo complectitur, nihil te (cum abest iracudia) aiunt iucundius. Sed cum) Pars secunda ex contrario, κατ' ἀντίθεσιν. Alicuius improbitas, peruersitasq́;) Causa κινητικὴ, impellens ad iram. Commouerit) Effectus, ἡ ὀργὴ, ira. Sic te animo incitari) Παροξύνεσθαι. Vt) Ὑπόστασις αὐξήσεως ἕνεκα, propter ἀκροχολίαν. Humanitas) Πρᾳότης, lenitas, & mansuetudo. Τὸ τῆς ἐπιστολῆς οἰκεῖον, ἴδιον ἔργον.

Quare, quoniam) Hæc est ἀπόδειξις, confirmatio, cuius propositio ratione præcurrente communita est, κεφάλαιον ἐγκατάσκευον, & ἐνθυμηματικόν.

Ὁ πρῶτος συλλογισμὸς.

Ne quod in te insigne uitium fuiße dicatur, cauendum est.

Iracundia est insigne uitium.

Iracundia igitur ne in te fuisse uideatur, cauendum est.

Ὁ Προσυλλογισμὸς, approbatio maioris propositionis.

Παρασκευαστικὴ πρότασις.

Quoniam nos in eam rationẽ uitæ cupiditas glo-

riæ,

riæ, & res ipsa ac fortuna deduxit, ut sempiternus hominum sermo de nobis futurus sit, cauendum est, ne quod in nobis insigne uitium fuisse dicatur.

Sed in hanc rationem uitæ nos, &c. fortuna deduxit.

Ne igitur insigne in nobis uitium dicatur fuisse, cauendum est.

Quare quoniam) Assumptio. Eam rationem uitæ) Πολιτικὴν, ciuilem, ut administremus Remp. uterq; Prætor ego urbanus, tu Prouincialis. Non tam) Causæ, impellens, cupiditas gloriæ, & efficiens, res ipsa, ac fortuna. Caueamus) Conclusio prosyllogismi, & maioris syllogismi principalis. Quanquam ex his duabus partibus, tota παρασυναπτικὴ composita est propositio, quæ continuationem, & consecutionem antecedentis, & annexi habet. Παραίνεσιν mitigat κοινότητι, communitate, seu personæ suæ κατεμίξει, admistione. Quantum efficere, & consequi possumus) Κατὰ τὸ δυνατὸν, κατὰ δύναμιν. Est παράγγελμα, uel ὑποθήκη ἠθική. Minorem syllogismi supra proposuit. Quod uitium, cum in hac priuata uita, leuis esse animi, et infirmi uidetur, &c. Neq; ego hoc nunc contendo) Ἐπιχείρημα, ratio, κατὰ προκατάληψιν, per occupationem. Difficile est, mutare animum, at nō est ἀδύνατον. Negationi subijcit obiectionis concessionem. Difficile est, mutare naturam.

Naturam furca expellas licet, usq; recurret.

inquit Poeta Horatius, sed ibidem tradit eandem doctri-

doctrinã plenius, quam hoc in hoc loco M. Cicero. Penitus insitum moribus) Inueteratum diuturna consuetudine, ut in habitum abierit. Est ἑρμηνεία, interpretatio superioris sententiæ. Sed te illud) Λύσις, per ἀντεισαγωγήν. Si hoc plenè uitare) Ne irascaris aliquando. Nam ἀοργησία, lentitudo, alterum est uitiosum extremum.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines:
Quos ultrà, citraq́; nequit consistere rectum.

Quòd ante) Αἰτιολογία, & præceptum de moderanda nimia ira, tanquam προφυλακτικόν. Quotidie meditari debes, resistendum iracundiæ, ne hac ante occupetur animus, quàm ratio prouidere potuerit. Cumq; ea) Iracundia. Tum tibi) Alterum præceptum, Linguã diligentißimè esse continendam, maximè in iracundia. Quę quidem) Ἐπίκρισις, Linguæ continentia uirtus maior mihi esse uidetur lenitate. Nam illud) Ἐργασία, rationis confirmatio. Illud) Ἐργασία, rationis confirmatio. Illud) Omnino nõ irasci. Grauitatis) Prudentiæ. Lentitudinis) τῆς ἀοργησίας. Est προσαπόδοσις. Moderari uerò) Pars altera, περὶ τοῦ σιγᾷν ἐν τῷ ὀργίζεσθαι. Animo) Θυμῷ. Et orationi) Λόγῳ, continere linguam. Aut etiam) Ἑρμηνεία προσωνταπαντήσει, ordinis immutatione. Aut etiam tacere) Moderari orationi. Et tenere in sua potestate mõtum animi) Moderari animo. Et si non est) Ἀντικατάλλαξις, ἢ συνδρομή. Non est) Συγχώρησις, conceßio. Est tamen) Ἀντεισαγωγή. Atque in hac) Ἐπεξεργασία, expolitio superiorum,

quæ ἐπιθεραπείαν, mitigationem admonitionis liberioris habet, & quandam correctionem. Estq́; ἐπαινετικὴ, cum laude Q. Ciceronis fratris coniuncta, à testimonio Asiaticorum.

Scribunt enim, te hac doctrina, ipsoq́; usu, mitiorem, leniorem q́; factum esse.

Nullæ) Exornatio argumentationis constat προτάσει, αἰτιολογία, & ἐπικρίσει. Propositio fuit καταφατικὴ, affirmatione informata: eademq́; conclusio syllogismi. Ratio στερητικὴ, à signis iracundi hominis, seu effectis, & hic minor syllogismus.

Nullæ uehementiores animi concitationes,
Nulla maledicta,
Nullæ contumeliæ.

Syllogismus.

Is est mitior, in quo uehementiores animi concitationes, maledicta, & contumeliæ non sunt.

In te autem nullæ, &c. tales nunciantur.

Tu igitur mitior esse diceris.

Quæ cum abhorrent) Επίκρισις, hæc repugnat doctrinæ, humanitati, potestati. ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ. Literis) Τὸ γὰρ μαθεῖν πραΰνει τὰ ἤθη.

Scilicet, ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores: nec sinit esset feros.

Nam si) Τὸ τῆς αἰτίας, ratio sui iudicij, κατὰ τὸ πλαστὸν, per duplicem ὑπόθεσιν, fictionem. Summa acerbitas) Κρίσις. Exorabiles) Ira furor breuis est, animum rege. Quæ tamen) Επιφώνημα. Inter duo mala, quod minus

Πάντων ταχέως.

minus est, eligendum. Leuitas acerbitati est anteponenda: τὸ εὐμετάβολον, καὶ ταῦτα πάσχειν ταχέως, καὶ παρὰ βραχὺν χρόνον, leuius est peccatum, τῇ ἀκροχολίᾳ. Sed quoniam) Sequitur huius loci iam Ἐπίλογος, conclusio, συγκρίσει trium annorum proconsulatus, comparatione, uel distinctione, κατὰ προσαπόδοσιν: singulis enim continenter subdit suam rationem. Duos autem in priore parte τῆς συνάψεως copulat particula: Quoniã) Primus annus) 1. Propositio, annus primus reprehensus est. Credo) Ratio, & quædam excusatio, à causis irritantibus animum: ut sunt προκαταρκτικὰ, quæ enumerat: hominum iracundiæ, auaritiæ, insolentia, quæ propter opinionem Quinto accidebant: ideoq; uidebantur intolerabiles. Secundus) 2. Propositio. Secundo anno multò fuisti lenior. Quod & consuetudo) Αἰτιολογία, à causis τῆς πρᾳότητος: quæ sunt, ἔθος, μάθησις, consuetudo, & ratio: itẽ ἐπιστολαὶ παραινετικαὶ, literæ M. Ciceronis. Tertius) Τὸ ἑπόμενον, & summus gradus, παραινέσει: secundus annus parum habuit reprehensionis: hic tertius nihil ut habeat, effice.

POSTREMA pars exhortationis, κατὰ δέησιν.

- Λόγος ἐπιχειρηματικός.
  - Κεφάλαιον. Ac iam hoc loco, &c.
  - Ἐπιχείρημα. Quod si in mediocri statu, &c.
  - Ἐργασία. Ea nostra ratio est, &c.
  - Ἐπιφορά. Quare, quoniam, &c.

Extremæ cohortationis partes sunt:

- Παραίνεσις.
  - Πρότασις. Simul & illud cogita &c.
  - Κατασκευή. Ac si mihi, &c.
  - Ἐπικατασκευή. Quod si, ut, &c.
  - Ἐπεξεργασία. Non est tibi his solis, &c.
- Ἐπιθεραπεία.
  - Αἰτιολογία.
  - Θέσις.
  - Κατασκευή, καὶ ἄρσις δευτέρα.
  - Θέσις δευτέρα.
- Ἐπίλογος.
  - Πρότασις.
  - Ἐπιφώνημα.
  - Ἐπισφραγισμός.

Ἀποσημείωσις.

Ac iam, hoc loco) Κεφάλαιον, propositio argumentationis: quæ habet ἄρσιν, remotionem hortationis, & præceptorum, τῆς παραινέσεως, καὶ τῶν παραγγελμάτων. Non hortatione, aut præceptis deinceps tecum agam. Sed precibus) Θέσις τῆς δεήσεως. Vt omnium laudem undiq; colligas. Referuntur ad hunc locum, ἔννοιαι ἐπαινετικαὶ, quæ ad laudem, & gloriam pertinent: præmium uirtutum, & honorum. Interponit causas, & τὸ δυνατὸν: si totum animum, curam, cogitationemq; suam ea in re ponat. Quod si) Ἐπιχείρημα, ratio, κατ' ἀντίθετον, prima sententia est ὑποθετική.

Syllo-

Syllogismus.

Si in mediocri statu sermonis, ac prædicationis nostræ res essent: nihil abs te eximium, nihil præter aliorũ consuetudinem postularetur.

Atqui res nostræ non sunt in mediocri statu sermonis, & prædicationis.

Ergo abs te, quod est eximium, & propter aliarum consuetudinem, postulatur.

Quod si) Connexum. Nunc uerò) Assumptionis approbatio προσυλλογιστική. Summam enim laudem ex ista prouincia assequi te decet. Argumentum est ex contrario.

Prosyllogismus.

Qui summam laudem assequi debet: eius res non sunt in mediocri statu prædicationis.

Tu summam laudem debes assequi.

Ergo non mediocrem prædicationem.

Nunc uerò) Minor propositio. Hortatur enim fratrem ad summam laudem, & maximam gloriam. Propter earum rerum) Επεμβολή causarum earum rerum, in quibus uersatur magnitudo, & splendor: qui non mediocrem prædicationem, sed summam laudem desiderat. Summam uituperationem) A contrario euentu καθ' ὑπόθεσιν, ex loco etiam contrariorum. Nisi laudem summam assequeris: summam uituperationem non euitabis. Ea nostra ratio est) Εργασία, cõfirmatio rationis: ab expectatione amicorũ, et inimicorũ, ἀπὸ τῆς τῶν φίλωντε, καὶ τῶν ἐχθρῶν προσδοκίας, per ἀντίθεσιν. Oẽs uiri boni,

ἀπουδαῖοι, ut nobis faueant, tibi elaborandum est: & ut hi à nobis omnem & diligentiam, & uirtutem expectent: Omnes autem) Pars altera, contraria: ut omnes improbi, φαῦλοι, μοχθηροὶ, ne minimam rem poßint reprehendere. Quòd cum ijs bellum suscepimus sempiternũ) Ratio interposita. ἀσπόνδου πολέμου periphrasis. Quare quoniam) Ἐπιφορὰ, conclusio, quæ crebras habet hortationes. Quoniam) Conclusio ἐγκατάστασιν, rationem præcurrentem habens. Verba sunt translata, & addita ad nomen. Asiam θέατρον nominat: in quo omnes omnium oculi sint in unum Quintum proconsulem, eiusq; actiones coniecti. Celebritate) Ἐπιθέσεις πυκναὶ, κατὰ παραδιαστολὴν, distinctione propriorum uerborum, et ἀσύνδετον κομματικόν.

Theatrum totius Asiæ:

Celebritate refertißimum:	Διπλῆ ὁμοιοπτωσία.
Magnitudine amplißimum:	
Iudicio eruditißimum:	
Natura resonantißimum.	

Ἐπισημασίαι, significatiões

Natura autem) Postremum amplificat ὑποστάσει, uerbisq; ὑπερβλητικοῖς, superlatis. Contende quæso) Τὸ ἑπόμενον, annexum, & ἡ πρώτη δέησις, primæ preces: Contende quæso: ut & his ipsis rebus dignus habearis: & ut ea omnia suis artibus superes. Elabora) Ἑρμηνεία. Non modò) Τὸ ἐξ ἀναιρέσεως συμπλεκτικὸν σχῆμα. Et quoniam) Altera δέησις, & secundæ preces: per collationem utriusq; præturæ: urbanæ, & prouincialis. Casus) Supra fortuna, & sors. Fac, ut tua) Παραίνεσις. Da operam

operam ut tua non me (quod fieri non poteſt) ſed cæteros uincat. Mea pars nemini cedit) Πεποιθότως, καὶ λαμπρῶς, ſplendidè, & glorioſè de ſe loquitur, περιαυτολογίᾳ admodum uſitata Ciceroni.

Simul & illud) 2. Pars habet παραύξησιν: de parta gloria tuenda. Non minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri. Propoſitio eſt ἐνθυμηματική.

Qui de parta gloria dimicant: ijs ea eſt tuenda.
Nos dimicamus de parta gloria.
Ea igitur tuenda nobis eſt.

Nos) Antecedens, & minor. Non) Ἄρσις gloriæ reliquæ, atq; ſperatæ. Sed de) Θέσις, uel ἀντίθεσις gloriæ iam partæ: quæ eſt τῆς κτήσεως, poſſeſsionis, non τῆς περιποιήσεως, comparationis: ſed hic requirit φυλακὴν, καὶ αὔξησιν: ut eam cuſtodiant, amplificent, omniq; laudis genere cumulent. Quæ quidem) Ἐπισύναψις propoſitionis, ipſaq; concluſio. Expetiuimus hanc gloriam, quam conſecuti ſumus: nunc elaborare debemus: eam ut tueamur. Ac ſi mihi) Κατασκευὴ τῆς προτάσεως, ratio propoſitionis, ἀπὸ τῆς κοινότητος, à gloriæ communitate.

Si mihi quicquam à te ſeparatum eſſet: nihil amplius deſiderarem hoc meo ſtatu, qui mihi iam partus eſt.
At mihi nihil eſt à te ſeparatum.
Aliquid igitur deſidero amplius hoc meo ſtatu:

Ac ſi mihi quicquam) Connexum: & τοῦ ἀντιθέτου pars prima, ὑπόθεσις, Nihil amplius) Nam ad meam glo

riam nihil uidetur posse accedere: πεποιθότως, καὶ λαμπρῶς, & gloriosè dictum, καυχήσει Ciceroni usitatissima. Nunc uerò.) Τὸ ἀντικείμενον, contrarium, loco assumptionis: à causa φυλακτικῇ, conseruante. Si tua facta, & dicta, istinc meis in consulatu gestarũ respondebunt: omnia ero consecutus. Sin minus, nihil gloriæ me consecutum putauero. Hortatur ut omnibus factis, & dictis in prouincia laudem, & gloriam summam colligat. Nostris) Περιαυτολογία. Tantis) Τὰ αἴτια τῶν πράξεων: labores, & pericula: αἴτια προκαταρκτικά: in quibus, ut in re subiecta, uersatur fortitudo: cuius rerum ab ea præclarè gestarum propria est ἡ δόξα, gloria: iam conseruans causa erit gloria fratris: φθαρτική, labefactans, & interimens contrarium: si dicta, atque facta Quinti, non respondeant suis rebus gestis. Quorum tu.) Κοινότης, communicatio eorum omnium cum fratre. Laus fratris. Tu in consulatu me præter cæteros, ut omnia præclarè gererem, unus effecisti. Ergo particeps es huius mecum tuo merito gloriæ. Quod si.) Ἐργασία, confirmatio superiorum, κατὰ τὸ πλαστὸν, fictione: à causa adiuuante, quæ est τὸ συναίτιον.

Est igitur aliud argumentum.

Si ut amplißimum nomen consequerẽmur, tu unus præter cæteros adiuuisti: certè idem tu, ut id nomen retineã, præter cæteros elaborabis.

Primum autem.

Secundum igitur.

Quod si.) Connexum, quod copulat primum, & secun[dum].

cundum, id est, aſſumptionem, & concluſionem. Ampliſsimum nomen.) Gloriam conſequi. Effectus unus.) Cauſa: & laus fratris: qui fuit συναίτιον. Hunc eundem hortatur nunc: ut ſit φιλανθρωπικὸν αἴτιον. Elaborabis igitur præter cæteros: ut hanc gloriã retineam atq; tuear. Non eſt.) Ἐπεξεργασία, ἢ προσοικοδόμησις, expolitio amplificationis, eaq; bipartita. Primum enim habet προσθήκην, additamentum, de gloria nunquam, et nuſquam interitura: ſed ad poſteros tranſmittenda: deinde ἀνακαίνωσιν, renouationem gloriæ iſtius communitatis: qua & M. Cicero particeps eſſe uult, & alij: ſicut Quintum dixerat ſuæ gloriæ participem factum. Non eſt tibi.) Pars hæc eſt prior: ut non ſit iudicijs horũ, qui nunc uiuunt, hominum contentus: ſed ut ad omnem poſteritatem eam exiſtimationem de ſe propaget. Eſt περίφρασις ὁριστικὴ τῆς δόξης. Quid enim eſt gloria? Eſt exiſtimatio, ſeu iudicium hominum, qui nunc ſunt, & qui futuri ſunt de alicuius rebus præclarè in Repub. geſtarum. Eſt enim, ut Dialectici, in Scholis loquuntur, τοῦ δοξαστοῦ τινὸς πράγματος δόξα. Gloria igitur eſt τὸ πρός τι: fundamentum, eſt res glorioſa, glorioſè, præclare, cum uirtute, & præcipuè fortiter geſtarum: τὰ ἔνδοξα, καλὰ, ἀνδρεῖα πράγματα πραχθέντα, in Repub. in imperio conſulari, uel proconſulari, uel etiã bellico: hoc eſt, domi, foriſque. τὸ ἀντιστρέφον idem eſt, quod ἡ ἀρχὴ, fundamentum: τὸ πέρας, atq; terminus eſt, ut ſit δόξα, hoc eſt, opinio, exiſtimatio, iudiciũq; præclarũ. Nã ὁ ἔπαινος, laus, eſt λόγος, oratio, nõ δόξα, opinio in animis hominũ rectè iudicãtiũ. Gloria. Laus.

Laus enim oris, et linguæ eſt, et prædicatio, atq; cõmmoratio magnitudinem uirtutis oſtendens. Non his ſolis, ſed his etiam.) Συμπλοκὴ ἐξ ἀναιρέσεως. Rectè iudicant de rebus, qui iam uiuunt: rectius, qui uicturi ſunt. Qui futuri ſunt) Περίφρασις poſterorum. Quanquam) Ἐπίκρισις ἐνθυμηματική. Poſterorum uerius iudiciũ erit. Nam obtrectatione, & maleuolentia, inuidia, calumnia, & odio uacat. Deniq; illud etiam debeo.) Poſterior exornationis pars, ἡ ἀνακαίνωσις ſuperiorum. Debes.) Ab honeſto, & neceſſario: nam τὸ δεῖ, & τὸ δέον, debere, & oportere, uerba ſunt officij. Non debes tibi ſoli gloriam quærere; ſed etiam communicanda ea mecum eſt, liberis, & familiæ, totiq; poſteritati etiam prodenda eſt. Non te tibi ſoli.) Ἀναιρέσει, refellit ἐκκλειστικὴν πρότασιν, excluſiuam propoſitionem. Quod ſi eſſet.) Hactenus ἔνστασις, negatio excluſiuæ: ſequitur eius ἐκ περιουσίας ὁμολογία, conceſsio ex abundanti, κατ' ἀντιπαράστασιν. Etſi eſſet.) Conceſsio καθ' ὑπόθεσιν, fictione oratoria. Tamen) ἀφαίρεσις, correctio. Non tamen negligentius gloriam eſſe quærendam. Hortatur fratrem ad diligentiam, ardensq́; ſtudium, ſtimulum, calcarq́; ſubinde acrius admouendo, contra remiſsionem, & negligentiam. Præſertim.) Προτίμησις, ἢ ἐξαίρεσις, à ſignis gloriæ: ut ſunt ſtatuæ, triumphi; & ſimilia monimenta. Genus dicendi eſt elegans: ampliſsimis monimentis conſecrare nominis ſui gloriam. Sed ea.) Poſt καταπλοκὴν, ἢ ἐπέμβολὴν, κατὰ παρένθεσιν, eſt ὑποστροφὴ, reuerſio à uerborum declinatione. In qua cauendum.) ἐπισύναψις, adiunctio

1.Rhet.Ariſt.

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Strenuus eſto, ut etiam te poſterorũ aliquis prædicet.

adiunctio exhortationis, ad diligentiam maiorem. Non ſolùm.) αἰτιολογία τελικὴ, à iudicijs poſterorum, καθ' ὑπόθεσιν, ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως. Si negligens fueris: iudicaberis primùm te tibi parùm conſuluiſſe: deinde tuis liberis, & nepotibus inuidiſſe. Locus ἐκ τοῦ αἰσχροῦ, συγκρίσει. Longe turpius eſt, amittere, quàm non aſſequi laudem. Non ſolum.) συμπλοκὴ ἐξ ἀναιρέσεως. Atq; hæc non eò dicuntur.) Concluſionis loco, ἐπιθεραπείαν rurſus ſubijcit: qua mitigat cohortationis libertatem: eſtq́; tota, ut pleræq́; προκαταλήψεις, occupationes αἰτιολογικαὶ, cauſas exponens ſui conſilij, & facti. Hæc nõ eò dicuntur.) Αρσις, remotio negans cauſam falſam. Vt te oratio mea dormientem, ceſſantem, ocioſum, ſegnem, excitaſſe.) Verba translata, à dormientibus, qui excitantur è ſomno, τὸν καθεύδοντα ἐγείρειν δεῖ. Sed potius.) Θέσις, oppoſitio cauſæ ueræ, κατ' ἐπιδιόρθωσιν, correctione, laude fratris. Currentem) feſtinantem: quod eſt τὸν σπεύδοντα ἐποτρύνειν. Excitaſſe, incitaſſe.) παρήχησις, & ὁμοιόπτωτον. Facies enim.) αἰτιολογία, comparatione duorum temporum. Cum laude Ciceronis, perſuadet enim ſibi Cicero: fratrẽ, ut hactenus fecit: ſic poſthac etiam facturum: ut omnes uno ore, eius æquitatem, ἐπιείκειαν, temperantiam, ἐγκράτειαν, ſeueritatem, ἀποτομίαν, & integritatem, ἀβλάβειαν, laudent. Eſt autem ſeueritas ea pars iuſtitiæ: qua iudex, uel prætor nihil omnino de ſupplicio remittit: miſericordiæ, & clementiæ, & æquitati contraria. Sed utraq́; pro perſonarum, & factorum ratione utendum. Sed me quædam.) Rationis

Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο.

cõfirmatio bipartita: primùm à ſua, deinde à fratris perſona. Nam & ſe cupiditate infinita gloriæ: ut liberius, et prolixius ſcriberet impulſum dicit: nõ quod diffidat fratris uirtuti: & ipſum fratrem optimè intelligere: quæ ad laudem pertinent: ſine alio monitore. Sed me.) Prior cauſa, cõfeßio de ſua φιλοτιμίας, cupiditate gloriæ. Propter.) Ἐπεμβολὴ alius cauſæ, amoris fraterni. Vtraque eſt impellens. Quanquam illud exiſtimo.) Pars eſt poſterior, ducta à perſona Quinti, ἐγκατάσκευος.

Duplex μετάστασις.

Ex cauſis, & adiunctis.

Cui prouincia, ſicut domus ſua, nota eſt: & ad cuius ſummam prudentiam, maximus uſus acceßit: is optimè proſpicit: quid ad laudem pertineat: eiq; ſine alterius hortatione, in mentem uenit quotidie.

Tibi uerò, Aſia, ſicut domus tua, nota eſt, &c.

Ergo tu optimè proſpicis: quid ad laudem pertineat: tibique ſine mea exhortatione, in mentem uenit quotidie.

Cum iam tibi.) Minor propoſitio cum laude fratris: à prudentia & uſu. Sicut unicuiq; ſua domus.) A ſimili. Nam οἰκονομικὴ, & πολιτικὴ, magnam propter δεσποτικὴν, et πολιτικὴν ἀρχὴν, adminiſtrationem rei domeſticæ, & publicæ cognationem habet. Cum) ἐπαναφορά. Nihil eſſe.) συμπέρασμα, concluſio ſyllogiſmi. Ergo importunitatem in exhortando ſuam, lenit & mollit, primum προκαταλήψει, occupatione, & ἀρνήσει, negatione: deinde ἐπιδείξει, laudatione fratris: tum δεήσει, ἢ ἀξιώσει, obſecratione, ac precibus. Sed ego.) Concludit τὴν ἐπιθεραπείαν, mitigationem, excuſatione longitudinis in

De lenienda exhortatione, uide Eraſ. κατ' ἄρνησιν, συγχαριστίαν, ἀξίωσιν, καὶ εὐχήν.

nis in ſcribendo. Locus totus eſt ἐπιστολικὸς, conſtans en thymemate. Nam epiſtola inuenta eſt: ut ſit ὁμιλία τις ἐγγράμματος, πρὸς ἀπόντα γινομένη.

Cum tua lego, te audire coràm uideor: & cum ad te ſcribo: me tecum loqui arbitror.

Ergo non ſolum tua longißima epiſtola mirificè delector: ſed in ſcribendo ipſe etiam ſæpe longior ſum.

Quæ cum.) Antecedens. Ideo.) Conſequens. Delector.) ἦθος.

EXTREMA TOTIVS EPISTOLÆ conclusio, παρακλητική, καὶ παραινετική.

Epilogi huius generalis pars prima habet παράκλησιν, καὶ παραίνεσιν. Orat enim, & hortatur, ut ſupra, ad maximam diligentiam: quam in tertio proconſulatus ſui anno adhibere debeat. Πρότασις, tractata eſt ſimilitudine elegantißima.

Petitionis, & hortationis huius partes ſunt:
- Πρότασις. Illud te ad extremum, & oro & hortor.
- Ὁμοίωσις, ſimilitudo:
  - ἡ ἀρχὴ, eius propoſitio. ut, tanquã poetæ boni, & actores induſtrij ſolent:
  - Ανταπόδοσις, ἡ ἐφαρμογή. Sic tu, in extrema parte, et concluſione muneris, & negotij tui DILIGENTISSIMVS ſis.

a Αιτιολογία τελική. Vt hic tertius annus impe
L rij tui, tanquam tertius actus, perfectißimus, atq; ornatißimus fuisse uideatur.

Illud te.) πρότασις duplex, propter λῆψιν, καὶ παραίνεσιν: estq; propositio ἀόριστος, infinita. Vt.) Iam ὡρισμένη, finita, & explicatior est, idq; propter pulcherrimam similitudinem, qua illustratur res proposita. Sumpta uerò est à fabulis Scenicis Comicorum: quæ plerunque actibus constant quinque: sed hi tribus maioribus partibus comprehenduntur: προτάσει, καὶ καταστροφῇ. Eodem modo administratio Asiæ, propter prorogationẽ in tertium annum: tres partes tanquam actus quosdam habet. Ergo ut καταστροφὴ sit lætißima & laudatißima: hortatur fratrem: ut sit diligentißimus. Tanquam Poetæ boni.) Comici. Actores,) Histriones. Industrij.) scilicet in agendis suis partibus, & personis sustinendis. Sic tu) ἀπόδοσις, redditio similitudinis, eiusq; ad rem ipsam, & personam fratris accommodatio, atq; adaptatio. In extrema parte.) tertio anno. Et conclusione.) ἑρμηνεία. Alludit enim ex similitudine, ad καταστροφήν. Muneris, ac negotij.) Administrationis laboriosæ, & difficilis. Diligentißimus sis. Hæc est περιοχὴ, & summa hortationis: Vt.) αἰτιολογία τελική, ratio à fine, & honesto. Imperij tui.) Proconsulatus. Tanquam tertius actus.) εἰκὼν, uel εἰκασία, imago, ex similitudine. Perfectißimus.) Propter administrationem integrã. Atq; ornatißimus.) Propter gestos honores, gloriam, & laudem. Id facilimè.) ἐπιφώνημα, acclamatio, ἐκ τοῦ ῥᾳδίου, à facili. Eius

πρότα-

πρότασις est: Id facilimè facies. Si me.) αἰτιολογία, à modo, φαντασία ῥητορικῇ. Si cogitabis me tecũ semper esse. Cui semper.) αἰτιολογία τῇ αἰτιολογίᾳ ἐπεμβληθεῖσα, ratio alteri rationi inserta. Et omnibus.) Altera φαντασία τοῦ μείζονος. Plus enim est: omnibus his rebus, quas dicet, ac faciet, INTERESSE, quàm cum eo tantum ESSE. Reliquum.) τὸ ἐπιλεγόμενον, οἱονεὶ ἐπισφραγισμῷ. Nam tandem aliquando terminat, claudit, & ueluti obsignat longißimam, & grauißimam suam epistolam M. Cicero, ἀξιώσει, subiecta petitione: ut Quintus frater suæ ualetudini diligentißimè seruiat. Si me.) Interponit obtestationem, δέησιν, καθ' ὑπόθεσιν.

Percurrimus, in gratiam studiosorum Ciceronianæ dictionis, postremam huius epistolæ partem: cuius οἰκονομίαν, seu dispositionem præcipuè indicauimus, cũ tractatione: & quibusdam uerborum & sententiarum ornamentis. Nam de forma, seu charactere literarum, ipsaque compositione, libro disserimus postremo: Inuentionis etiam in exhortando præcipuas sentẽtias attigimus. Sumuntur enim illæ multò maxima ex parte, ab expectatione bonorum uirorum, à metu, ab expectatione improborũ, à laude, & ab obsecratione. Id quod D. Erasm. Rot. quoq; annotauit.

DE RESPONDENDI AD EXhortationem ratione.

Quemadmodum ad παραινετικὴν epistolam sit respondendum: certa præcepta dari non possunt. Veruntamen ex optimis scriptoribus, quod obseruationis est,

hæ

Ἀποδοχὴ τῆς παραινέσεως.

hæ partes colligi poſſunt; εὐχαριστία, ἔπαινος, ὑπόσχεσις, εὐχὴ, ἀξίωσις, παραίνεσις ἀμοιβαία, πρόληψις, λύσις, θεραπεία, ὁμοίωσις; gratiarum actio, laudatio, pollicitatio, optatio, petitio, mutua cohortatio, occupatio, refutatio, mitigatio, ſimilitudo. Sententiæ ab effectu plæræque ducuntur: cum oſtendimus, quantum apud nos illius authoritas & exhortatio habuerit pondus. Motum itaque habet hæc ἀντιγραφὴ, fiduciam, τὸ θάῤῥος. Recipimus enim hortanti, nos magno, alacriq; animo rem præclaram quidem, ſed arduam aggreſſuros, orationis genus eſt moratum, & illuſtre, ἠθικὸν καὶ λαμπρὸν. Partium iſtarum ordo arbitrarius eſt; ſed in Cicerone hæc quoq; τάξις, diſpoſitio, obſeruari debet.

EXEMPLA RATIONIS ſuadendi, & literarum συμβουλευτικῶν, καὶ προτρεπτικῶν.

CAPVT XII.

HAEC Epiſtola eſt προτρεπτικὴ, & μονοειδὴς, ἢ ἄμικτος, ſuaſoria, & unius modi, ſeu pura, uniuſque argumenti. Suadet autem M. Marcello, qui in perpetuo exilio uiuere ſtatuerat; ut conſilium iſtud exulandi mutet; & in patriam ad ſuos redire malit; quàm eſſe apud alienos. Statum habet negotialẽ, στάσιν πραγματικὴν; quæ eſt futuri temporis, quid nam agendum eſſe uideatur? Vtrum perpetuò exulandum ſit? Κεφάλαια, et loci ſunt huius generis epiſtolarũ proprij;

ὅτι

ὅτι καλὸν, χρήσιμον, ἀσφαλὲς, δυνατὸν, καὶ ἡδύ. Cõtraria Marcelli capita, & argumenta obiter attingit & refellit. Sed iam ipsum Ciceronẽ audiamus benè cõsulentem.

M. CICERO SALVTEM DICIT M. MARCELLO.

Epist. Famil. lib. 4. epist. 7.

Προοίμιον.

ETsi eo te adhuc consilio vsum intelligo: vt id reprehendere non audeam: nõ quin ab eo ipse dissentiam: sed quòd ea te sapientia esse iudicem: vt meum consiliũ non anteponam tuo: tamen & amicitiæ nostræ uetustas, & tua summa erga me benevolẽtia, quæ mihi iam à pueritia tua cognita est, me hortata est: vt ea scriberem ad te: quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer: & non aliena esse ducerem à dignitate. Ego eum te esse, qui eorum malorũ initia multò ante videris, consulatum magnificentissimè, atq; optimè gesseris, præclarè memini. Sed idem etiam illa vidi: neq; te consiliũ civilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompei, nec genus exercitus, probare: sempérque summè diffidere. qua in sententia me quoque fuisse: memoria tenere te arbitror. Itaq; neque tu multùm interfuisti rebus gerẽdis: & ego id semper egi, ne interessem. non enim ijs rebus pugnabamus: quibus valere poteramus: consilio, authoritate, causa: quæ erant in nobis superiora: sed lacertis & viribus: quibus pares nõ eramus. Victi sumus igitur: aut, si vinci dignitas

Πρότασις, κατὰ πρόληψιν.

Εννοια.

Προσοχὴ, καὶ εὐμάθεια.

Αφήγησις, ad laudem Marcelli accommodata.

Post λογισμοὺς τὰ παραλειφθέντα.

Αἰτιολογία, ex causis, & τὰ πραχθέντα, τὰ ἐκβάντα.

gnitas nō poteſt, fracti certè, & abiecti, in quo,
Ἐπίκρισις ἐγκωμιαστική.
tuum conſilium nemo poteſt nō maximè laudare, quòd cum ſpe uincēdi, ſimul abiecisti certandi etiam cupiditatem: oſtendiſtiꝗ; ſapientē, & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum ſu
Ἀντεξέτασις.
ſcipere: extrema non libenter perſequi. Qui nō idem cōſilium, quod tu, ſecuti ſunt: eos video in duo genera eſſe diſtractos. Aut enim renouare bellum conati ſunt: & hi ſe in Africam cōtulerunt: aut quemadmodum nos, uictori ſeſe crediderunt. Medium quoddam tuum con
Ἀνταπόδοσις.
ſilium fuit, qui hoc fortaſſe humilis animi duceres: illud pertinacis. Fateor à pleriſque, vel di
Post narrationem κατάστασις.
cam ab omnibus, ſapiens tuum conſilium, à multis etiam magni, ac fortis animi iudicatū. Sed habet iſta ratio, vt mihi quidem videtur,
Ratio ab utili & poßibili.
quendam modum, præſertim cùm tibi nihil deeſſe arbitrer ad tuas fortunas omneis obti
Confirmatio. Παρασιώπησις ἐνθυμηματική.
nendas, præter uoluntatem. ſic enim intellexi: nihil aliud eſſe, quod dubitationem afferret ei, penes quem eſt poteſtas: niſi quòd uereretur: ne tu illud beneficium omninò non putares. De quo quid ſentiam, nihil attinet dicere: cùm
Acuto & periculoſo.
appareat ipſe quid fecerim. Sed tamen ſi iam ita conſtituiſſes: vt abeſſe perpetuò malles, quā ea, quæ nolles, videre: tamen id cogitare debe
Rurſus συνδρομή, cōcurſio cōceßionis & cōpenſationis.
res: vbicunꝗ; eſſes, te fore in eius ipſius, quem fugeres, poteſtate. Qui ſi facile paſſurus eſſet, te carentem patria, & fortunis tuis, quiete, & liberè vivere: cogitandum tibi tamen eſſet, Romæ

ne,

ne,& domi tuę,cuiusmodi res esset,an Mytilenis,aut Rhodi malles vivere. Sed cùm ita latè pateat eius potestas,quem veremur: vt terrarum orbem complexa sit:nónne mavis sine periculo domi tuæ esse: quàm cum periculo,alienæ? Equidem etiamsi oppetēda mors esset:domi, atque in patria mallem: quàm in externis, atque alienis locis.Hoc idem omnes,qui te diligunt,sentiunt:quorũ est magna, pro tuis maximis,clarissimisq; virtutibus multitudo.Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ:quã dissipari nolumus. Nam etsi nullam potest accipere iniuriam:quæ futura perpetua sit: propterea quòd neque is,qui tenet rempub.patietur:neque ipsa respub. Tamē impetum in tuas fortunas fieri nolo.Hi autem qui essent,auderem scribere:nisi te intelligere confiderem.Hic te vnius solicitudines,vnius etiam multę,& assiduæ lachrymæ C. Marcelli fratris optimi deprecātur: nos cura, & dolore proximi sumus: precibus tardiores,quòd ius adeundi,cum ipsi deprecatione eguerimus,non habemus.Gratia tantum possumus:quantùm victi. Sed tamen,consilio,studio,Marcello non desumus.à tuis reliquis non adhibemur:ad omnia parati sumus. Vale.

Αὔξησις periculi,ante πρότασιν.

Ἐπίκρισις, προτιμήσει.

Altera ἐπίκρισις,& consiliũ cõmune.

Ἐκ τοῦ χρησίμου.

Ἐκ τοῦ κινδύνου καὶ φόβου.

Παρασιώπησις,metũ incutiens.

Alia κινητικὰ αἴτια, comparatione.

Ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ.

A sua uolũtate et facultate

Etsi.) Exordij propositio, κατὰ πρόληψιν, ab occupatione:in qua est compēsatio, ἀντικατάλλαξις: cuius pars ὁμολογία dicitur, uel συγχώρησις, concessio. Adhuc.) Adhuc usq; tempus, Consilio.) Quod uelis abesse à patria,

nec redire, dominante Iulio, in urbem. Eo ut.) Υπόστασις. Reprehendere.) Non enim est consilium turpe. Non quid.) αἰτιολογία, ratio concessionis, κατὰ διαστολὴν τῶν αἰτίων. Non quod.) ἄρσις causæ non ueræ. Quin dissentiam.) Dissentio enim ab eo; idq; mihi placet minimè. Beneuolentiam conciliat sibi Marcelli, quem offendere fortasse poterat, hac dissuasione: à persona sua, & illius. Laudat enim illius consilium, quod est prudentiæ: se extenuat, significatione suæ uerecundiæ, & modestiæ. Qui non audeat grauissimi uiri consilium reprehendere. Επαινον, & σύστασιν sequitur προαναφώνησις, indicatio status ad docilitatem pertinens. Est enim ἀόριστος κατάστασις, propositio infinita. Dissentio à tuo consilio. Sed quod.) Θέσις ueræ causæ, rursus mixtam laudē, cum sui commendatione comprehendens. Extollit enim Marcelli sapientiam, suam immınuit. Quod non sit is, qui sapientissimo homini consilium dare possit: quodq; faciat: hoc non se sua sapientia, sed amicitia, quæ sibi cum illo semper fuerit, fretum facere. Causam igitur κινητικὴν huius suæ scriptionis initio reddit, quod hoc suum consiliū ab amico animo proficiscatur. Non igitur illum sibi debere irasci. Ea-ut.) ὑπόστασις. Tamen.) Pars altera, τῆς συνδρομῆς, ἡ ἀντεισαγωγὴ: qua opponuntur illi ueræ causæ; scilicet, amicitiæ illorum uetustas: & summa Marcelli erga Ciceronem beneuolentia. Hortata est.) Impulit. Vt ea scriberem ad te.) Rursus κατάστασις, sed ἀοριστοτέρα. Quæ &) σύστασις κεφαλαίων, capitū constitutio, τοῦ συμφέροντος, necessariæ utilitatis, & τοῦ καλοῦ,

λῆ, honestatis, atq; dignitatis. Circumductio est complurium membrorum, quæ est τῆς περιβολῆς; tametsi in ἀποδόσει etiam γοργότητα habet, propter ὑπόζευγμα, & ἐπεμβολὴν. Propositio est quinq; membrorum: conuersio totidem: quorum secundum productum est illa interiectione. Ea--quæ.) ὑποστροφὴ, non tam circumductam quàm uelocem reddit orationem. In redditione συμπλοκὴ, &--&--&--& sunt τῆς γοργότητος. Ego eum te.) Epistolæ pars secunda, διήγησις, expositio, uerum altius repetita, primum consiliorum Marcelli de belli ciuilis exordio, & de armorum, inclinato, atq; confecto bello, depositione: deinde rerum ab eodem gestarum in consulatu, & in hoc ciuili dißidio Hæc omnia laudat; ut facilius persuadeat, quod uult. Exponit autẽ, quid Marcellus præuiderit: nempe initia ciuilis dißidij; quid de belli totius administratione, quid de uictoria senserit, & sperarit. Horum malorũ.) Ciuilis discordiæ. Consulatũ.) Scilicet, cũ collega Seruio Sulpitio. Memini.) A suo testimonio. Ita gerendi.) Nam ut Cicero: ita Marcellus ducendũ censebat. Copias.) Primũ neq; magnas, neq; bellicosas: deinde extra ducẽ: paucos præterea principes: reliquos ipso bello rapaces: & in oratione ualde crudeles. Genus exercitus.) Ex tirone, et collectitio milite conflati. Diffidere.) Præsertim duabus illis legionibus, de quib. supra: eamq; ob causam uictoriã etiã desperare. Qua in.) Ἀντιπαραβολή. Nunc enim quod idẽ ipse senserit, subijcit per quandã comparationẽ. Fuisse.) Epistola proxima superiore. Memoria tenere.) Præclarè meminisse, & uidisse.

A teſtimonio Marcelli. Arbitror.) Spero, ὡς οἶμαι, eſt ἐνδοίασις: ſuperiora enim fuerunt ἀποφαντικά. Itaq;.) Hactenus λογισμοὶ, & eædem utriusq; ſententiæ: quæ fuerunt cauſæ non factorum, αἴτια τῶν παραλειφθέντων. Locus eſt στοχαστικὸς, ἀπὸ τῶν σημείων, ἢ τῶν ἀπ᾽ ἀρχῆς ἄχρι τέλους. Eſtq; προσαπόδοσις. Semper egi.) Nã in acie non fui, ualetudine impeditus. Vide Epiſtolam XVIII. lib. IX. Famil. ad Papyrium Pætum. Non enim ijs.) Rationis confirmatio, à facultate, & modo, per contentionem, ἐκ τῆς δυνάμεως κατὰ σύγκρισιν. Non enim.) ἄρσις. Sed.) Θέσις. Sunt autem differentia differentibus, imparibus imparia relata. Victi ſumus igitur,) Hactenus λογισμοὶ, διαλογισμοὶ, παραλειφθέντα, πραχθέντα, cõſilia, cogitationes, res neglectæ, & res geſtæ, earumq; modus: quæ omnia pertinent ad ea, quæ bellũ ciuile præcurrerunt, & cum eo fuerunt coniuncta: ſequitur exitus horum omnium, & euentus, ἡ ἔκβασις, uictoria partis alterius. Aut ſi.) Ἐπιδιόρθωσις, uerbi odioſi, facta duobus alijs. Fracti.) Viribus. Abiecti.) Animo. In quo.) Ἐπίκρισις. Sequuntur autem conſilia Pompeianorum poſt Cæſaris uictoriam. Ac primum laudat conſilium Marcelli: qui Mitylenas ſeceßit. Eſtq; propoſitio. Quod cum ſpe.) Ratio ὑποθετική. Oſtendiſti.) Altera ratio θετική: alludit enim νοήματι ad γνωμολογίαν. Bonus & ſapiens ciuis initia belli ciuilis inuitus ſuſcipit: extrema non libenter perſequitur. Tu es ſapiens, & bonus ciuis. Ergo initia belli ciuilis inuitus ſuſcepiſti: extrema uerò non libenter perſequeris. Cum ſpe igitur uincendi abieciſti etiam certandi

tandi cupiditatem: & Mitylenas in uoluntarium exiliũ abiuisti. In quo tui.) Προκήρυσις. Quod cum spe.) Κρίσις, & consilium Marcelli: estq; πόρισμα, pro conclusione. Ostendistiq;.) Maior. Inuitum—non libenter.) Εμφασις, in his uerbis est, ἀκούσιον, uel ἄκοντα, & ἀκουσίως. Hæc enim facta, quæ ἁμαρτήματα nominantur, merentur ueniã ut Aristoteles scribit tertio Ethicorum ad Nicomach. Hanc uerò facile à Cæsare impetrabit Marcellus, ubi uolet. Qui non idem.) Illustrat hunc locum ἀντεξετάσει, uel ἀντιθέσει, contentione aliorum, quorum longe diuersa fuerunt consilia. Qui non.) Propositio. In duo.) Τὸ κατ' ἄθροισιν ὡρισμένον, τῆς συγκρίσεως. Aut enim.) Ratio ab enumeratione, κατὰ διάζευξιν. Alij, ut Scipio, & Cato minor, bellum renouare conati sunt: & ad Iubam Numidiæ regem, se in Africam contulerunt: alij uictori se crediderunt, inter quos fuit Cicero. Medium quoddam.) Ανταπόδοσις, adaptatio comparationis, & consilij M. Marcelli collaudatio. Qui.) Επίκρισις, προσαποδόσει, κατὰ προσυπαπαίτησιν, ἢ ἀναστροφὴν. Iudicium suum adiectum, in distributis supposita ratione, immutatione ordinis. Hoc.) Se uictori credere. Illud.) Bellum renouare. Fateor.) Narrationem sequitur κατάστασις, κατὰ πρόληψιν. Etsi tuum consilium laudatum adhuc fuit: tamen nunc illud mutandum uidetur. Fateor.) παρομολογία. Vel dicam.) Επανόρθωσις. Sapientis, & magni fortisq; animi consilium.) Κρίσει, id est, iudicio omnium. Sed habet.) Αφαίρεσις, ἢ ἀντεισαγωγὴ, p ἐπίκρισιν: subiungit enim suum nunc iudicium. Ratio.) Consilij tui.

Modum.) finem & terminum. Sic paulatim delabitur ad suasionem; ut discedat à suo proposito; & Romã reuertatur. maximè cum hanc cõsilij mutationem tempus ipsum adiuuet. Præsertim.) Ratio mutandi consilij ἀπὸ τοῦ χρησίμου, καὶ δυνατοῦ. Si enim uoles in urbem redire: tuas fortunas omnes obtinebis.' Sic enim intellexi) Επιμαρτυρησις, à persona Cæsaris. Nam si beneficiũ putabis, te restitui pristinæ dignitati: faciet illud Cæsar. Sed putabis esse beneficium. Ergo Cæsar te restituet. Quod dubitationem.) Cur Cæsar differat Marcelli restitutionem. Ei, penes quem) Cæsari, περίπλοκη. Cæsar potest, & uult te restituere, si modo uelis; si nolis; eris tamen ubiq; locorum in illius ipsius potestate. De quo.) id est, Cuius clementia. παρασιώπησις, reticentiæ species; à suo & facto, & exemplo. Cum appareat.) Ratio à signo. Ego me uictori Cæsari commisi. Ergo bene de illius clementia sperare debes. Sed tamen si iam.) Pars altera dilemmatis. Si mutabis consilium; redibis in gratiam cum Cæsare; si uerò in tua manebis sententia; uersaberis in certissimo periculo. Victoris enim potentiam effugere non poteris. Argumentum, illud ἀπὸ τοῦ ἀσφαλοῦς, à tuta utilitate sumptum est; hoc ἀπὸ τοῦ κινδυνώδους, à periculo, & incommodo. Sed tamen.) Συνδρομή, concessionis, & contrariæ sententiæ oppositio, est enim hic συγχώρησις. Tamen id.) ἀντεισαγωγή. Eius ipsius.) Cæsaris. Qui, si facile.) Exornatio superiorum κατὰ πλαστόν, per fictionem: quæ συνδρομῇ quoq; est tractata; quæ est forma occupationis. Si.) id est, Tametsi, est ὁμολογία.

Caren-

Carentem patria.) Exulantem. Sedat autem iram etiam de aliquo ſumptum ſupplicium. Cogitandum tibi tamen.) ἀντικατάλλαξις compenſatio, per comparationem, aut προτίμησιν, latet in hac periculi extenuatione argumentum, ἀπὸ τοῦ ἡδέος. Etſi enim Marcellus à Cratippo inſtructus Mitylenis omni copia, uoluptatem capiebat: tamen in patria, quæ dulcedine cunctos ducit, ut ait Poeta, & in urbe Roma, & domi ſuæ maiorem percepturus eſt. Sed cum.) Poſt ὑπόθεσιν, ſequitur ueluti πρόσληψις ἐνθυμηματικὴ, per ἀντίθεσιν, id eſt, compoſitionem contrariorum. Cum.) τὸ ἡγούμενον. Non ne τὸ ἑπόμενον, ab utilitate tuta.

Sine periculo } eſſe domi { ſuæ.
Cum periculo } eſſe domi { alienæ.

Interrogatio ἀποφάνσεως, id eſt, aſſeuerationis uim habet. Equidem.) Αὔξησις, amplificatio à maiori, per ἐπίκρισιν. Hoc idem.) Alia cohortatio: nam ſuo conſilio ſubiungit omnium Marcelli amicorum ſententiam. Hoc idem.) Scilicet, quod ego ſentio, & conſulo: nimirum ut redeas in urbem. Qui te diligunt.) Id eſt. Amici tui, λόγος ἀντ' ὀνόματος. Quorum.) A numero, παραμυθία. Inter bona enim fortunæ numeratur ab Ariſtotele & πολυφιλία. Virtutibus.) Ergo non φιλία ſolum, ſed χρηστοφιλία etiam hic notatur. Virtus enim cauſa eſt efficiens amicitiæ. Sed perfectioris, multæ uirtutes: eæq; maximæ, & clariſſimæ. Mouere igitur debent Marcellum, uta utilitas, amor patriæ, & uoluntas amicorum.

Habemus etiam.) Aliud argumentum: non modo nos dignitas, & ſalus tua, periculum tuum, & alia nos, ut tibi reditum in urbem ſuadeamus, impellit; ſed etiam utilitas tua, atq; fortunæ. Habemus.) Ἐκ τοῦ χρησίμου, argumenti propoſitio. Nam etſi.) Ratio per συνδρομήν. Etſi.) Conceßio. Propterea quòd.) Ratio. Tamen.) Correctio, ἀφαίρεσις. Prædonum.) Διαβολή: criminatur enim M. Antonium, & alios Cæſarianos. Nolo.) ἀντιστροφή, uitata σχήματι ἐνικῷ. Hi autem qui.) Alia reticentia. Hactenus τὰ φοβερὰ, quæ Marcellum in aliam ſententiam adducere deberent. Hic te unius ſollicitud.) Poſtremum argumentum à cauſa impellente, fratris ſcilicet deſiderium, & deprecatio apud Cæſarem. Vnus.) Ἔμφασις. Vnius ſolicitudines, unius etiam multæ, & aßiduæ lachrymæ.) Πάθος, uehemens animi motus. Nos cura.) Addit hic ſuam curam, & dolorem. Precibus.) Occupatio ἀντιλογική. Cur precibus ſit tardior Cicero. Quia ius adeundi Cæſarem non habeat. Cum ipſemet deprecatoribus eguerit, Dolobella, Trebatio, Panſa, Hircio, Balbo, & alijs. Gratia tantum poſſumus.) A ſuis officijs, quod argumentum, ut illa, ad δύναμιν pertinet, quòd poßit redire: hoc enim probat à Cæſaris uoluntate: & ſolicitudine, ac precibus C. Marcelli fratris, uiri conſularis, à ſuis deniq; officijs. Cæſar uult, ut redeas: Frater item ſolicitus eſt pro te, & precibus apud Cæſarem, pro te intercedit: nos etiam nullis tibi deſumus officijs. Ergo tibi redeundum eſt. Locus eſt cauſarum etiam impellentium. Etſi enim gratia tantùm poſſum, quantùm uictus: tamen

tamen consilio, & studio non desum tuo fratri. A tuis reliquis.) διαβολῇ *aliorum: qui minimè de eius reditu laborabant.* Ad omnia.) Conclusio à sui officij delatione.

EXEMPLVM SECVNdum *προτρεπτικὸν, eiusdem argumenti, & uniusmodi.*

CAPVT XIII.

CICERO S. D. M. MARCELLO.
famil. lib. 4. Epist. 8.

1. Περιοδικὸν πεντάκωλον, circumductio, uel comprehensio quinq; membrorum. Πρότασις, ἀφαιρέσεως τριῶν, προσαποδόσεως.

Neque monere te audeo: 9.

τὸ συνεζευγμένον, coniunctio.

Præstanti prudentia virum: 9.

Nec confirmare: 5.

Maximi animi hominem, virumque fortissimum: 16.

Consolari verò, nullo modo: 10.

Membra plerâq; sunt ἰσομμάτικα, *incisis paria: duo priora paria sunt,* ἰσόκωλα *nominata: tertium* ἐπῳδῷ *simile: minuto scilicet uersui Lyrico: quartum est* τεταμένον, καὶ ὀρθὸν, *explicatum, & rectum: postremum* μέτριον, *mediocre, secundo, & primo par: dupli cum tertio habens proportionem.*

2. Περίοδος τρίκωλος, *circuitus trium membrorum,*

Κατασκευὴ, ratio tertiæ remotionis, χωρισμῷ, separatione, κατ' ἀντίθετον, contrariorum cõtentione.

Nã si ea, quæ acciderũt, ita fers, vt audio: 16.
Πρότασις.
Gratulari magis virtuti debeo: 12.
Ἀπόδοσις δίκωλος.
Quàm consolari dolorem tuum: 10.

Est igitur μείουρος, cuius ultimum membrum cæteris est curtius: tota uerò conuersio est ἄνισος, uel ἀνισόκωλος, imparium membrorum. Ornamenta *hic sunt, τὸ καθ' ὑπόθεσιν,* conditio, *&* ὑπόστασις, cum *προτιμήσει, redditio particularum, cum electione oratoria.* Id quod *ostendunt τὰ μόρια: si, ita ut, Magis quàm.*

Τὸ ἀντικείμενον, contrarium ἀξίωμα ὑποθετικόν.

3. *Περίοδος τετράκωλος, quatuor membrorum ambitus.*

Sin te tanta mala Reipub. frangunt: 13.
Πρότασις.
Non ita abundo ingenio: 10.
Ὑπόστασις, ita, ut. Estq; ἀπόδοσις comprehensionis.
Vt te consoler: 5.
Cum ipse me non possim: 7.

Ἐπισυναψις συνθυμηματικὴ, argumenti à minore ad maius.

Sunt & in ista continuatione breuia membra: quæ conueniunt epistolis: præsertim, in dignitate, & splendore. Laus enim M. Marcelli λαμπρότητα habet: sententiæ autem, quæ hic latent, sunt τῆς σεμνότητος.

Ἀπόδοσις τῆς ἐφόδου exordij, per insinuationem: et post ἀφαίρεσιν, θέσις. remouit enim aliena: ponit propria.

4. *Est & hæc τετράκωλος, sed μακρόκωλος, cuius finis est χοινοτενὴς, ut extensa chorda, seu funiculus.*

Reliquum est igitur: 7.
Vt tibi me, in omni re, eum præbeam, præstemq;: 16. (16.
Vt ad omnia, quæ tui velint, ita adsim p̃sto:

Vt

Vt me non solùm omnia debere tua causa, quæ possum, sed ea quoque, quę non possum, putent: 29.

Circuitus hic partim ἰσόκωλος *est, membris secundo, & tertio paribus, & rectis, primo, & ultimo imparibus: illo* κομματικῷ, *hoc* χοινοτενεῖ, καὶ μακρῷ, *longissimo: propter duorum* σύνθεσιν, *copulationem: id quod ostendit uerbi* Putent, μετάθεσις, *traiectio ad finem.* Ανάλυσις, *solutio duo cola faciet, commutato* ὑποζεύγματι, εἰς τὸ συνεζευγμένον, *hoc est, adiunctionem: ad istum modum: ut me non solùm omnia debere tua causa, quæ possum, putent: sed ea etiam, quæ non possum. Sed plenior Ciceronianæ compositionis est sonus, quanquam* λογοειδὴς *est continuatio. neq; enim* ἐπαλληλίαν τῶν συλλαβῶν *uitare uoluit studio; præbeam, quo* QVE, QuAE, *nec* πιτανισμὸν: *Possum, Putent. præstemq; clausula epitrito tertio, & duobus dissyllabis terminatur uerbis. Me in omni* RE) ὁμοιοτέλευτον. *Præbeam, præstemq; adsim præsto*) *Duplex* παρήχησις, *syllabarum assonatio. Clausula, præbeam, præstem* QVE, *Plinio familiaris est. Eum ut*) Υπόστασις. *ut – ut – ut*) ἵνα, τὸ τελικὸν, *quod officij continet* ἠθικὴν *delationem, ter repetitum,* κατ' ἐπαναφορὰν, *in eadem comprehensione uerborũ, & sententiarum. Non solum, – sed ea quoque*) σχῆμα συμπλεκτικὸν ἐξ ἀναιρέσεως, *contraria superlatis uerbis componens,* τάτε δυνατὰ, καὶ τὰ ἀδύνατα. *Periodus ista duas propositiones, & duas reuersiones habet. Reliquum*) πρότασις τῆς προτάσεως. *Vt tibi.*)

Ἀπόδο-

Ἀπόδοσις τῆς προτάσεως. Vt ad omnia) Ἀπόδοσις periodi: eiusq; πρότασις. Vt me non solùm) Ἀπόδοσις τῆς ἀποδόσεως.

5. Σύνθεσις συνθηματική.

Προκατασκευή. Artificiosè autem, et per nouam insinuatiunculã, πλαγίως, obliquè delabitur ad suasionem. Estq; κατάστασις, ut redeat ad suos Romam.

Illud tamen vel tu, me monuisse, vel censuisse, puta: 18.

Vel, propter benevolentiam, tacere non potuisse: 17.

Vt, quod ego facio, tu quoq; animum inducas: 16.

Si sit aliqua Respublica: 9.

In ea te esse oportere, iudicio omnium: 16.

Teq; principem, necessitate cedentem tempori: 16.

Sin autem nulla sit: 6.

Hunc tamen aptissimum esse, etiam ad exulandum, locum: 19.

Circumductio est αἰτιολογική, & ἐγκατάσκευος. Primum causas exponit: cur iterum scripserit, non tam monendi causa: quàm ut exponerem, quid ego tibi faciendũ censerem. Nam supra remouit νουθέτησιν: nunc proponit συμβουλὴν, suum consilium. Vel propter beneuolẽtiam) Hactenus causa τελική: scripsi, ut tibi consilium darem. sequitur causa κινητική, impellens. Beneuolentia, ἡ εὔνοια, καὶ φιλία. Vt quod) Superiora fuerunt ἀόριστα, infinita: à quibus descendit ad definitam, certamq; sententiam. Vt in animum inducat redire in patriam ab exilio. Itaq; hactenus causæ huius scriptionis: & ipsa κατάστασις, propositio: sequitur ἡ κατασκευή, cõfirmatio. in qua primum

primum argumentum παραδειγματικὸν, est à suo exemplo ductum, & propositioni, κατ᾽ ἐπεμβολὴν, interiectum. In quo τὸ καλὸν, honestum, συμφέρον, utile, & τὸ ἡδὺ, iucundum latent.

Ego redij in patriam.

Ergo & tibi redeundum censeo.

Si sit) Ἐπαλληλία τῶν συλλαβῶν. Et alterum argumentum, ἐκ τοῦ ἀναγκαίου, à necessario: κατὰ διλημμα, per complexionem: quæ in duas connexas soluitur ratiocinationes.

Si est aliqua Respublica domi: in ea te esse oportet.

Est autem Romæ aliqua Respublica: unius scilicet dominatus, ἡ μοναρχία.

Igitur te in ea Repub. esse oportet.

Si sit) Connexum: & primum λῆμμα. In ea) Annexum. Oportet) Δεῖ. Necessitate enim tempori est cedendum. Iudicio omnium) Suam κρίσιν, sequitur ἐπίκρισις, iudicium omnium: tanquam δημόσιον, publicum testimonium. Teq;) Προεπίπληξις, nō ἀρχόμενον, sed πολιτευόμενον. Ab honesto, ὅτι τίμιον ἀγαθὸν, quòd honoratum bonum. Ὑπόσχεσις, latens pollicitatio, et τὰ ἐκβησόμενα: tibi reditus erit perhonorificus: patriæ salutaris: nobis longè iucundißimus. Necessitate) ἐπισυναψις προτρεπτικὴ, ab officio. Sapientis enim est, tempori cedere: necessitati parere.

Alter syllogismus, & alterum λῆμμα complexionis.

Si nulla Romæ est Respublica: erit tamen ipse locus,

tibi

tibi nolenti adhuc exulare, ad exulandum aptißimus.

Vis autem perpetuò exulare.

Romæ igitur exula potius, quàm apud exteros.

Vel censuisse) Ἐπανόρθωσις. *Vel)* Ἐπαναφορὰ *ter repetitæ particulæ. Quod ego)* Ἀντιπαραβολή. *Notetur loquendi formula: aliquid in animum inducere. Tu quoque)* Ἀνταπόδοσις. *Si sit)* Δίλημμα *ex contrarijs. Sin nulla)* Ἔνστασις, *propter conceßionem ex abundanti. Hunc tamen)* Ἀντιπαράστασις, *& loci commendatio.*

Ἐργασία τοῦ ἐπιχειρήματος, *cõfirmatio rationis,* ὅτι οὐκ ἀσφαλές, ἀλλὰ πολυκινδυνον, ἀεὶ φυγάδα εἶναι.

6. Περίοδος τετράκωλος, *ex duabus bimembribus: duobus prioribus: tamen* μακρόκωλος.

Si enim libertatem sequimur: 10.

Πρότασις, *cum sua propositione, & conuersione.*

Qui locus, hoc dominatu vacat? 10.

Sin qualemcunque locum: 7.

Ἀπόδοσις *propositioni par.*

Quis ēst domestica sede iucundior? 12.

Conuersio est διλημματική. *Si enim) Primum* λῆμμα. *Sequimur)* Πληθυντικὸν σχῆμα, *suæ personæ admixtione. Qui locus) Eius* Λύσις, ἢ ἀφαίρεσις, *refutatio ex repugnanti. Libertas enim, & dominatus sunt* μαχόμενα. *Imò hic illius est* φθαρτικὸν αἴτιον, *causa corrumpens. Vacat)* Ἐρώτησις, *loco negationis. Id est, nullus locus. Amplificat potentiam* μοναρχικὴν *Iulij Cæsaris. Sin qualemcunq;)* Τὸ δεύτερον λῆμμα, *altera complexionis pars. Qualemcunq;)* Ταπείνωσις. *Locus, Exilij. Quis est)* Ἀφαίρεσις, *ex comparatione, per compensationem. Opponit enim* τῷ λυπηρῷ, καὶ φοβερῷ, τὸ ἡδὺ, *simili*

simili πτώσει, interrogatione παθητικῇ.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos.
Ducit: & immemores nec sinit esse sui.

6. Διπωλ☉ περίοδ☉ *longioribus membris: ad λαμπρότητα.*

Επικατασκευή, loco exornationis.

Sed, mihi crede, etiam is, qui omnia tenet, fauet ingenijs: 21.

Nobilitatem verò, & dignitatem hominũ, quantùm ei res, & ipsius causa concedit, amplectitur: 33.

Negauerat simulata præteritione, προαποιήσει τῆς παραλείψεως, se Marcellum confirmaturum, & consolaturum. Hic tamen utrumque facit sententijs παραθαρρυντικαῖς τε, καὶ παραμυθητικαῖς. Nam & fiduciam ei affert, spe pristinæ dignitatis recuperandæ facta: & non parùm consolatur ipsius dolorem: à persona Cæsaris, quòd licet omnia teneat: tamen ingenijs, nobilitate, & dignitate præstantibus, ex quorum numero etiam sit ipse Marcellus, faueat. Laus Cæsaris ab eius clementia. Mihi crede, etiam is, qui om.) Επεμβολή, βεβαιώσει, μαρτυρίᾳ τῇ αὐτοῦ. Interponit enim asseuerationem à suo testimonio. Is, qui omnia.) Αυτοκράτωρ, C. Iulius Cæsar, περιφράσει. Fauet ingenijs, id est, ingeniosis, & literatis hominibus, μετωνυμικῶς. Ergo & tibi reconciliato fauebit. Non igitur eum metues, παραθαῤῥυντικῶς. Nobilit) Altera pars. Equestrem uerò ordinem, & Senatorium amat. Digintatem) Alia μετωνυμία, ἢ ὑπαλλαγή. Quantùm) Εξαίρεσις, exceptio μοναρχική. Verò)

τὸ) Μερισμὸς, quem faciunt apud Græcos, particulæ μὲν, & δέ.

7. Ἀφελὴς, ἢ ἁπλῆ, καὶ μονόκωλος περίοδος, simplex, & unius membri conuersio, facta ex duobus, per ἔλλειψιν uerbi, scripsi.

Ἐπιφορὰ, conclusio ex abrupto.

Sed plura, quàm statueram.

Est præcisio, uel suijpsius correctio.

9. Δίκωλος περίοδος, bimembris, colis breuioribus, sed μείζων.

Ἐπίλογος, ὑποσχέσει.

Redeo ergo ad vnum illud: 10.

Me tuum fore, cum tuis: 8.

Pollicetur ἠθικῶς Marcello sua officia Cicero.

Occupatio per correctionem.

10. Ἐπισυναψις, adiunctio duorum membrorum periodi: κατὰ πρόληψιν, ἐπιδιορθώσει.

Si modò erunt tui: 7.

Μακρολογία, prolixè enim denuo omnia ei defert.

Sin minus, me certè in omnibus rebus, satis nostræ coniunctioni, amoriq́ue facturum: 28.

Vale.

Id est, in orbē

Est διαβολὴ eorum, qui de Marcelli reditu minimè laborabant: cum quibus se comparat: prolixè suam operā Marcello promittendo. Breue est ἀντίθετον, cuius prior ὑπόθεσις annexum habuit præcurrens: ubi se cum alijs coniungit: altera ὑπόθεσις habet contrarium: inde κοινολοειδῶς redit ad pollicitationem nudam: in qua se à cæteris M. Marcelli falsis amicis seiungit.

Παρατήρησις ἐπιστολική.

Obseruent studiosi elegantiæ in scribendo: Ciceronem, in principio huius epistolæ, tria genera literarum,

τεχνικῶς

τεχνικῶς antè remouere, à suo instituto aliena, ἀλλότρια: quàm certum, & proprium, τὸ οἰκεῖον, constituat. Remouet autem νουθετικὴν ἐπιστολὴν, monentem: παραθαῤῥυντικὴν, confirmantem: & παραμυθητικὴν, consolantem. Retinet eam, qua uti uult, προτρεπτικὴν, suadentem. Simili remotione, incipit epistolã παραινετικὴν, ad Curionem: cuius est initium: Epistolarum genera multa esse, non ignoras: sed illud certißimum, &c. Harum, & earũ, quas, propter studiosos hîc, ὡς τύπῳ, delineamus, σύγκρισιν, ἢ συζήτησιν, collatione facta, similitudinem, et differentiam, non erit difficile, instituere.

TERTIVM EXEMPLVM

προτρεπτικῆς, seu suasoriæ epistolæ, eiusdem argumenti.

CAPVT XIIII.

CICERO S. D. MARCELLO.

Adhuc reditum in patriam suadet; ut in superioribus; sed ita, ut tandem persuadeat.

I. Περιοδικὸν ἑξάκωλον, longioribus membris.

Πρότασις τρίκωλος.

Etsi, perpaucis ante diebus, dederam Q. Mutio literas, ad te, pluribus verbis, scriptas: 30.

Quibus declaraueram, quo te animo censerem esse oportere: 21.

Et, quid tibi faciendum arbitrarer: 12.

Προοίμιον ἐφόδῳ, breui insinuatione, κατὰ πρόληψιν, ab occupatione, per συνδρομὴν τῆς συγχωρήσεως, καὶ ἀντεισαγωγῆς.

Ἀπόδοσις etiam τρίκωλος.

Tamen, cum Theophilus, libertus tuus, proficiſceretur: 18.

Ἀντεισαγωγὴ, ab occaſione ſcribendi, ἐνθυμηματικῶς.

Cuius ego fidem erga te, benevolentiamq́ perſpexeram: 20.

Sine meis literis, eum, ad te venire, nolui: 17.

Breuiſsimum, & ἐπιστολικὸν ueſtibulum αἰτιολογικὸν, cur ſcribat: & συστατικὸν, propter duplicem commendationem. Membra ſunt longiora, quàm in ſuperioribas literis: quæ ſunt ſplendoris.

Κατάστασις, propoſitio: ut redeat in patriam.

II. Περίοδος τρίκωλος μακρόκωλος.

Βραχυλογία.

Iiſdem igitur de rebus, etiam atq́ etiam hortor.

Quibus ſuperioribus literis hortatus ſum:

Ειδικώτερον διασαφηνίζει.

Vt, in ea Republica, quæcunq́ eſt, quam primùm velis eſſe.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ, confirmatio, quæ eſt ἀνασκευαστική.

Refellit enim rationes Marcelli contrarias: quibus deterreator, & impediatur: quò minus uelit.

De aſpectu.

GEnus dicendi contrarium eſt ſplendori. Eſt enim concitatum, & mobile, γοργὸν, διαλεκτικὸν, ἀγωνιστικὸν, contentionibus, & altercationibus idoneum.

1. Ἀπαύτησις ταχεῖα, obiectio uelox, ſeu ὑποφορά.

III. Περίοδος μονόκωλος.

Multa videbis fortaſſe, quæ nolis, 11.

Multa) ἡ ἀρχὴ, principium membri circumducti.

Quæ

Quæ nolis) Καμπὴ, flexus, seu reflexio, ἀνάκαμψις eiusdem, per πρόσαψιν, adiunctionem duorum uerborum, et rei ἐμποδιστικῆς.

IIII. Ἀντίθεσις βραχεῖς, breuis responsio, siue ἀνθυποφορὰ, eadem compositione.

Non plura tamen, quàm audis quotidie, 12.

V. Τετράκωλος περίοδος μακρόκωλος, una προτάσει, & una ἀποδόσει: duplici ἐπισυνάψει, duorum postremorum membrorum.

Non est porrò tuum: 6. ἐπῳδῷ simile colon, par inciso.

Vno sensu solùm oculorum moveri: 13.
Cum illud idem auribus percipias: 12.
Quod etiam maius videri solet, minus laborare: 17.

Est προσαπόδοσις, in distributis supposita ratio μεμπτική. Officium enim cuiusq; est hominis: non uno, sed omnibus sensibus moueri. Iis quæ uidentur, nihil addi potest: licet hic sensus sit acerrimus: quæ uerò audiuntur, ea solent plerunq; exaggerari: ut uehementius moueant, perturbentq; animos. Estq; νόημα, sententia generalis personæ Marcelli applicata.

2. Ἀπάντησις, obiectio.

VI. τετράκωλος περίοδος, breuißimis membris, tanquam incisis.

At tibi ipsi dicendum erit aliquid: 13.
Quod non sentias: 5.
Aut faciendum: 5.
Quod non probes: 4.

Par numerus pari opponitur. Multa nō plura, ad extenuationem.

Opponit p-æq; graue, aut grauius: de auditu.

Fama malum, &c.

Ἐπιχείρημα, ratio, per ἀπόφασιν τῆς ἐκπληκτικῆς, negationem exclusiuæ: cui additur ἐργασία, confirmatio, κατ' ἔνστασιν alterius sensus.

Περὶ τοῦ λεκτοῦ, καὶ πρακτοῦ. ut sibijpsi contrarius esse debeat.

Periodus duas propositiones, & duas redditiones habet. At tibi) Πρότασις, eiusq; propositio. Quod non) Eiusdem redditio. Aut faciendum) Απόδοσις, eiusq; πρότασις, διαζεύξει, disiunctione dicendorum, & faciendorum. Faciendum) Scil. erit aliquid, ἔλλειψις κομματικὸν efficit κῶλον, propter μεσόζευγμα, coniunctionem. Est autem ἰσοσκελὴς circuitus. Tria enim membra paria sunt: tertium, hoc est, primum, est impar.

Αντίθεσις, ἢ Λύσις.

Κεφάλαιον, propositio.

VII. Μονόκωλος περίοδος γνωμολογική.

Primùm tẽpori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum.

Dilatata est periodus κατασκευῇ, declinatione uerborum, quæ & ἐπεμβολὴ nominatur: in qua est ἑρμηνεία. Semper) Ανάκαμψις, & ὑποστροφή.

VIII. Eiusdem est generis conuersio.

Pars altera.

Deinde non habet, vt nunc quidem est, id viti res.

Similis est conformatio huius conuersionis: nisi quod omnia sunt breuiora.

IX. Δίκωλος, μερισμῷ, distinctione membrorũ, quam ostendunt particulæ Græcorum: λέγειν μὲν γὰρ οὐκ ἔξεστι: σιωπᾶν δὲ, &c.

Επιχείρημα, ratio, pro συνδρομήν.

Dicere, fortasse, quod sentias, non licet: 13.
Tacere planè licet: 7.

Dicere) Συγχώρησις, concessio. Fortasse) Ισως, ἐνδοίασις. Estq; periodus non solùm διηρημένη, sed etiam ἀντικειμένη: ex contrarijs confecta. Dicere enim, & tace-

re sunt aduersa, ἐναντία: licet, non licet, κατάφασις, & ἀπόφασις Tacere) Αντιματάλλαξις, compensatio, latentem habet προτροπὴν, linguam esse continendam. Ornamenta etiam sunt contraria: ἐνδοίασις, fortasse non licet: & ἀπόφανσις, asseueratio. Tacere planè licet. Conuersio, ἡ ἀντιστροφὴ, pulchram orationem efficit, τὸ κάλλος: breuitas membrorum, & hæc μειουρία, ut etiam ἡ μέθοδος, ratio tractandi sententias, mobilem, & celerem, γοργότητα: ut sunt ἀπαντήσεις, ἀντιθέσεις, συνδρομή, καὶ ἀποστροφή: quanquam hæc propter παῤῥησίαν, aliquid habet acrimoniæ, σφοδρότητος. Sententiæ tamē, αἱ ἔννοιαι, aliquid afferunt dignitatis.

X. Membrum extra circuitum.

Omnia enim delata ad vnum sunt.

In Monarchia, ἡ ἐλευθεροστομία non tuta.

XI. Huic continenter addita est simplex uerborum conclusio.

Is vtitur cōsilio, ne suorum quidem, sed suo.

Hactenus de Cæsare: qui omnia tenet: sequitur κατ' ἀντιπαραβολὴν, per comparationem de Pompeio, εἰκαστικῶς: καθ' ὑπόθεσιν: qualis ille, si uicisset, futurus fuisset.

Εργασία, confirmatio superioris rationis. ὅτι οὐκ ἀσφαλὲς, ἀλλὰ κινδυνῶδες παῤῥησιάζεσθαι.

XII. Τρίκωλος περίοδος, πρότάσει μονοκώλῳ, μείουρος.

Quod non multò secus fieret: 9.

Est ἰσοσκελὴς, duobus membris paribus, tertio impare.

Si is Rempublicam teneret: 9.

Quem secuti sumus: 6.

Επεξεργασία, expolitio argumentationis: quæ fit προσοποιοδο-

μήσει, exædificatione, subiecta noua argumentatione, de Pompeio, λόγῳ παρεκβατικῷ, digreßione, & αὐξήσει, addita amplificatione.

Fieret) Προθεσπίζει εἰκάζων, ἐκ τῆς ἐκβάσεως, diuinat coniiciendo, ex euentu. Si is) Υπόθεσις. Is, quem secuti sumus) Pompeius. Rempublicam teneret) Monarcha esset: penes quem unum summa rerum esset, atq; potestas. Teneret) Ὁμοιοτέλευτον. Argumẽtatur autẽ à pari.

Victore Pompeio, eadem uidisses, & audiuisses.

Patienter igitur, dominante Cæsare, hæc suffer.

XIII. Τετράκωλος ἄνισος μείουρος, duobus paribus membris, reliquis inter se, & his ipsis imparibus.

An, qui in bello, cùm omniũ nostrum coniunctum esse periculum suo cerneret: 25.

Hactenus noua propositio, πρότασις sequitur κατασκευή, ratio.

Certorum hominum minimè prudentium consilio uteretur: 21.

Eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse: 20. φιταλισμός.

Quàm incertis in rebus, fuisset? 10.

Antecedens approbat ἐνθυμήματι, ex minore ad maius.

Τὸ ἑπόμενον, annexum, & minus.

Pompeius in bello, rebus adhuc incertis, consilio usus est certorum hominum, minimè prudentium: ut Scipionis, Domitij, & aliorum. Ergo in uictoria non fuisset futurus magis communis: sed certorum quorundam, & paucorum consilio fuisset usus.

Acriter hæc concluduntur interrogando.

XIIII. Τρίκωλος ἰσοσκελής, interiecto χοινοτενεῖ,

Επικατασκευή, confirmatio, κατ' ἐπενθύμημα.

Et qui nec, te consule, tuum sapientissimum consilium secutus esset: 24.

Nec fratre tuo consulatum, ex authoritate tua gerente, vobis authoribus, uti voluerit: 31.

Nunc

Nunc omnia tenentem, nostras sententias desideraturum censes fuisse? 24.

Pompeius tuum consilium non est secutus.

Tibi enim consuli finienti prouincias Gallicas, Cal. Martij restitit.

Ergo si omnia teneret: nostras sententias non requireret.

Item,

Idem Pompeius, nobis authoribus uti noluit: cum frater tuus patruelis C. Marcellus consul esset.

Ergo uictor nostra consilia non expetiuisset.

XV. Τέλεωλος ἄνισος, μείουρος.

Omnia sunt misera, in bellis ciuilibus: 14.
Quæ maiores nostri ne semel quidem: 11.
Nostra ætas sæpe iam sensit. 9.

Hactenus de belli, discordiæq; ciuilis authoribus, & principibus: quæ pars est ὑποθετικὴ: quia προσωπικὴ, quæstionis finitæ, & certarum personarum: iam ἀπόστασιν, declinationem facit sursum, ἐπὶ τὸ καθόλου φέρων τὸ κατὰ μέρος: quemadmodum in Topicis loquitur Aristoteles. Sequitur enim καταδρομὴ τοπικὴ, loci communis tractatio, sed epistolis conueniens, non apta foro, nec iudicijs accommodata: propter breuitatem expolitionis, atq; ornatus. primũ igitur de bellis ciuilibus: in quibus omnia sunt misera. σχῆμα est ἔμψυχον, καὶ ἐνδιάθετον, orationis affectæ: ἐκφώνησις, ἢ σχετλιασμὸς, exclamatio παθητικὴ, & dolorifica, ueluti conquestio. Quæ maiores) Ratio quoq; αὐξητικὴ, per cõparationẽ.

Expolitionis pars altera, προσαύξησις, amplificatio. Ἔννοιαι σεμναὶ, μέθοδος τῆς ἀληθείας.

cuius pars prima continet μακαρισμὸν, beatos enim significat maiores: qui ne semel quidem, ciuilibus bellis fuerunt conflictati: pars altera est illi contraria, ἡ ἀνταπόδοσις, ὀδυρτικὴ, querula: miseram suam ætatem deplorans: quæ multis intestinis dißidijs concussa est: ut C. Marij, & L. Syllæ, & aliorum: nunc Pompeij, & Cæsaris funestis discordijs: sequitur, κατὰ παράθεσιν & μερισμὸν, de uictoria, σχετλιασμός.

XVI. Δίκωλος μικρόκωλος.

Ἀνταπόδοσις τοῦ μερισμοῦ.

Sed miserius nihil: 7.
Quàm ipsa victoria: 7.

Ἄθλια μὲν, ἀθλιότερον ἤ.

Propositionẽ συγκριτικὴν sequitur ratio ab effectu ἐκ τοῦ αἰτιατοῦ, per μετάστασιν.

Noua comparatio ἀόριστος: Nihil miserius ipsa uictoria belli ciuilis.

XVII. Δίκωλος μακρόκωλος.

Quæ, etiamsi ad meliores venit: 12.
Tamen eos ipsos ferociores, impotẽtioresque reddit: 20.

Διαφορὰ ἡ κοινῶς: διαλλαγὴ cũ quis à semetipso differt; sibiq; dißimilis est.

Est συνδρομή. Notandæ sunt formæ locutionum.

Nihil miserius, QVAM ipsa uictoria, περίφρασις auferendi casus.

Victoria uenit ad aliquem.

Victoria etiam eos qui sunt meliores, reddit ferociores, & impotentiores. Natura enim insolens, & superba est.

Ἡ φύσις.

Ἡ ἀνάγκη.

XVIII. Δίκωλος μικρόκωλος, πρόληψις.

Cõfirmatio.

Τὸ ἀκούσιον.

Vt etiamsi natura tales non sint: 12.
Necessitate esse cogantur: 10.

Ἐλλει-

Ἔλλειψις τοῦ Tamen, uitauit ἰσοκωλίαν.

XIX. Μονόκωλον χοινοτενῶς producta.

Multa enim victori, eorũ arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt.

Lenit κατὰ τὴν ἐπιθεραπείαν: quod τολμηρότερον, & liberius literis commisisse uideri posit. Estque μετάστασις, translatio in belli socios: qui partem aliquam sibi uendicant uictoriæ.

XX. Rursus δικωλία περιοδικὴ μακρόκωλος.

An tu non videbas mecum simul: 10.

Quàm illa crudelis esset futura victoria? 15.

Interrogatio, præterquam quòd est ἐλεγκτικὴ, coarguens, uim etiam affirmandi habet: & commendationẽ personæ utriusq;, ἀπὸ τῆς προνοίας τῶν ἐκβησομένων, à prouidentia euentorum similium, aut grauiorum: si uictor extitisset Pompeius.

Reditus ad confutationem.

XXI. Δίκωλος μείουρος.

Igitur tunc quoque patria careres: 12.

Ne, quæ nolles, videres? 7.

Ἐκ τῆς πλάσεως, ex fictione, per comparationem argumentatur: & reditus ad institutam ante digreßionem, κατ' ἐπάνοδον, ἢ νέον, refutationem.

Sic enim colligebat M. Marcellus.

Carebo in perpetuum dulcißima patria.

Non enim uidebo, quæ uidere nolo.

Vndè concludit simile:

Caruisses igitur quoq; patria uictore Pompeio.

Προαίρεσιν, καὶ βούλησιν, ἢ τὸ ἑκούσιον tollit: ut excuset Cæsarem, & alios uictores bellorum ciuilium.

Expolitio ὑποθετικὴ post tractationem quæstionis infinitæ, estque ἄτεχνος, à testimonio Marcelli, & suo, uterq; testis, ut aiunt, oculatus.

Conclusio, ἐρώτησει, tanquam ἀνακοινώσει, communicatione.

Ne quæ uelles, uideres.

Ανάλυσις.

Syllogiſmus Marcelli.

Qui, quæ nolit, uidere non uult: is careat patria.
Cæſare uictore uiderem, quæ nolim.
Carebo igitur patria

Αντισυλλογισμὸς Ciceronis.

Qui, quæ nolit, uidere non uult: is careat patria.
Tu, Pompeio uictore, uidiſſes, quæ noluiſſes.
Hanc ſupra confirmauit prolixè, & copioſè.
Ergo tum patria caruiſſes.

Igitur tunc) Concluſio. Ne, quæ nolles) Minor.

Λύσις, *à pari.*

Tu noluiſſes, uictore Pompeio, carere patria: quia uidiſſes, quæ nolles.

Ergo nec, Cæſare uictore, patria careas: ne uideas, quæ nolis.

XXII. *Cæſim deinceps.*

Απαύτησις.

Non, inquies.

Υποφορὰ, καὶ πρότασις.

Διαλογισμῷ, ſermocinatione & μιμητικῶς, τὸ ἐναντίον κεφάλαιον εἰσάγει.

XXIII. *Rurſus* περιοδικῶς.

Negationis, ſeu obiectionis refutantis rationem Ciceronis, ratio, ſimplici conuerſione, ſequitur.

Ego enim ipſe tenerem opes, & dignitatem meam.

Ανθέσις, uel ἀνθυποφορά.

XXIIII. Τρίκωλος περίοδος ἀνισος μακρόκωλος,

κωλ@, minutis tamen membris: ut fit in sermocinationibus & altercationibus.

Aterat tuæ virtutis: 8. — *Νόημα ἠθικὸν*

In minimis, tuas res ponere: 10.

De Republica vehementius laborare: 14.

Concedit igitur rationem eius: sed κατ' ἀντεισαγωγὴν, grauius opponit firmamentum, μεμπτικῶς. Desiderat enim in eo boni uiri, τῆς ἀνδρείας, ἤγουν τὰς ἀρετὰς ἔχοντ@, officium. Est enim uirtutis, iustitiæ, & pietatis in patriam: res suas, priuatas scilicet, minoris, quàm Rěpub. facere.

Sequuntur alia προτρεπτικὰ argumenta.

XXV. *Membrum extra uerborum anfractum.*

Deinde, quis finis istius consilij est? — *Propositio.*

Κεφάλαιον igitur est: finis sit tui consilij: seu muta de perpetuò exulando istud consilium, κατ' ἐρώτησιν, interrogando informatur propositio. — *Non debes perpetuò manere in exilio: sed huius finē tandem constituere.*

XXVI. *Δίκωλ@ περίοδ@ μακρόκωλ@.*

Nam adhuc & factum tuum probatur: 11.

Et, vt in tali re, etiam fortuna laudatur, 15. — *Ἐπιχείρημα, ratio.*

Ἀνάλυσις.

Si adhuc factum tuum probatur: & fortuna etiam laudatur: profectò tui istius consilij esse tandem aliquando finis debebit.

Atqui factum adhuc tuum probatur: & fortuna etiã laudatur.

Ergo tui istius consilij finis tandem, & modus esto.

Deinde) Conclusiõ. Nam) Assumptio, cũ laudatione

Marcel-

Marcelli. Laudatur) ὁμοιοτέλευτον, ornamentum καλὸν, pulchritudinis, propter personæ exornationē. Sententiæ igitur sunt ἐπαινετικαὶ, à laude uidelicet ductæ: quæ causa est mouens, & impellens Marcellum: ad mutandam suam sententiam.

Ἐργασία, confirmatio, pulcherrima προσαποδόσει.

XXVII. Δίκωλος βραχύκωλος περίοδος.

Factum, quod & initium belli necessariò secutus sis: 19.

Et extrema sapienter persequi nolueris: 15.

Idem ornamentum uerborum καλὸν, καὶ ἐπιμελές.

XXVIII. *Sequitur ἀφελὴς, simplex conuersio.*

Fortuna, quòd honesto otio tenueris & statum, & famam dignitatis tuæ.

XXIX. Περιοδικὸν πεντάκωλον μακρόκωλον, ἄνισον.

Hactenus ab honesto: nūc à iucundo aliud argumētum & alia suasio. Duo motus, φιλία τοῦ φίλου, et ἔλεος, τοῦ ἐλεεινοῦ.

Nunc verò, nec locus tibi vllus dulcior debet esse patria: 20.

Nec eam minus diligere debes: 11.

Quod deformior est: 6.

Sed misereri potius: 8.

Nec eam, multis claris viris orbatam priuare etiam aspectu tuo: 23.

Argumentum à loco, ἐκ τοῦ τόπου, per locum communem: de dulcedine soli natalis, & charitate patriæ, à causa impellente, per comparationem: quam in prima tractauit epistola uerbis pluribus. Dulcior) Nescio qua natale solum dulcedine cunctos Ducit: & immemores non sinit esse sui. Nec) Ἄρσις. ἦθος. patria etiam deformior diligenda est. Sed misereri potius) Πάθος. Deformatæ pa-

triæ

triæ misereri oportet. Latent hîc elegantes sententiæ, γνωμολογίαι, ab officio pietatis, & charitatis in patriã: quæ uirtus τῆς φιλοπάτριδος est. Non solùm diligenda est patria, florens potentia, & opibus: sed & deformior diligenda: eiusq; misereri decet. Sed potius) Θέσις, προσ-ωποποιία, affirmatio, electione morali. Nec eam) Πρόσοψις de aspectu, & alterum πάθος. Multis claris uiris.) ut Pompeio, Domitio, Scipione, Bibulo, Lentulis, Appio, omnibus consularibus, & Catone prætorio est orbata. Ergo tu illam posthac te non debes orbare, tuoq; priuare aspectu.

XXX. Τετράκωλος περίοδος μακρόκωλος, membris breuioribus.

Denique, si fuit magni animi: 11.
Non isse supplicem uictori: 9.
Vide ne superbi sit: 7.
Aspernari eiusdem liberalitatem: 13.

Aliud argumentũ ab honesto, ad turpe: à persona utriusq; uicti, & uictoris dantis, & accipientis.

Enthymema est, ex repugnantibus.

Si fuit magni animi tui: non fuisse supplicem uictori Cæsari: etiam superbi est animi: eiusdem aspernari liberalitatem.

Fuit autem animi tui magni: non fuisse supplicem uictori.

Superbi est igitur uictoris aspernari liberalitatem, qui te patriæ uult reddere, & tuis: pristinæq; tuæ restituere dignitati.

Deniq; si) Connexum syllogismi hypothetici, eiusq; τὸ ἡγούμενον, antecedens: ad laudem Marcelli accommoda-

modatum, ἀπὸ τῆς μεγαλοψυχίας, ab animi magnitudine. Hoc enim factum εὐφημότερον interpretatur: et concedit esse τοῦ μεγαλοψύχου. Vide) Τὸ ἑπόμενον, annexum, & ἀντεισαγωγὴ τοῦ αἰσχροῦ, oppositio facti turpis, & malorum morum. Illud enim est εὐήθους, benè morati: hoc κακοήθους, moribus non probatis. Nam ἡ ὑπερηφανία, superbia in uitio est: & ingrati hominis nota: contemnere scilicet clementißimi uictoris misericordiam, mansuetudinem, liberalitatem. At Marcellus non debet his esse moribus. Agnoscet igitur Cæsaris bonitatem.

Tria continenter connexa enthymemata συνημμένα ὑποθετικά.

XXXI. Τρίκωλον ex bimembri, ἰσοσκελής, σχεδὸν ἰσόκωλον: κομματικοῖς κώλοις.

Rursus aliud ἐπενθύμημα, ex repugnantibus.

Et, si sapientis est: 7.
Carere patria: 6.
Duri, non desiderare: 8.

Ἀνάλυσις.

Si sapientis est: carere ad tempus, patria: certè duri, & inhumani est: patriam, qua caret, non desiderare.

Primum autem,
Secundum igitur.

Et, si) Τὸ συνημμένον: & duplex γνωμολογία, quæ συμπεπλεγμένη dicitur.

XXXII. Δικωλία, ex τρικωλία, κατ' ἀποτομὴν, βραχύκωλον.

Et, si Republica non poſsis frui: 11.
Stultum est, nolle priuata: 8.

Προσεπενθύμημα.

Ἀνάλυσις.

Si

Si Rep. non poßis, tua opinione, frui: stultum est, nolle frui re priuata.

Atqui primum.

Igitur secundum.

Et si) Primum, τὸ ἡγούμενον, per conceßionem. Stultum) Annexum, μεμπτικῶς, ex θέσει. Stultum est, nolle priuata re frui.

Ἐπίλογος, conclusio.

XXXIII. Τετράκωλος etiam, minutis mēbris.

Caput illud est: 5.

Ἐπῳδικὸν membrum.

Vt, si ista vita tibi commodior esse videatur: 18.

Cogitandum tamen sit: 7.

Ne tutior non sit: 6.

Συνδρομή. { Conceßio. Commodior fortaßis hæc, in exilio, uita est.
Correctio. An non tutior. Sit) Ἀντιστροφή.
Ne non) Periculosior. }

Ergo ἐκ τῆς παραθέσεως, ἢ συγκρίσεως, ita concludit.

Vbi uita est tutior: ibi tibi uiuendum censeo.

Romæ tutior, quàm Mytilenæ.

Romæ igitur, non Mytilenæ, &c. tibi uiuendum censeo.

XXXIIII. Ἀπαίτησις, συγχωρήσει. Membrum est extra ambitum.

Magna gladiorum est licentia.

Sub finem aliud κεφάλαιον ponit: τὸ ἀσφαλές: cui opponit τὸ κινδυνῶδες.

Confirmatio: quare non sit istic tutior.

XXXV.

Comparatio minorum, & maiorum periculorum.

XXXV. Ἀντίθεσις, ἢ λύσις, κατ᾽ ἀντεισαγωγήν, τοῦ κινδυνοτέρου, περίοδος μονόκωλος.

Sed, in externis locis, minor etiã, ad facinus, verecundia.

XXXVI. Δίκωλος μακρόκωλος.

Ἐπιφώνημα, à sua pro Marcello, solicitudine, per cõparationem.

Mihi salus tua tantæ curæ est: 11.

Vt Marcello fratri tuo, aut par, aut certè ꝓximus sim: 17.

Pertinet hæc clausula non tam ad conciliandũ: quàm ad mouendum, flectendumq́; Marcellum: ut mutet istud tam pertinax consilium. Tantæ – ut.) Ὑπόστασις αὔξησιν, κατὰ σύγκρισιν. Aut certè.) Ἐπανόρθωσις, *correctio uocabuli præcedentis:* ὅτι ἀδοξότερον: *quòd non cedat amore fratri C. Marcello.* Etenim Cicero φιλτέρος τῶν ἄλλων φίλων τοῦ Μαρκέλλου, ὡς δοκεῖ, ἦν· ἀλλὰ οὐκ εὐστοργότερος.

XXXVII. Μονοκώλῳ ἐπισφραγίζει ταύτην προστροπήν.

Clausula, & ἡ τοῦ μερισμοῦ ἀνταπόδοσις.

Tuum est, consulere temporibus, & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis.

Vale.

Incolumitas est salutis tuta, atq; integra conseruatio. Cic. de Inuent. 2.

Ad extremum κεφαλαιωδῶς omnia complèctitur mouendo: dum quatuor coniungit:

Tempora communia, Incolumitatem, Vitam, Fortunas, } *Marcelli.*

Atq; ad hunc modum, in illius animo relinquit aculeum.

EXEM-

EXEMPLVM SVASIONIS QVARtum, eiusdem generis, & argumenti, ad eundem.

CAPVT. VV.

CICERO S. D. Marcello.

I. Περιοδικὸν πεντάκωλον, *tertio membro, κατ' ἐπανόρθωσιν, per correctionẽ, adiecto, quod est κομματικόν.*

Etsi nihil novi, quod ad te scriberem, habebam:15.

Magisq; literas tuas iam expectare incipiebam,18.

Vel te potius ipsum,7. *Post συμπλοκὴν, correctio, & ἀπόδοσις circumductionis.*

Tamen, cum Theophilus proficisceretur,13.

Non potui nihil ei literarum dare,14.

Ve ipsum.) Ἔμφασις, te præsentem, non alium pro te aut literas tuas.

II. Περίοδος μονόκωλος.

Cura igitur, ut quàm primùm venias.

III. Τρίκωλος, ἄνισος μέτρος.

Venies enim, mihi crede, expectatus,13.

Neq; solùm nobis, id est, tuis,10.

Sed prorsus omnibus,6.

Motus est hic desiderium, cuius comes est expectatio: sed reditus, & effectus, & motus est lætitia. Mihi crede) Asseueratio fidei faciendæ causa, & testificandi. Venies)

Exordium breuiusculum superiori proximæ epistolæ non absimile: nisi quod quædam sunt ibi addita.

Ἀφορμὴ, occasio.

Κατάστασις, propositio: ut reditum maturet.

Κατασκευὴ, confirmatio ἐκ τοῦ ἡδέος, à iucundo, ideoq; ἀπὸ τοῦ

ἐκβάντος, ab euentu, per distributionem. Πρότασις. Aliquantulũ uereor. Ὑποφορά: te tardius istinc decessurum.

Ante, Venias, κατ' ἐπαναστροφὴν τῆς λέξεως. Neq;) Αὔξησις, dilatatione per distributionẽ, σχήματι συμπλεκτικῷ ἐξ ἀναιρέσεως. Id est, tuis) Ἑρμηνεία φιλική. Sed) Συμπλοκὴ, καθ' ὑπερβολήν.

IIII. Δίκωλος μείουρος, λύσει τοῦ ἀντιπίπτοντος.

Venit enim mihi in mentem, subuereri interdum, 16.

Ne te delectet tarda decessio, 11.

Venit.) Ἐπαναφορὰ eiusdem uerbi, sed mutata persona, & significatione. Supra enim ad personam, hic ad rem: illic propriè, hic translatè accipitur.

V. Τρίκωλος ἰσοσκελὴς μείουρος.

Ἀνθυποφορά, ἢ λύσις ὁμολογίας, καθ' ὑπόθεσιν.

Quod si nullum haberes sensum, nisi oculorum: 15.

Prorsus tibi ignoscerem: 8.

Si quosdam nolles videre. 8.

Ἀνάλυσις.

Si nullum haberes sensum, prætèr oculorum: ignoscerem tibi: quòd nolles uidere quosdam Cæsarianos: eamq; ob rem tuum reditum differre.

Atqui alios habes sensus.

Ergo tibi non ignosco.

Ostendit infirmum esse argumentum: quod & superiore epistola tractauit.

Quod si) Connexum totum.

VI. Περιοδικὸν ἑξάκωλον.

Sed, cum leviora non multò essent: 11.

Quæ

Quæ audirentur, quàm quæ viderentur:11.
Suspicarer autem, multùm interesse rei familiaris tuæ:21.
Te quàm primùm venire:7.
Idq; in omnes partes valere.10.
Putavi ea de re te esse admonendum:14.

Ratio propositionis & assumptionis approbatio.

Γάθος τοῦ φόβου, periculi rei familiaris.

Cum leuiora non) *Argumentum istud à comparatione pluribus tractauit epistola superiore proxima. Suspicarer)* *Paulò ante* λόγῳ ἀντὶ τοῦ ὀνόματος *usus est: uenit mihi in mentem, subuereri.*

Απόδοσις μονόκωλος.

Επίλογος.

VI. Δίκωλος μακρόκωλος.

Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi:13.
Reliqua tu, pro tua prudentia, considerabis:16.

Conclusio, & transitio à monitione, ad exhortationem.

Concludit suum consilium: ne Marcelli prudentiæ quam laudat, diffidere uideatur.

VIII. Γερίοδος μονόκωλος, ὑπερβάτῳ, ἢ ἐπεμβολῇ.

Me tamen velim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias.

Αξίωσις, petitio.

Vale.

Motus τοῦ πόθου, *desiderij: ad maturandum reditum impellens Marcellum: quem cupidè expectet.*

QVINTVM EXEMPLVM.

CAPVT. XVI.

Marcellus S. D. Ciceroni. Famil. lib.4. Epist.11.

Πρότασις, & beneuolentiæ concilatio, à laude: & ab effectu superiorum literarum.

Est ἀντεπισταλτική, *responsio, ad omnes superiores epistolas & alias quasdam: quæ non extant.*

I. Προκαταρκτική *epistolæ pars, et cõuersio simplex.*

Plurimùm valuisse, apud me, tuam semper authoritatem, cum in omni re. tum in hoc maxime negotio, potes existimare.

Circumductio καθ ὑπέρβατον, *dilatata,* κατὰ πρόσληψιν, *per assumptionem totius, ad partem. Cum in omni re—tum in hoc maximè negotio.*

II. Περιοδικὸν πεντάκωλον.

Κατασκευή, ratio, ἀφηγήσει, *narratiuncula.*

Cum mihi (Marcellus frater, amantissimus mei, non solum consilium daret: 26.

Sed precibus quoq; me obsecraret: 11.

Non prius mihi persuadere potuit: 12.

Quàm tuis est effectum literis, 10.

Ἀπόδοσις circumscriptionis.

Vt uterer vestro potissimum consilio, 14.

Cum) Παρασυνάψις, ὀρθότης, ἀναίρεσις, καὶ συμπλοκή, ὑπόστασις, ἀπόστασις. *Primũ membrum productum est* κοινοτενῶς: *reliqua sunt moderata. particulæ demonstrant exornationes: cum— non solum — sed quoq;—non prius—quàm—ut Consilia.) scilicet ut in patriã redirem.*

III. Περίοδος δίκωλος, *membris breuibus.*

Altera pars responsionis.

Res, quemadmodum sit acta, 8.

Vestræ mihi literæ declarant, 10.

Vide epistolam 4. lib 4.

IIII. Τετράκωλος μακρόκωλος, *quartomembro supra modum explicato.*

Pars tertia

Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, 17.

Quod

Quod ab optimo ſit animo:9.

Tamen hoc mihi multò iucundius eſt, & gratius,16.'

Quod in ſumma paucitate amicorum, propinquorum, ac neceſſariorum (qui verè meæ ſaluti faverent) te cupidiſsimum mei, ſingularemq́ mihi benevolentiam præſtitiſſe, cognovi.62.

εὐχαριστικὴ, cum gratiarum actione.

Propoſitio bipartita, ratio quoq; bipartita eſt, κατὰ προσαπόδοσιν. Etſi.) Prior propoſitio, cum conceßione. Quòd ab.) Ratio prima. ſit animo) ſcilicet profecta. Tamen.) Ἀφαίρεσις, uel correctio, per ἀντεισαγωγὴν rei maioris, & quandam comparationem. Ἦθος, ſignificatio, in Marcello amabilium morum. Tamen hoc) Παράθεσις, ſupra ὑπόθεσις, περιφραστικῶς. Mihi probatißima eſt: hoc mihi multò iucundius eſt. Hoc—quòd) Διασαφηνίζει τὴν ἀοριστολογίαν. Hoc. In ſumma paucitate) μείωσις ἐπιθέσει, καθ' ὑπόθεσιν. Summa paucitas. Πάθος, & σχετλιασμὸς, querela, περὶ τῆς ἐσχάτης ὀλιγοφιλίας. Amicorum) Beneuolentiæ. Propinquorum) Sanguinis coniunctionis. Neceſſariorum) Meritorum, & officiorum mutuorum. Qui uerè) Ὁρισμὸς definitio amicorum, qui uerè alicuius ſaluti fauent. Te cupidißimum) Comparationis pars altera, qua Ciceronem ſuis intimis, ut uidebantur, anteponit. Laudat igitur illam à χρηστοφιλίας. Etenim uerus amicus eſt cupidißimus, & ſtudioſißimus uſui amici. Cupidißimus) Λόγος, definitio, ἀντ' ὀνόματος, pro ipſo motu. Cupidiſſ.) Studioſißimū

Αὔξησις περιστατικὴ, à tempore, quòd iſtis temporibus ſingularē præſtiterit ſibi beneuolentiam.

Singularem) Ερμηνεία, κατ' ἀντίλεξιν, *uerbis commutatis facta interpretatio. Qui enim amici studiosissimus est, is singularem ei præstat beneuolentiam.*

V. Δίκωλος, μακρόκωλα κοινότης.

Reliqua sunt eiusmodi, 8.

Σύγκρισις ἠθική, reliquis facile carere potui, talibus autem amicis carere diutius non possum.

Quibus ego (quoniam hæc erant tempora) facile, & æquo animo carebam. 25.

VI. Δίκωλος *simili propemodum* κοινότητα.

Hoc verò eiusmodi esse statuo: 12.

Vt, sine talium virorum, & amicorum benevolentia, neq; in adversa, neq; in secunda fortuna, quisquam vivere possit. 43.

Μεταστάσει, *post*, ἀφαίρεσιν *utitur. Falsam enim sui reditus causam, nempe suarum rerũ cupiditatem remouet, ueramq; causam argutè opponit impellentem. Ciceronis, & similiũ uirorũ desideriũ.* ἦθος *est suauissimũ.*

VI. *Membrum extra comprehensionem.*

Itaq; hoc mihi gratulor.

Marcellus sibiipsi gratulatur.

VIII. Περίοδος δίκωλος, μείουρος, *priore longissimo, posteriore contractissimo membro.*

Epilogus.

Tu verò, ut intelligas, homini amicissimo te tribuisse officium, 25.

Ὑπόσχεσις *pollicitatio.*

Re tibi præstabo, 6. Vale.

Alicui tribuere officium.

Aliquem re alicui præstare quippiam.

ΑΛΛΟ ΥΠΟΜΝΗΜΑ.

Plurimum.) Exordij πρότασις κατὰ πρόσληψιν, *cum assum-*

assumptione totius ad partem: ab effectu literarum Ciceronis: quæ propter illius autoritatem maximum pondus habuerint. Conciliat igitur sibi beneuolentiam Marcellus à persona auditoris, id est, Ciceronis, ad quem scribit. Idq́; facit ἐπαίνῳ, laude: quæ uirtutis est, & eorum etiam, quæ ab hac orta sunt, ut est ἀξίωμα, autoritas. Semper.) In omnibus alijs rebus plurimum tua potuit apud me existimatio. A sua persona etiam συστάσει, facit ut amicè audiat Cicero, significatione iustitiæ: ostendit enim, quantum in omnibus negotijs semper illi tribuerit. Ergo sententia est ἠθική. Tum in.) Hactenus τὸ ὅλον totum: sequitur τὸ μέρος pars. Tum in hac causa, præcipue tua autoritate, consilio, & suasu plurimum apud me ualuisti. Qui enim suadet alteri quippiam: is ad illud agendum est ei hortator, & autor. Negotio.) Id est, causa mei reditus in urbem. Cum mihi.) Κατασκευή, ratio, per contentionem. Nam quod frater meus consilio, & precibus non potuit mihi persuadere: hoc est tuis effectum literis: ut scilicet mutârim consilium, & reuerti in urbem constituerim. Non solum) Causarum impellentium ad mutandum consilium tractatio, κατὰ συμπλοκὴν ἐξ ἀναιρέσεως. Causæ enim fuerunt cum primis tres, C. Marcelli consilium, eiusdem preces, & obsecratio, præterea Ciceronis authoritas & literæ. In quibus causis est incrementũ. Non prius—quàm) ὑπόστασις. Vterer uestro) Id est, facerem id, quod mihi uos consulebatis. Potißimum) Id est, uestro potius, quàm aliorum, aut meo. Res.) Ad aliud caput literarum iam respondet. Res.) Mea restitu-

tio. Acta) impetrata à Cæsare. Gratulatio.) Tertia pars epistolæ continet responsionem σὺγχαιρετικὴν ad συγχαιρετίαν. Ostendit enim gratulationem Ciceronis sibi gratam fuisse. Et hanc sententiam amplificat. Etsi tua gratulatio mihi gratißima est, tamen multò gratius est, quòd in summa ὀλιγοφιλίᾳ, singularem beneuolentiam mihi præstitisti. Sic duplex est σὺγχαιρετία, una pro gratulatione, altera pro eius beneuolentia, & officijs. Quòd ab) Προσαπόδοσις. Tamen.) ἀπόδοσις. In summa paucitate.) Ratio à tempore. Nam, rebus in aduersis spectatur fidus amicus. Amicorum.) Σχετλιαστικὴ, καὶ παθητικὴ εὔνοια, sententia enim hæc aliquid habet querelæ. Fauerent.) Qui fauere deberent. Te) Ἔμφασιν habet hoc pronomen. Estq; comparationis ἀνταπόδοσις, Cupidißimum.) Studiosißimum. Præstitisse.) Scilicet, in mea salute, & dignitate tuenda. Reliqua.) Αὔξησις, amplificatio beneficij sibi præstiti, κατ' ἀντεξέτασιν. Fortunæ enim cætera bona talibus amicis, qualem cognouit esse Ciceronem, postponit comparatione. Et μεταστάσει causam sui reditus esse dicit, non suarum fortunarum cupiditatem: quibus facile poterat carere sed amicorū desiderium. Reliqua.) Scilicet, præter te, & quosdam alios, qui meæ saluti fauent. Quoniam.) Ratio κατ' ἐπεμβολὴν inserta. Facile, &.) Hoc autem est magnanimi uiri. Hoc uerò) Comparationis pars altera, quæ quoddā est ἐπιφώνημα γνωμολογικὸν. Sine talium uirorum, & amicorum studijs, & beneuolentia, neq; in aduersa, neq; in secūda fortuna quenquā posse uiuere. Itaq;

in) Clausula: qua sibi in hoc singulari bono gratulatur. Tu uerò.) Conclusio cum ὑποσχέσει, pollicitatione sui reditus, & grati animi.

Hactenus exempla dedimus huius generis literarum: non quòd meliora inueniri nequeant; sed quod hæc doctißimis hominibus placeant: & quòd sint nota, maximeq; illustria. Voluimus etiam hæc ipsa explicare: ut studiosi ea inter se comparare poßint. Vtilißimum enim est, συζήτησιν, ἢ σύγκρισιν facere, non solum epistolarũ ἑτερογενῶν, quæ diuersi generis sunt, & argumenti: uerùm etiam τῶν μονοειδῶν, quæ sunt uniusmodi, eiusdẽq; argumenti; ut sunt illæ quatuor συμβουλευτικαὶ ad M. Marcellum. Prima, & tertia longiores: secunda & quarta breuiores sunt. In his non solũ exordia cum exordijs, confirmationes, & refutationes cum confirmationibus, atq; refutationibus, argumentationes, & occupationes, cum argumentationibus, conclusiones cum conclusionibus componi debent: sed eiusdem etiam argumenti in diuersis epistolis suscepti tractationes conferre oportet, præterea ornamenta cum ornamentis, & quod præcipuum est in compositione, periodos cum periodis comparare iucundißimum est. Quàm eleganter & ornatè tractauit in prima epistola istud argumentum ἀπὸ τοῦ ἀσφαλοῦς, & huius contrarium, ἀπὸ τοῦ κινδυνώδους;

Tamen id cogitare deberes:
Vbicunque esses:
Te fore in eius ipsius, quẽ fugeres, potestate.

Qui si facile passurus esset:

Te,carentem patria, & fortunis tuis, quietè & liberè vivere:

Cogitandum tibi tamen esset:

Romæ ne,& domi tuæ, cuiusmodi res esset, an Mytilenis,aut Rhodi,malles vivere.

Sed cum ita latè pateat eius potestas, quem veremur:

Vt terrarum orbem complexa sit:

Nonne mavis,sine periculo,tuæ domi esse:

Quàm,cum periculo,alienæ?

Hoc argumentum epistola insequenti paulò aliter, sed breuius expoliuit.

Sin autem nulla sit (scil. Respub.)

Hunc tamen aptissimum esse etiam ad exulandum,locum.

Si enim libertatem sequimur:

Qui locus hoc dominatu vacat?

Sin qualemcunque locum:

Quis est domestica sede iucundior?

In tertia breuißimè hoc argumentum repetit: sed additione aliarum quarundam sententiarum.

Nunc verò nec locus tibi vllus dulcior esse debet patria:

Nec eam diligere minus debes:

Quod deformior est:

Sed misereri potius:

Nec eam multis viris claris orbatam, priuare etiam aspectu tuo.

Iam uide qua ratione tractauerit Marcelli argumentum: quòd abesse perpetuò maluit: quàm ea uidere, quæ nolit. In prima igitur epistola illud obiter attingit.

Sed tamen, si iam ita constituisses:
Vt abesse perpetuò malles:
Quam ea, quæ nolles, videre:
Tamen id cogitandum esset:
Vbicunque esses:
Te fore in eius ipsius, quē fugeres, potestate.

In tertia eundem locum aliter tractauit, & copiosius ἀνασκευαστικῶς, ut suprà.

Multa videbis fortasse quæ nolis.
Non plura tamen, quàm audis quotidie.
Non est porrò tuum:
Vno sensu solum oculorum moveri:
Cum illud idem auribus percipias:
Quod etiam maius videri solet, minus laborare.

In quarta uerò idem aliter.

Quod si nullum haberes sensum, nisi oculorum:
Prorsus tibi ignoscerem.
Si quosdam nolles videre.
Sed cum leviora non multò essent:
Quæ audirentur, quàm, quæ viderentur: &c.

Exordia uerò ista quantam habent similitudinem.

Etsi perpaucis ante diebus, dederam Q. Mutio literas ad te, pluribus verbis scriptas.

Quus

Quibus declaraueram, quo te animo censerem esse oportere:

Et quid tibi faciendum esse arbitrarer.

Tamē cum Theophilus, libertus tuus proficisceretur:

Cuius ego fidem erga te, benevolentiamq́ perspexeram.

Sine meis literis eum ad te venire nolui.

Item illud:

Etsi nihil noui, quod ad te scriberem habebam,

Magisq́ literas tuas, iam expectare incipiebam.

Vel te potius ipsum:

Tamen cum Theophilus proficisceretur,

Non potui nihil ei literarum dare.

Quæ hic similia, quæ dissimilia sint: facile quiuis animaduertit: quæ adiuncta sint, quæ dempta, quæ immutata, quæ idem significantia omnibus apparet. Plurimum autem priorum epistolarum principia ab his differunt: Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo: &c. Neq; monere te audeo, &c. Illud tamen ab ijsdem occupationū particulis est ductum: unde duæ postremæ sunt exorsæ. Videamus consilij dandi καταστάσεις, propositiones.

Primæ epistolæ propositio est ἀόριστος, infinita, & coniuncta cum exordio.

Amicitiæ nostræ vetustas, &c. me hortata est: vt ea scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à digniate.

Secundæ κατάστασις post delationem sui officij, artificiose tractata est, ad uitandam offensionem:

Illud tamen vel tu me monuisse, vel propter benevolentiam, tacere non potuisse: vt quod ego facio: tu quoque in animum inducas: si sit aliqua Respub. in ea te esse oportere, iudicio omnium: teq; principem, necessitate cedentem tempori: sin autem nulla sit, hunc tamen aptissimum esse, etiam ad exulandum, locum.

Propositio ἐγκατάσκευος est, argumentosa, à causa impellente, & suo exemplo. Sequitur tertiæ epistolæ quæ breuior, & apertior est propositio.

Iisdem igitur de rebus, etiam, atque etiã hortor, quibus superioribus literis hortatus sum, vt in ea Republica, quæcunq; est, quàm primũ velis esse.

Quartæ uerò breuißima est κατάστασις.

Cura igitur, ut quamprimum venias,

In his, & similibus locis, considerare oportet usum Eloquendi illius generis: quod à Cicerone dicitur, in partitionibus oratorijs, conuersum, atq; mutatum, nõ solum ordine uerborum & rerum tripartito: uerum etiam alicuius sententiæ uel dilatatione, uel contractione: τάξει τριμόρφει, ὄγκῳ, ἢ ἐπεκτάσει: καὶ συστολῇ, ἢ συντομίᾳ τοῦ λόγου. Quorum omnium in his epistolis illustria reperiuntur exempla. Quid enim breuius, uerbi gratia postrema illa καταστάσει: qua nõ solùm paucißimis uerbis superiorum literarum propositiones complectitur: sed nouam etiam interserit κατάστασιν. Non enim tam

ut redeat, hortatur Marcellum: quàm ut redeat quamprimum. Tertia dilatationem habet: & hanc ipsam interiectam, de acceleranda reuersione, propositionem. Sed illa simplici periodo est circumscripta: hæc trium membrorum comprehensione. Vident studiosi, quæ immutata sint, quæ assumpta. Itaq; in quarta propositione, quæ detracta. Quàm uerò secundæ epistolæ κατάστασις producta sit, ornamentis, complexione, assumptione causæ, & sui exempli, omniumque iudicij, laude Marcelli, & attributione loci, quis non uidet? Differt etiam à superioribus, longiore circumductione πνευματικῇ. Sed ab his plurimùm distat prima κατάστασις ἀόριστος: quæ causam scriptionis assumptam habet: & beneuolentiæ, docilitatis, & attentionis sententias complectitur quatuor membris: quæ cum exordio comprehensionem efficit nouem membrorum.

Ὑπόσχεσις, & delatio sui officij.

Breuißima, in clausula primæ epistolæ sententia.

Συντομία. Ad omnia parati sumus.

Copiosior post exordium secundæ, ante κατάστασιν.

Ὄγκος. Reliquum est igitur: vt tibi me, in omni re, eum præbeam, præstemq;: vt ad omnia, quæ tui velint, ita adsim presto, vt me non solum omnia debere, tua causa, quę possum, sed ea quoque, quæ non possum, putent.

Sub finem renouat in conclusione, hanc delationem suorum officiorum.

Redeo ergo ad vnum illud, me tuum fore, cum tuis, si modo erunt tui, sin minus, me certè in

tè in omnibus rebus, satis nostræ coniunctioni, amoriq́; facturum.

Ευδεῖξις suæ, & C. Marcelli sollicitudinis.

In tertia epistola.

Mihi salus tua tantæ curæ est, vt Marcello fratri tuo, aut par, aut certè proximus sim. Comparatio. Βραχυλογεῖ.

In secundæ epistolæ conclusione, idem pluribus uerbis dicitur.

Hic te vnius solicitudines, vnius etiam multæ, & assiduæ lachrymæ C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur. Nos cura, & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quòd ius adeundi, cum ipsi deprecatore eguerimus, nōn habemus. Gratia tantum valemus, quantum victi. Sed tamen consilio, studio, Marcello non desumus, à tuis reliquis non adhibemur. Μηκύνει τὸν λόγον.

Clausulæ sunt pulcherrimæ.

Υπόσχεσις.

Ad omnia parati sumus.

Προτροπή.

Tuum ést, consulere temporibus, & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis. Vale.

Altera προτροπὴ, addita ἀξιώσει.

Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi: reliqua tu, pro tua prudentia considerabis. Me tamen uelim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Vale.

Instituimus igitur hactenus aliquam superiorum epistolarum comparationem. Sed hæc non solum facienda est in ijs: quæ sunt eiusdem argumenti: uerum etiam, quæ

sunt

ſunt diuerſarum formarum, quales illæ ipſæ ſunt: & his ſubiecta M. Marcelli epiſtola, quæ non tam ſuaſioni, quã gratulationi reſpondet. Ac quemadmodum exhortandi, ſic conſilij dandi rationis nulla certa præcepta traduntur. Idem tamen propè artificium eſt utriuſque generis. Etenim partibus iiſdem tractatur reſponſio ad ſuaſionẽ: uel omnibus, uel paucioribus: quas ſupra propoſuimus. Quanquam, ut in illa ſic, quædam in hac cæteris addi poſſunt, præcipuæ tamen huius ἀντεπισταλτικῆς ἀντιγραφῆς ſunt: ἀφήγησις, ἢ ἔνδειξις τῆς ἐκβάσεως, expoſitio euentus, εὐχαριστία, gratiarum actio, ἔπαινος, collaudatio ſuadentis, & ὑπόσχεσις, promiſsio. Et quoniam omnis reſponſio uel recuſationem habet, παραγόρευσιν, uel aſſenſionem, ἀποδοχὴν, καὶ συγκατάθεσιν: quarum hæc perſuaſiſſe ſcribentem oſtendit: illa non perſuaſiſſe: idcirco huius alia uia eſt, atq; ratio tractandi. Nam qui non admittit conſilium: & recuſat facere, quod ei ſuadetur: is argumentoſas mittit ad amicum literas, & ἀνασκευαστικὰς: quibus rationes ex contrarijs locis exponit: quamobrem ſibi illud non eſſe agendum uideatur. Easq; ſententias non modo ſumit à turpi, inutili, periculoſo, difficili, & ut Græci loquuntur, impoſsibili, & dolorifico, ac iucundo: uerum etiam ab attributionibus rerum, ac perſonarum, à loco, à tempore, à modo, à facto. Sed hæ ipſæ περιστάσεις, circumſtantiæ, plerunque tractantur κατ᾽ ἀντιπαράστασιν, exceptione: quando non poſſumus omnino refragari recta conſulenti, κατ᾽ ἔνστασιν, epiſtola ἀπαρνητικῇ. Verbi gratia, Non decet, ſed turpe

pe est, dominante Cæsare, me redire in urbem: etsi deceret: uel, etsi agerem honestè: tamen hoc tempore, & sic reuerti me, turpißimum fore ducerem.

Ἀποσχηματισμός.

Ἀντιγραφὴ ἀρνητικὴ γίνεται ἢ ἀπὸ τῶν.
- Κεφαλαίων τελικῶν, ἐκ τοῦ
  - Αἰσχροῦ.
  - Ἀχρήστου.
  - Κινδυνώδους.
  - Δυσχεροῦς.
  - Ἀδυνάτου.
  - Λυπηροῦ.
  - Ἀνηδοῦς.
- Περιστάσεων,
  - Προσώπου. Vbi personarum septem apud Hermogenem, περὶ διαιρέσεων, considerari debent genera.
  - Περιστάσεων,
    - Τόπου.
    - Χρόνου.
    - Τρόπου.
    - (Quorũ ἐργασία ferè est ἀντιπαραστατική.)
    - Πράγματος πραχθησομένου.

Sed reuertamur ad Marcelli responsionem: quam mixtam esse diximus. Opponitur enim non solum consilio, sed etiam gratulationi. Quibus partibus sit absoluta, demonstrat noster commentariolus. Sunt enim præcipuæ: ἀφήγησις τῆς ἐκβάσεως, post πρόσληψιν τοῦ κακοῦ: quæ narratiuncula comparationem habet: σὺγχαίρ-

σίαν, & ὑπόσχεσιν. Sed ſtudioſorum eſt hanc epiſtolam cum quatuor Ciceronianis componere: uel ad minimum cum breuiore ultima: principium, cum principio: clauſulam cum clauſula, periodos cum periodis: ornamenta cum ornamentis: uerba, & horum formulas: cum formis locutionum M. Ciceronis. Certè ipſa compoſitio, uerba, & locutiones quædam, uerborum etiam ſenſus, clauſulæ deniq; comprehenſionum, oſtendent magnum inter Ciceronis, & Marcelli ſtilum diſcrimen. Id quod non animus tantum, ſed aures quoq;, quarum, cum teretes ſint, faſtidioſumq́; eſt iudicium, optimè ſentiunt. Ac, ut illud melius animaduertant ſtudioſi elegantiæ, inſtituant μεταποίησιν, ἢ μετασχηματισμὸν compoſitionis Marcellinæ: uerba quædam uerbis idem ſignificantibus, formulas loquutionum, cum melioribus formis commutent: periodos retexant, ac nouas, ad imitationem Ciceronis, texant: quædam in μακρολογίᾳ Marcelli amputent: clauſulas conuerſionum quaſdam aliter terminent: denique tanquam proprium dicendi genus Marcelli obſeruent: hoc, inquit, mihi gratulor: tu uerò, ut intelligas, homini amiciſsimo te tribuiſſe officium: reipſa præſtabo. Sed hæc hactenus.

DE EPISTOLA Reſpondente.

CAPVT. XVII.

AC quoniam mentionem fecimus respondendi ad missas, redditas, lectasq; epistolas, uidetur, quædã esse dicenda, hoc in loco, de ijs literis, quibus alteri solemus respondere. Græci illas nominant ἐπισταλτικὰς, & προεπισταλτικὰς, quemadmodum respondentes ἀντεπισταλτικὰς appellant. Alij respondentem ἐπιστολὴν uocant ἀντιγραφικὴν, qua rescribimus, alij ἀποφαντικὴν, & ἀποφαντικὸν τύπον, formam responsionis, eamq́; his uerbis definiunt, Ἀντεπισταλτικὴ ἐπιστολή ἐστὶ, δι᾽ ἧς τὰ γραφέντα ἡμῖν ἀντεπιστέλλομεν. per quam scilicet , literis ad nos mißis respondemus. Huius generis Græci breuißimum proponunt exemplum, ut ὑπόθεσιν rhetoricam.

Ἐπιστολὴ ἀντεπισταλτική.

Δεξάμενος τὰ γράμματα τῆς σῆς γνησιότητος: καὶ γνοὺς δι᾽ αὐτῶν, ὡς σὺ εὐπραγίᾳ διάγεις, λίαν ἥσθην. Δι᾽ εὐχῆς γὰρ ἔχω, τοὺς φίλους εὖ πράττειν ἀεί.

Responsio ista tametsi non est facta ad dehortationẽ, aut suasionem, sed ad nunciationem, quæ à Græcis ἐπαγγελτικὴ ἐπιστολὴ dicitur, tamẽ quia continet artificiosam delineationẽ τύπου ἀποφαντικοῦ, noluimus eã, hoc loco præterire. Habet enim ipsa ἀπόκρισις, responsio duas partes, quarũ prima est προκαταρκτικὴ, exordij loco posita, quam ducit ab occasione acceptarum literarum. Vtitur autem ἐπαναλήψει, breui repetitione illarum argumeti. Ostẽdit enim, se accepisse literas amici, familiariter omninò ad se p̄scriptas, profectas ab animo sincero: quẽ

appellat γνησιότητα. Itaque delineatio huius ueſtibuli ἔπαινον, collaudationem continet breuiuſculam, & σύστασιν αὐτοῦ, ſui commendationem: à genere uirtutis, uidelicet iuſtitiæ: quæ ſuum cuiq; tribuit: amico nempe τὴν γνησιότητα: ut ad conciliandum iſtud initium directum eſſe uideatur. Cauſæ præcurrunt, δέξασθαι τὰ γράμματα, accipere literas: γνῶναι δι' αὐτῶν, ex ijs intelligere. τί: quid? ὡς ἐν εὐπραγίᾳ διάγει: quòd cũcta ipſi ex animi ſententia ſuccedant, quæ fuit illius epiſtolæ ὑπόθεσις, argumentum. Sequitur ἔκβασις, euentus. Qua ex re magnam percepi uoluptatem, λίαν ἥσθην. In quibus latet συγχαριστία. Mihi gaudeo, tibi gratulor. Ἐγὼ μὲν ἥδομαι, σοὶ δὲ συγχαίρω τούτων, ἢ ταύτης τῆς εὐπραγίας. Deinceps confirmationis ſubijcit ſententiam εὐκτικήν. Oſtendit enim ſe non ſolùm cupere, ſed etiam optare, ut amici ſemper proſperè uiuant, & ualeant. δι' εὐχῆς γὰρ ἔχω, τοὺς φίλους εὖ πράττειν ἀεὶ, & ut ſupra dixit, ἐν εὐπραγίᾳ διάγειν. Itaq; ſalutatio Græcis familiaris admodum eſt, Πλάτων Ἀρχύτᾳ εὖ πράττειν, ἢ εὖ διάγειν, ἢ χαίρειν. Οὐαλεντινὸς ὁ Ἐρυθραῖος Νικολάῳ Σελνεκήρῳ, καὶ Μαρτίνῳ Κεμνιτίῳ, ἐλλογιμωτάτοις θεολόγοις, χαίρειν, καὶ εὖ πράττειν. Duo illa, poſtremũ, & primùm αὐτολεξεὶ Horatius expreſsit.

Celſo gaudere, & benè rem gerere Albinouano.

Ἔρρωσο, Vale.

Hoc epiſtolicum argumentum, ſicut cætera Græcorum, dilatari poteſt, & explicari utraque lingua προγυμνασίας ἕνεκα. Eſt autem totum moratum, & amicum, ἠθι-

ἠθικὸν, καὶ φιλικὸν, propter ſuauiſsimas ſententias.

ΤΥΠΟΣ ΑΠΟΦΑΝΤΙΚΟΣ.

CAPVT. XVIII.

MAgnam cum hac ratione, de qua diximus, reſpondendi, cognationem habet ea forma, quàm Græci τύπον ἀποφαντικὸν nominant. Eum autem modum ſic definiunt, Ἀποφαντικὸς τύπος ἐστὶν, ὅταν πρὸς τὸν πυνθανόμενον ὁδηποτοῦν ἀποφαινώμεθα. Per hanc enim reſpondemus, ad quodcunq;, de quo alter nos ſciſcitatus eſt. Nã τῷ πυνθανομένῳ, quærenti, interroganti, & percunctanti, reſpondet ὁ ἀποφαντικὸς. Eius ſcholaſticum, & προγυμναστικὸν exemplum iſtud ſubijciunt, aptum dilatationi.

Ἔγραψάς μοι πυνθανόμενος, ἢ παρ' ἡμῖν ἐστιν ὃς ὑπείληφας. Ἐπειδὴ δὲ καὶ νῦν, ὡς ἀκούεις, καὶ πάρεστιν ἔτι, καὶ σε προσδεχόμενος ἐπιμένειν φησί.

Huius epiſtolij partes præcipuæ ſunt: ἡ ἐπανάληψις, ipſaq; ἡ ἀπόφανσις. Incipit enim à breuiſsima acceptarũ literarum argumenti repetitione. Per epiſtolam ex me quæris: num apud nos ſit: quem tu nobiſcum eſſe ſuſpicaris. Sequitur ἀντεπισταλτικὴ pars per ἀπόφανσιν ἐπαγγελτικὴν, reſponſionem nunciantem. Equidem, ut audiuiſti, nondum diſceßit: quin commoraturum ſe, inquit, expectans tuum aduentum.

Laconiſmi ſunt iſti rhetorici: propoſiti ſtudioſis ad copioſè tractandum. Sed tamen demonſtrant diuerſum genus literarum.

ΕΡΩΤΗΜΑΤΙΚΟΣ ΤΥΠΟΣ.

Ergo isti contraria est, sed præcurrens eam, seu προεπισταλτικὴ, quàm ἐρωτηματικὴν, καὶ πυνθανομένην uocant, sciscitantem, quærentem, interrogantem, percunctantem. Hanc definiunt Græci ad istum modum. Ἐρωτηματικὸς τύπος ἐστί: ὅταν περί τινῶν πυνθανόμενοι, παρακαλῶμεν ἡμῖν ἀντιφωνεῖν. quando de rebus quibusdam alterum sciscitantes, petimus ab eo, ut nobis ad singulas respondeat, præsertim, si plura percunctati sumus. ut,

Ἀκούω τὸν δεῖνα τὸν φιλόσοφον ἐπιδεδημηκέναι πρός σε. Διασάφησον οὖν μοι, πότερον πάρεστιν, ἢ κεχώρισται.

S. Audio Philosophum illum, quem nosti, ad uos profectum esse. Velim igitur me certiorem facias, utrùm istic sit adhuc, an discesserit? Vale.

Definitio huius generis duabus præcipuè partibus, ostendit hoc genus perfici, πύσματι, sciscitatione, & παρακλήσει, petitione. Sed percunctatio sæpe rogatione informatur. Vtramq; autẽ præcurrit ἀφήγησις, narratiuncula, quòd uel audierit, uel ad ipsum sit perscriptũ, estq; hæc istarum literarum quædam occasio, ἀφορμὴ τῆς γραφῆς. Atque hoc modo ὑπόδειγμα illud tractatum est. Incipit enim à narratiuncula, quæ ἄτεχνος est, à testimonio, seu rumore ductum, ἀπὸ τῆς ἀκοῆς. Sequitur κατάστασις, propositio, quæ & ἀξίωσιν habet, peto igitur abs te, ut mihi significes, διασάφησον οὖν μοι, & ἐρώτησιν, ἢ ἐρώτημα, πεῦσιν, ἢ πύσμα, quod προβλήματος, propositi Dialectici formam habet, propter contraria:

Vtrum

Vtrum uobiſcum adhuc commoretur,nec ne?num iſtinc diſceſſerit?

Sed hæc in tranſitu de literis reſpondentibus. Illud autem hic conſiderandum eſt:ut omnem epiſtolam, ſic reſpondentem,aut puram eſſe,aut mixtam. Pura, & ἄμικτος eſt illa proxima ſuperior. Eſt enim ἀντεπιςαλτικὴ duntaxat:talis etiam eſt M. Marcelli reſponſio. Mixtæ exempla:quæ eſt partim ἀντεπιςαλτικὴ,partim ἐπιςαλτικὴ,plurima nobis Cicero ſuppeditat: & nos quædam in his libris proponemus.Ita enim M. Tullius ſæpe reſpondet:ut de alia re,aut plurimis etiam negotijs ſcribat ad illum,cui reſcribit, flagitetq; reſponſionem. Verùm enimuerò, ut reuertamur eò,unde hactenus digreſſi ſumus:ex Marcelli reſponſione perſpicuum eſt, eius eſſe duas,principales partes,εὐχαριςίαν,gratiarũ actionem,& ὑπόσχεσιν,pollicitationem.Ergo ei qui reſpondet cohortanti,& ſuadenti,ſemper iſtæ neceſſariæ ſunt partes retinendæ,ſi aſſentiatur dato conſilio,& ut gratias agat amico,et ſimul etiã promittat,ſe conſilio obſequuturũ.Multa tamen alia tanquã membra ſunt προσλαμβανόμενα,aſſumpta,atq; accerſita, cuiuſmodi eſt ἔπαινος,laus,qua prædicamus amici beneuolentiam, & ſtudium erga nos,& oſtendimus, quòd is propter ſuam autoritatem ob plurimas uirtutes,plurimũ meritò apud nos ualere debeat. Addimus ſæpe etiam εὐχὴν uotum, atq; optationem.Idq; ualdè ἠθικὸν eſt & moratum. Cum optamus,ut re ipſa,annuente Deo , reſpondere queamus ; non ſolum noſtræ uoluntati , uerùm etiam illius

Τὰ ἀναγκαῖα μέρη.

Τὰ προσλαμβανόμενα.

ipsius, uidelicet amici, consilio, & beneuolentiæ. Alias *etiam solemus interdum addere,* αὐξητικὰς, *id quod obseruandum est diligenter in Ciceronianis epistolis respondentibus. Veruntamen in his* προσθήκη, *additamentum partium aliarum, in Cicerone considerari debet, idq; uel in principio, uel in medio, uel etiam in* Epilogo. Varietas *igitur ista, quantum pertinet ad hoc additamentum, tribus modis fit, propter* τάξιν, *hoc est collocationem, uel enim est* ἐν τῇ ἀρχῇ, *in literarum initio, &* πρόσθεσις *appellatur, uel in medio, quando scriptor,* ὡς ἐν παρόδῳ *quasi in transitu, aliquid artificiosè superioribus annectit & sequentibus anteponit. Quam rationẽ* Græci ἐνθήκην, *uel* παρενθήκην, *id est,* ἐπένθεσιν *nominant.* Tertia *ratio est usitatißima in responsionibus, quando nostro officio functi, addimus* κατὰ τὴν πρόσθεσιν, ἐπαγγελίαν, *rerum nouarum nunciationem, uel* εὐχὴν, *aliquam optationem, qua benè precamur amico, uel* ὑπόσχεσιν, *loquacioris* Epistolæ, ἀπολογίαν, *excusationem breuitatis in scribendo, & nostræ tumultuariæ responsionis, uel denique* ἀξίωσιν, *ut copiosius, aut etiam clarius deinceps ad nos scribat.*

Totam *autem consilij dandi doctrinam, atq; præceptionem, paucis complexus est* Desiderius Erasmus, *quam nos* ἀνακεφαλαιώσεως *loco,* τύπῳ, *ante oculos constituemus.*

Θεω-

In hoc ſuadendi genere longè omnium utilißimo conueniet diligenter adoleſcentes exerceri. Quæcunque tamen huius ſunt argumenti: ea pertinent aut ad

Θεωρίαν, conſiderationem rei ſuadendæ: cuiuſmodi ſcilicet ſit, quod perſuadere cupimus.

Κατασκευὴν. Nam in hac quæ ſunt in ea re commoda, τὰ χρήσιμα: illa omina ſtudioſè colligemus, argumentando.

Αὔξησιν, eaq; amplificabimus.

Ἀνασκευὴν. Etenim, ſi qua ſunt incommoda, τὰ βλαβερὰ, ἢ κακὰ: quæ illius animum deterrere poſſe uideantur: ea uel extenuabimus, μειώσει: uel remouebimus, ἀφαιρέσει: inuentis plurimis rationibus, & harum confirmationibus, & locupletationibus, ſeu exornationibus.

Καταδρομὴν, ἢ παρεμπλοκὴν τοπικὴν, loci communis alicuius uel tractationem, uel breuem interpoſitionem, qui enim incidet: is ad ipſam rem, quod Cicero ſupra fecit, artificioſè accommodari debet.

Ἐργασίαν, καὶ σχηματισμὸν. Videndum enim, quibus argumentationum formis, aut quibus exornationibus uerborum, & ſententiarum res inuentæ, queant tractari, & illuſtrari; ut ſplendeſcat oratio.

DE LITERARVM DISSVADENtium, & dehortantium genere.

CAPVT XIX.

HActenus de Epistolis, in genere, quemadmodum fieri potuit, quas nominant suasorias, & hortatorias. Sequitur deinceps, ut paucis uiam aperiamus ad contrarium genus: quod nominant ἀπο-τρεπτικόν. Sed quoniam contrariorum (ut Dialectici loquuntur) eadem est ratio & disciplina: idcircò quibus sententijs, & argumentis, & quasi capitibus ei utendũ sit, qui alteri dissuadet, aut alterum dehortatur, facile ex superioribus potest intelligi. Ergo ἀποτρεπτικὰ κεφά-λαια sunt superioribus contraria. τὸ αἰσχρόν, turpe, τὸ ἀ-νωφελές, inutile, τὸ ἀδύνατον, aut τὸ δυσχερές, παγχά-λεπον, omninò arduum, & difficile, aut deniq; λυπηρόν, iniucundum, & triste, & cum summo cruciatu animi et corporis coniunctum. Sed debet apud Ciceronem ὀργα-σία, tractatio attentè considerari. Et, cum contrariorum eadem propè sit cognitio, atq; disciplina: facile quibus ex locis argumenta dissuasor, dehortatórue debeat copiosè, & cum iudicio, eruere, atq; deligere ex superioribus προτρεπτικοῖς, seu suadentibus præceptionibus, animaduertet. Inuentio igitur rationibus nitetur contrarijs: quia sit causa turpis, quia esse non poßit, aut quia sit perdifficilis, quia periculosa, quia dolorifica, quia iniucunda. Hæc enim κεφάλαια sunt: quibus alterum à

consilio non bono uolumus deterrere. Differunt tamen suasio, & dissuasio, προτροπὴ, & ἀποτροπὴ; quòd illa continet argumenta κατασκευαστικὰ, confirmantia: quæ affirmando concluduntur; hæc ἀνασκευαστικὰ, refellentia: quæ informantur negando. Sed, ut difficile est τὰς ἀδόξους ὑποθέσεις, quæ admirabiles sunt, & odiosæ, nonnullæ etiam infames, suadere, ut persuadeas; quod uix poterit fieri: sic facilimum est tales dissuadere. Nullius enim est negotij dissuadere alteri exilium, uoluntariam mortem, paupertatem, & cætera generis eiusdem. Dissuasio etiam in hominibus improbis, aut ignauis plerunque habet pondus: cum ut ingrati sint benè de se meritis, hortantur alij: aut ut studia recta bonarum, liberaliumq; artium, ac scientiarum, linguarum, aut bonorum moralium, uirtutis, honestatis, pietatis, religionis uel cō temnant, uel abijciant. Facile persuadebis ei qui affectat tyrannidem, ut elatus uictorijs, & armatus potentia, tyrannum agat. Hæc tamen argumenta non seriò tractari possunt: sed suscipi exercendi ingenij, stiliq; causa. Nihil enim est, quamuis sua natura bonum: quod non possit dicendo ab Oratore acuto, sed malo, ita tractari, ut malum uideatur: nihil est adeò malum, sua natura: ut oratione probabili, non poßit ornari, atque amplificari, ut bonum esse uideatur, præsertim uulgo hominum, imperitæq; multitudini. Sed hæc exercitatio (qua & copia, et facilitas quædā de re quauis dicendi mirificè paratur) aptior declamationib. est, et primordijs dicēdi, quā huic epistolas conscribendi consuetudini. Veruntamen, ut in

suaden-

ſuadendo, omnia commoda, & emolumenta, ſic in diſſuadendo quicquid incommodorum eſt, & diſpendiorũ debet comportari. Exempla etiam, & ſimilitudines, rationum κεφαλαίοις, ſeu locis, & capitibus ſcitè, congruenterq;, in longis diſſuaſionibus, atque dehortationibus ſunt accommodandæ. Quæ utilia ſunt in cauſa, ea à diſſuadente erunt extenuanda, aut refutanda: contraria uerò, incommoda ſcilicet, noxia, & pernicioſa, exaggeranda. Itaq; huc pertinent illæ etiam methodi, tractandi rationes: μείωσις, ἢ ἀνασκευὴ τῶν ἀγαθῶν, αὔξησις τῶν κακῶν.

EXEMPLVM ΑΠΟΤΡΕΠΤΙΚΗΣ, diſſuaſoriæ epiſtolæ: cui admixta eſt παρακλητικὴ, & προτρεπτικὴ.

CAESAR IMP. M. T. CICERONI Imp. S. Ad Att. lib. 10. epiſt. 9.

Στάσις eſt πραγματικὴ, negotialis conſtitutio: An Cicero, inclinante nunc bello ciuili, excedere debeat Italia, nec ne?

I. Περιοδικὸν ἑξάκωλον.

Πρότασις μονόκωλος.

Ἀπόδοσις πεντάκωλος.

Κατάστασις, propoſitio.

ETſi te nihil temerè, nihil imprudenter facturum iudicaram: 21.
Tamen, permotus hominum fama, ſcribendum ad te exiſtimaui: 20.
Et, pro noſtra beneuolentia, petendum: 13.
Ne quò progredereris: 7.

Incli-

Inclinata iam re:6.

Κατασκευὴ, confirmatio

Qua integra, etiam progrediendum tibi nō existimasses:20.

Ἐπιχείρημα.

Tria membra longiora sunt paria; ut ἰσόκωλος sit circumductio: tertium moderatum, quartum, & quintum minutiora, & incisis æqualia.

II. Τρίκωλος περίοδος ἰσοσκελής, *propositione unius membri, & reuersione simili, cum annexo tertio.*

Ἐργασία à turpi, & inutili.

Nam & amicitiæ graviorem iniuriam feceris: 18.

Ἐπισύναψις, et immutatio partium propositionis hypotheticæ.

Et tibi minus commodè consulueris: 12.

Si non fortunæ obsecutus videbere: 13.

Συμπλοκὴ, *copulatio duorum argumentorum:* ὁμοιοτέλευτον, *&* τὸ καθ᾽ ὑπόθεσιν.

III. Τετράκωλος.

Ἐπεξεργασία Membrum productum compositione, per interiectionē duorum. Totius enim epistolæ κατὰ μεταποίησιν, alia potest institui σύνθεσις.

Omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur:26.

Nec causam secutus (eadem enim tum fuit: cum ab eorum consiliis abesse iudicasti:) 29.

Sed meum aliquod factum condemnasse vi debere: 16.

Quo mihi grauius abs te nil accidere potest: 15.

IIII. Πρόσαψις, *adiunctio periodi simplicis.*

Quod ne facias, pro iure nostræ amicitiæ, â te peto.

Est monitio, νουθέτησις *admixta* ἐκπληκτικῇ: *qua eum ab hoc consilio deterret.*

Conclusio, petitione.

V. Δίκωλος περίοδος, μείουρος.

Postre-

Aliud argumentũ ex repugnantibus, & honesto.

Postremo, quid viro bono, & quieto, & bono ciui magis convenit: 22.

Quàm abesse à civilibus controversiis? 14.

Ὑπόστασις, καὶ ἐρώτησις.

ἔννοια θετική.

VI. Δίκωλος μακρόκωλος.

Ratio ab exẽplis.

Quod nonnulli cum probarent: 8.

Periculi causa, sequi non potuerunt. 13.

Ἔννοια ὑποθετική.

VII. Τρίκωλος ἄνισος. Estq; ἐφαρμογή, applicatio exemplorum, ad Ciceronis personam.

Confirmatio à tuto, & honesto, ἐπιφωνηματικῶς.

Tu, explorato & vitæ meæ testimonio, & amicitiæ iudicio: 25.

Neque tutius, nec honestius reperies quicquam: 17.

Quàm ab omni contentione abesse: 12.

Vale.

Ἄλλο Ὑπόμνημα.

Etsi.) ἡ τοῦ προοιμίου πρότασις, κατὰ πρόληψιν, exordij propositio, per occupationem, est enim insinuatio quædam, ἔφοδος. Tractatur ἀντικαταλλάξει, compensatione, cuius pars prima est ὁμολογία, concessio. Ac conciliat sibi beneuolentiam à persona Ciceronis, κατ' ἔπαινον, laude. Tamen.) Secunda prolepseos pars ἀφαίρεσις, remotio, quæ est αἰτιολογική, comprehendens causam, cur scribat. Locus est beneuolentiæ, à persona sua, κατὰ λύσιν. Scrib.) Κατάστασις, propositio, sed gemina. Nam continet τὸ γενικώτερον, generalius, & εἰδικώτερον, specialius. Scribendum.) Τὸ γενικώτερον. Et pro.) Τὸ εἰδικώτερον, & κεφάλαιον, propositio propria huius epistolæ ἀποτρεπτικῆς, κατ' ἀξίωσιν, cum petitione.

titione. Ne discedat, & ne se ad Cæsaris inimicos conferat. Inclinata.) Κατασκευή, confirmatio, & propositionis ratio, ἐπιχείρημα, ac primum argumentum est sumptum ex comparatis. Qui re integra, sibi aliquò progrediendum non existimat: is, eadem inclinata, minùs debet aliquò progredi. Tu, integra adhuc re, tibi aliquò progrediendum esse, non existimasti. Ergo, multò minus eadem inclinata aliquò debes progredi. Inclinata.) Comparationis pars prior, τοῦ μᾶλλον, & conclusio syllogismi, uel enthymematis cõsequens: deest enim maior propositio. Qua integ.) Minor, uel antecedens, τοῦ ἐνθυμήματος. Namq;.) Ἐργασία, rationis approbatio, ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως, ἢ τῶν ἐκβησομένων, ab euentu, uel consequentibus. Sunt autem hic duo argumenta: primum à pugnantibus cum amicitia. Amicitiæ iniuria non est facienda. Si tu iam aliquò progredieris: iniuriam nostræ amicitiæ facies. Igitur, peto, ne quò progrediaris. Conclusio initio, ἐν τῇ καταστάσει, est proposita. Sumptum est argumentum ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ, ἢ ψεκτοῦ, à turpi, & uituperatione digno: quibus opponitur τὸ καλὸν, honestum & τὸ αἰνετὸν, laudabile. Et tibi.) Secundum argumentum, ἀπὸ τοῦ ἀσυμφόρου, ἢ ἀνωφελοῦς, ab inutili. Nemo sibi malè debet consulere. Tu uerò, si quò nunc progredereris, malè tibi consuleres. Suadeo igitur tibi ne quò progrediaris. Etsi alij hunc locum sic legunt: & tibi minus commodè consulueris, si non fortunæ obsecutus uidebere. Omnia .n. secund. etc. Vt illa propositio ad hanc sequentẽ ὑπόθεσιν referẽda uideatur. Quod minus placet.) Hæc uerba

Σύγκρισις τοῦ ἧττον καὶ τοῦ μᾶλλον, comparatio minoris, et maioris

Expoſitorius ſyllog. in fig. ij.

in alijs libris deſiderantur. Item illa: ut debes. Si non fort.) Argumentum tertium ductum à repugnantibus, tractatum uerò καθ' ὑπόθεσιν: Si quò, re iam inclinata, progredieris, non eris obſecutus fortunæ. Sed decet fortunæ obſequi. Igitur, non debebis aliquò progredi. Omnia enim.) Ἐπεξεργασία, expolitio ſuperiorũ, et cõparationis initio propoſitæ καθ', ἀντίθεσιν: Hermogenes ἐνθύμημα συγκριτικὸν nominat. Ac ſunt ἐπενθυμήματα, id eſt, priori ſyllogiſmo, quaſi ſecundæ ratiocinationes annexæ: ita, ut & minor ſupra poſita, prima harum ſententiarum contrariarum exiſtat protaſis: Tu debes fortunæ obſequi; & poſtea ſubſumantur ſequentes duæ προτάσεις ἀντικείμεναι. Ex quibus duo contrarij ſyllogiſmi cõficiuntur. Hoc modo: Atqui ego ſecunda utor fortuna. Pompeius uerò, & cæteri hoſtes, utuntur aduerſa. Igitur, meis potius partibus fauere, & adeſſe, quàm Pompeij, & meorum inimicorum, debes. Aſſumptiones ſunt duæ contrariæ: Itaq; & complexio eſt bipartita. Eſtq; ἀντισυλλογισμὸς, hoc eſt, oppoſita ſuperioribus argumentationibus, quæ dehortando, atq; negando ſunt confectæ, ratiocinatio, quæ fit affirmando: qua tacitè hortatur Ciceronem Cæſar: ut ſuas potius partes ſequatur. Quamobrem illæ rationes fuerunt ἀνατρεπτικαὶ, καὶ ἀνασκευαστικαὶ; hæc autem eſt προτρεπτική, ἢ παραινετική, καὶ κατασκευαστική. Si non fort.) Prima propoſitio ſyllogiſmi expoſitorij hypothetici, in ſecunda figura. Vt debes.) Propoſitio ſecunda: quæ & maior protaſis eſt ſequentium. Omnia enim.) Subſumptio minoris affirmatiuæ.

tiuæ. Aduersiss.) Minor negatiua. Nec causam.) Aliud argumentum, à consequente. Si progredieris aliquò hoc tempore, uideberis non causam secutus esse: sed meum aliquod factum condemnasse. Sed rogo, ne factum aliquod meum cōdemnes. Huic præponit προσυλλογισμόν. Nihil enim grauius mihi abs te poterit accidere. Igitur, te rogo, ne quò hoc tempore progrediaris. Nec) Prior propositio, κατ' ἀναίρεσιν, quæ constat ἀποφάσει, negatione, & καταφάσει, affirmatione. Eadem enim) αἰτιολογία, κατὰ παρσύνθεσιν, inficiationis, seu remotionis. Sed) κατάφασις, καὶ θέσις. Condemnasse) Scilicet, uideberis. Scripta est in Hispaniensi itinere festinanter hæc epistola, quò fit, ut tametsi rerum, argumentorumq; condensationem, & copiam habeat, tamen minus accurata in ea sit compositio. Habet enim ἐκλείψεις, & ἀνανταπόδοτα, id est, membra quædam mutila, & truncata, siue non reddita. Quo mihi) Assumptionis insequentis approbatio, ἀπὸ τοῦ ἐκβησομένου, per ἔκπληξιν, territationem, qua fit periculi metus propositione. Estq; sententia νουθετικὴ, qua liberè, etsi breuiter, quid non debeat facere, Ciceronem monet. Quod ne) Assumptio, κατὰ δέησιν, ἢ ἀξίωσιν ἠθικὴν, per obtestationem, uel postulationem amicam, quæ est quædam προσεπίπληξις, hoc est, mitigatio νουθετήσεως. Et epilogus conclusio generalis epistolæ. Postremo) Παραύξησις, amplificatio superiorum per θέσιν, seu locum communem. Et aliud argumentum, ἀπὸ τοῦ καλοῦ, ab honesto. id est, boni, & quieti uiri, atq; ciuis officio, Bonum, ac quietum uirum,

atq; ciuem decet abesse à controuersijs ciuilibus. Tu fuisti semper uir bonus, & ciuis amans pacis, atq; ocij. Hanc omisit, ut suspicionē assentationis, τῆς κολακείας, qua laus ista non caret, uitaret, & effugeret. Igitur, non decet te his nostris controuersijs ciuilibus interesse. Ratiocinatio est ἀποτρεπτική, id est, dehortatoria, ne se intermisceat bello huic ciuili. Quid magis.) Maior, & θέσις, à pugnantibus cum quieto uiro. Quod non.) Eius expositio, ἔκθεσις, ab exemplis, ἀπὸ τῶν παραδειγμάτων. Tu.) Contentionis, τῆς ἀντιθέσεως, ἢ ἀντεξετάσεως redditio, ἀνταπόδοσις. Neq; tutius) ἀπὸ τοῦ ἀκινδύνου ἢ ἀσφαλοῦς, à tuto. Honestius.) ἀπὸ τοῦ καλοῦ, ab honesto. Quam ab.) συμπέρασμα, conclusio, κατ' ἐπιφώνημα.

ΑΛΛΟ ΥΠΟΜΝΗΜΑ.

Partes igitur illa epistola habet προοίμιον, exordium, sed breuiusculum: ut solet in genere deliberatiuo fieri: κατάστασιν propositionem, κατασκευήν, confirmationem: & συμπέρασμα. Tamen permotus.) Exordium, et propositio, & pars confirmationis prima uno ambitu sunt comprehensa. Sententia προκαταρκτική, Exordij, una tantùm est: quæ habet laudationem Ciceronis, & concessionem. Sequitur κατάστασις propositio, per ἀντιπαραγωγήν, subiectam concessioni correctionem. Vbi Iulius Cæsar ostendit, non solum occasionem, uerū etiam causam huius suæ scriptionis, uidelicet, quòd permotus hominum fama sit: quod rumor percrebuerit: Ciceronē Italia excessurum, bello iam inclinato, & ferè confecto.

Pro-

Propositio annectitur bipartita: Est enim primum ἀόριστος infinita, & generalis, ubi dicit: Scribendũ ad te existimaui. Deinde est ὡρισμένη, finita: eaq; pars est ualdè modesta, propter παράκλησιν, petitionem: ut suasio esse uideatur: quam Aristoteles, uel, ut quidam putant, Anaximenes, in Rhetorica ad Alexandrum Magnum definit ad istum modum, προτροπὴ μὲν, ἐπὶ προαιρέσεις, ἢ λόγους, ἢ πράξεις, παράκλησις. Verius tamen est ἀποτροπή: quia, ut idem eodem in loco, scribit, ἀπὸ προαιρέσεων, ἢ λόγων, ἢ πράξεων διακώλυσις. Deterret enim eum ab hoc propositio, & facto, ἀπὸ προαιρέσεως τε, καὶ πράξεως, & ad contrarium & consilium, & factum cohortatur, ἐπὶ προαίρεσιν, καὶ πρᾶξιν ἐναντίαν. Vt igitur Ciceronem deterreat: petit, ne pedem moueat ex Italia. Est ἀξίωσις, ἀντὶ τῆς ἀποτροπῆς. In eadem periodo, sub finem huius propositionis dissuadentis Cæsaris, subijcitur ratio. κατασκευή: ab incommodo, seu periculo. quod argumentũ opponitur utilitati tutæ. Sed utitur pulcherrima comparatione minoris, et maioris. Tu, integra adhuc re, tibi aliquò progrediendum esse non existimasti, multò minus, nunc inclinata pedem mouebis. Nam & amicitiæ.) Sequitur post hanc periodum rationis proximæ ἐργασία, confirmatio, ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως. Verum duo argumenta hic coniungit, quorum unum est ductum ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ, à turpi: Si excedes Italia: iura amicitiæ nostræ uiolabis. Et tibi parùm.) Alterum deinde argumentum ἀπὸ τοῦ ἀχρήστου, ab inutili est petitum. Si non fort.) Ista ὑπόθεσις est προτρεπτική cohortato-

ria, & ſumpta ex communi loco. Ideoq; eſt νόημα, ſententia generalis applicata ad perſonam Ciceronis. Debet enim quiſq; fortunæ obſequi. Nunc ſuperiorum ἐπεξεργασίαν ſubijcit. Omnia enim ſecundißima aduerſißima illis accidiſſe uidentur. Eſt pulcherima, quanquam breuißima ἀντεξέτασις, quæ pertinet ad deterrendum Ciceronem. Qui fortunæ obſequitur, is ſequitur eos, quibus omnia ſecundißima acciderunt. Ergo tu Cicero me, non Pompeium, ſequi debes. Continenter tribus uerbis. (Nec cauſam ſecutus es) Rationem ſubijcit aliam in hac exornatione. Eadem enim tum fuit: cum ab eorum conſilijs abeſſe iudicaſtis &c. Hæc pars continet μέμψιν. Nam expoſtulat paucis cum Cicerone, & amici in eo deſiderat officium. Sed lenit iſtam expoſtulationem ἀξιώσει, petitione.

Quod ne facias, pro iure noſtræ amicitiæ à te peto. Poſtremo quid uiro bono) Poſtremum argumentum ſequitur, tanquam ſuperioris additamentum in Epilogo, ἀπὸ τοῦ καλοῦ, ab honeſto. Eſt enim uiri boni, & amantis pacem, atq; ocium, longè abeſſe à ciuilibus controuerſijs. Viro bono) σπουδαίῳ. Quieto) Pacifico, εἰρηνοποιῷ, εἰρηνοφίλῳ. Quod nõnulli) Huic ſententiæ in fine adijcit αὔξησιν, ab exemplis, per comparationem. Tu explorato, & uitæ meæ teſtimonio & amicitiæ iudicio, &c.) Secunda comparationis pars, per Epiphonema, quo duo argumenta complectitur προτρεπτικά, alterum ab utilitate tuta, alterum ab honeſto. Atq; hoc exemplum breue eſt puræ diſſuaſionis, ſed plura repe-

rient studiosi in libris paradigmaticis, qui hos, Deo uolente, subsequentur.

EXEMPLVM MIXTAE dissuasionis.

CATO S. D. CICERONI IMP.

Famil. 15. ep. 5.

EST συγχαριστική, & ἀποτρεπτική. *Nam & gratulatur Ciceroni M. Cato, de rebus, à se præclarè in Cilicia, contra Parthos, gestis, et tacitè,* εἰρωνικῶς, *ne triumphum ambiat, dissuadet. Huc accedit* ἀπολογία, *excusatio, quod ei supplicationem non decreuerit, &* ἀντεισαγωγή, *per comparationem, quod de illo honorificentius senserit, quam eos, qui supplicationem decreuerunt.*

I. Περίοδος τετράκωλος ἄνισος μακρόκωλος, *Catoniana, id est, horrida compositione.*

Quod & Respublica me, & nostra amicitia hortatur.

Libenter facio:

Vt tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, togati, armati foris, pari industria, administrare, gaudeam.

Hæc est συγχαριστία, *gratulatio, se gaudere, quòd eam uirtutem, quam in consulatu domi, foris quoq; in administranda prouincia Cilicia, adhibuerit. Togati) Al. do-*

mi togati. Al. Vt uirtutem togati. uel togati, ſcilicet tui. Adminiſtrare.) Præeſſe Reipublicæ. Durum genus loquendi Catonis: & Stoica etiam compoſitio.

II. *Γνωμματικὴ σύνθεσις.*

Itaque quod, pro meo iudicio, facere potui.

Vt, innocentia, cõſilioq́ tuo, defenſam provinciam.

Servatum Ariobarzenis, cum ipſo, regnum.

Sociorum revocatam, ad ſtudium imperij noſtri, voluntatem.

Sententia mea, & decreto, laudarem, feci.

Ἀφήγησις, expoſitio ſui facti in petitione ſupplicationis. Altera laus Ciceronis: ad conciliandam eius beneuolentiã: ne ipſum offendat, diſſuaſione triumphi.

Defenſam) Ab incurſione Parthorum, & Arabum. Sunt cauſæ rerum geſtarum. Ipſo.) Al. cum ipſo rege regnum Defenſam, ſeruatum, reuocatam.) Υπόζευξις, & διάλυτον, item ὑπέρβατον, per ὑπέρθεσιν. Laudarem.) Scilicet tantùm, ſed non ſupplicationem tamen decernerem, id eſt, feci, ut laudarem, ſeu laudaui.

III. *Περίοδος ſimplex, implicato hyperbato.*

Comparatio. Quamuis ſupplicationem Ciceroni Cato non decreuerit: tamen ei ab alijs decretam, gaudet:

Supplicationem decretam, ſi tu, qua tu re nihil fortuitò, ſed ſumma tua ratione, & continentia Reipublicæ proviſum eſt, dijs immortalibus gratulari nos, quã tibi acceptum mavis, gaudeo.

Eſt altera gratulatio: quòd ei decreta ſit ſupplicatio. Referre acceptum.) Translatum à ſcribentibus ſe accepiſſe debitum. Eſt tribuere, aſcribere.

Sup-

Suppli[c]a ionem decretam.) Vide ad Atticum, ep. 1. *&* 2. *lib* 7. *cōtra inuidiæ suspicionem.*

ΑΠΟΤΡΟΠΗ.

IIII. *Rursum* πνευματικῶς, *impedita, & obscura constructione.*

Quod si triumphi prærogativā putas supplicationem. *Κατάστασις latentis dissuasionis.*

Et idcirco casum potius, quâm te laudari vis. *Κατασκευή.*

Neq; supplicationē sequitur semper triumphus. *Ἐπικατασκευή.*

Et triumpho multò clarius est. *Horridum genus dicendi, & incompositum.*

Senatum iudicare, potius mansuetudine, et innocentia Imperatoris, provinciam, quàm vi militum, aut benignitate deorum, retentam, atq; conservatam esse.

Ἐπισύναψις. *Πλεονασμὸς, nisi propriè censebam, pro iudicabā sumatur.*

Quod ego mea sententia, censebam.

Hactenus se excusauit: quòd ei supplicationem non decreuerit. lib 8. epist. 11. Prærogatiuam) Id est, *dationem certo secuturam, ex triumphi annexione.* τὸ καθ' ὑπόθεσιν. *Potius–quàm.)* Προτίμησις *comparatione. Neq;.)* Ἐπίλυσις, *uniuersalis propositionis. Latent hic argumenta, à turpi, propter ambitionem: & à difficili, propter incertitudinem: item minus præclaro,* ἐκ τοῦ ἧττον ἐνδόξου, κατ' ἀντεισαγωγὴν, τοῦ ἐνδοξοτέρου, *multò præclariore, q locus pertinet ad laudabile*

τὸ ἐπαινετὸν, quod honestum comitatur.

Excusatio αἰτιολογική prolixitatis in scribendo.

V. *Comprehensio quadrimembris μακρόκωλος.*

Atq; hæc ego iccirco ad te, contra consuetudinem meam, pluribus scripsi:

Vt, quod maximè volo, existimes:

Me laborare, ut tibi persuadeam:

Me & voluisse de tua maiestate, quod amplissimum sum arbitratus, & quod tu maluisti, factum esse, gaudere.

Cato Stoicus erat: & Stoicorum breuis erat oratio. In orat. pro Murena.

Atq;.) *Πρότασις τοῦ λογισμοῦ, καὶ τοῦ πραχθέντος, & facti, ut.) αἰτιολογία, ratio à fine.* Et–Et.) *Συμπλοκή.*

Εὐχὴ, & ἀξίωσις.

VI. *Incisa primùm, deinde membrum περιοδικῶς circumductum.*

Vale, & nos dilige.

Et instituto itinere. Al. securitatem, id est, fac, ut securi sint, & in tuto, seueritatem, diligentiamq; socijs & Reipublicæ præsta.

Προσθήκη, ad clausulam, παρακινετική, ut pergat in hoc instituto: adhibeat in socijs regendis seueritatem & diligentiam: Ac *στωϊκῶς, hanc uirtutem, aculeum, in animo Ciceronis relinquens, seorsim ad extremum collocauit.*

Hanc Catonis Stoici epistolam διανοσιώθετον, καὶ ἀνοικονόμητον, subieci, non tam, propter κρύψιν, occultationem dissuasionis (superior enim Cæsariana fuit aperta, & directa, hæc latens, & obscura: quàm propter συζήτησιν, comparationem superiorum omnium quæ perspicuè ostendit discrimen inter stilum, genus dicendi, &

com-

compositionem M. Marcelli, Iulij Cæsaris, M. Catonis, ipsiusq; M. T. Ciceronis. Et cum oratio sit εἴδωλον, εἰκὼν, καὶ χαρακτὴρ τοῦ νοῦ, expressa quasi imago, & index mentis: quis non loquentem seuerum Stoicum Catonem, ex hac horrida, & incomposita dictione, agnoscat? Conferant igitur studiosi hanc epistolam, cum insequente Ciceroniana: Deus bone, quàm luculentum uidebit discrimen. Quàm aures offenduntur, & animus lectione tam αὐστηρᾶς συνθέσεως, austeræ, & dissolutæ scriptionis Catonianæ: quanta autem uoluptate perfundentur perlecta Ciceronis responsione: quæ nihil, ut in rerum, sententiarumq; inuentione, sic in collocatione, & tractatione nihil, in uerborum delectu, structura, continuatione, exornatione, & in sententiarum conformatione omnino peccat nihil. Quid obscurius Catonis stilo? nihil: quid dilucidius oratione M. Tullij? prorsus nihil. Hunc igitur præ cæteris in scribendo, sibi ad imitandum proponant: huius & collocationem, & tractationem, σύνταξιν, καὶ ἐξεργασίαν, huius uerborum, loquendiq; formularum delectum, & coagmentationem, & continuationem, λέξιν, σύνθεσιν, συνθήκην, περίοδον, deniq; ornatum perspicuum intueantur, & in scribendo conentur effingere, atq; exprimere. Prima uirtus orationis est, τὴν λέξιν σαφῆ εἶναι: ut dictio sit aperta, plana, dilucida. Catonis ἀσαφὴς, propter Stoicum τὸ σκοτεινὸν cuiuis apparet: proxima uirtus in scribendo est: ut sit εὐσύνθετος, benè composita oratio. Certè, ut ad τὸ ἑλληνίζειν, sic ad Latinitatem necessaria est τῶν συνδέσμων, tanquam uincu-

Multa insunt ἀναναπόδοτα maleq; cõclusa, sed μεταχηματισμὸς, aliaq; cõpositio hæc omnia monstrabit.

3. Rhet. Arist.

lorum, ut sunt particulæ inflexiles, quæ in componendo elegantem efficiunt orationem, obseruatio, & collocatio. Sed noster M. Tullius tertiam uirtutem elocutionis addit, τὴν κεκοσμημένην λέξιν, ornatam elocutionem. Neque enim accuratius compositæ illius epistolæ, modico ornatu uerborum, & sententiarum luminibus facto, carent. Id quod ex superioribus perspicuum est: & ex insequentibus facile intelligi potest. In Catonis epistola res magis τοῦ ἀπαθοῦς Catonis spectetur: qui ut alia πάνθ hilariora, natura tristior auersatur: sic à triumphi, & istiusmodi honoris cupiditate, Ciceronem φιλοτιμώτερον uult abhorrere: Et tamen Stoicus Cato, ter se gaudere scribit, ne ab omni humanitatis sensu alienus esse uideatur. Causas tamen benè administratæ prouinciæ commemorat.

In Cicerone: quem scil. Imperatorem, uult causam esse absolutam benè administratæ prouinciæ:

Virtutem, ἀνδρείαν.

Innocentiæ quater mentionem facit.

Innocentiam, ἀβλάβειαν. Vt Stoici nominant.

Diligentiam, ἐπιμέλειαν, καὶ σπουδὴν.

Industriam, φιλοπονίαν.

Consilium, σύβουλίαν. Hanc infra summam rationem nominare uidetur: qua omne à Cicerone prouisum est.

Continentiam, ἐγκράτειαν.

Voles te potius, quàm casum laudari.

Mansuetudinem, πρᾳότητα.

Seueritatem, σεμνότητα, ἢ ἀποτομίαν.

Extra Ciceronem, causas ponit.

Deos immortales: & horum benignitatem.

Vim

Vim militum.

Casum, ut fortuitò illa facta esse uideantur.

Et maiestatem, atq; amplitudinem Ciceroni Imperatori tribuit.

Est autem sententia hæc non tam Stoica: quàm pia: Dei immortalis benignitate retineri, & conseruari magis prouincias: quàm ui militum.

Initiò coniungit has causas:

Ciceronis uirtutem, innocentiam, diligentiam:

Mox effectum: per αὐτεξέτασιν.

Cognitam in maximis rebus, domi togati Ciceronis, hoc est, in eius Consulatu: quando Catilinæ coniurationem oppreßit.

Seorsim ponit Industriam, armati foris M. Tullij scil. non consulis, sed proconsulis: qui pari industria prouinciam administret.

Atq; hæc ad πολιτικὴν pertinent: ut quæ insequuntur ad στρατηγικὴν: & Imperatoris sunt.

Innocentia, consilioq; tuo defendisti prouinciam.

Seruasti Ariobarzanis, cum ipso rege, regnum:

Sociorum reuocasti ad studium imperij nostri uoluntatem.

Τὰ αἰτιατὰ, effectus horum sunt:

Gaudeo. Illud mea sententia, & decreto laudaui.

Rursum causas seorsim: κατὰ διαστολήν.

Ἄρσις, remotio falsæ causæ, τῆς τύχης, τοῦ αὐτομάτου.

Nihil, in hac re, fortuitò:

Θέσις,

Θέσις, oppositio causæ ueræ;

Sed summa tua ratione, & continentia, Reipublicæ prouisum est.

Et sententiam grauissimam minuit, contra ambitionē Ciceronis; sed ei optionem ἠθικῶς dat.

Dijs immortalibus nos potius gratulari: quàm tibi acceptum referre debemus. Cato inprimis dijs immortalibus, eorumque benignitati, proximè sibi tribui uult gloriam rerum à se gestarum.

Fatetur tamen non casum, sed Ciceronem laudari oportere.

Subijcit iudicium Senatus.

Et ut supra, in imperio militari togatas uirtutes posuit: ita in hoc loco bellicis easdem, ἐκ τοῦ προκρίματος τῆς γερουσίας anteponit.

Hoc iudiciū triūpho præpōderare scribit.

Senatus iudicauit, potius mansuetudine, & innocentia Imperatoris, prouinciam, quàm ui militum, aût (nota remotionem uerissimæ causæ.) Dei benignitate (hactenus causæ: nunc effectus.) retentam (imperio) atq; conseruatam esse, id est, defensam, aduersus incursiones Parthorum. Et suam ἐπίκρισιν subijcit. Se id, sua sententia, censuisse. De Ciceronis namq; Imperatoris maiestate, hoc amplissimum est arbitratus.

De triumphi causis, pauca: Sunt autem res fortiter gestæ: propulsati hostes: defensa prouincia: conseruati socij, retenti in fide, & officio. Item, supplicatio, quæ triūphi est prærogatiua: denique decretum Senatus: quæ est absoluta causa: quemadmodum supplicatio, est adiuuās.

Itaq;

Itaq;,neque,inquit, supplicationem sequitur semper triumphus.

Sed de his, plus quàm, satis multa Reuertamur itaq; ad dissuasionem,quæ,ut suasio,& exhortatio,si non pura est; sed alijs generibus coniuncta:plerunque est ἐπιλογική,in conclusione adhibita. Quanquam Catonis epistola quædam alia habet admixta:principalis tamen status est negotialis, πραγματικὸς, ne triumphum petat. Quæ causa est:ut post ingressum,quæ gratulationē continet,ipsa κατάστασις προτρεπτική sit:ut tota confirmatio. Mixtæ dissuasionis ἐπιλογικῆς exemplum insigne est,et breuißimum illud Ciceronis,lib.XIIII.epist.XII.

Cæsare,& Seruilio consulibus.

CICERO S. D. Terentiæ suæ.

Αντεπιστολική.

I. Περίοδος δίκωλος,μείζων.

QVod, nos in Italiam saluos venisse,gaudes: 14. — Εὐχαριστική, ad συγχαιρετικήν.

Perpetuo gaudeas,velim: 9.

Επαναλήψει complectitur summam literarum Terentiæ: eiq; subijcit εὐχὴν,optationem. Sequitur motus contrarius, dolor, & diuersus ab utroq; metus.

II. Τρίκωλος ἰσοσκελής.

Sed perturbati, dolore animi, magnisq; iniurijs. 18. — Ανταπόδοσις τοῦ μερισμοῦ.

Metuo,ne id consilij ceperimus: 13.

Quod

Tu gaudes: ego doleo; tu speras; ego metuo.

Epist. 2. lib. 11. ad Att.

Quod non facile explicare possimus: 12.

Quod consilium explicari difficulter potest: id non est capiendum. Ostendit se pœnitere, et dolere: quæ pars est μεταμελητική, λυπητική, & ὀδυρτική.

Consilij.) Quod, uicto, in Pharsalia, Pompeio, in Italiam redierit.

Conclusio superiorum & propositio insequentiũ.

III. Μονόκωλος.

Quare, quantùm potes, adiuua.

Hæc pars est παρακλητική, petens ἐκ τῆς δυνάμεως.

Sequitur quasi assumptio. Sed parum potes.

Κατάστασις, *propositio.*

IIII. Δίκωλος, μακρόκωλος, *minutis in ista breuitate, membris.*

Ἀφαίρεσις τοῦ δυνατοῦ, ὅτι ἀδύνατον.

Quid autem posis: 5.

Mihi in mentem non venit: 8.

Ἀποτροπή dissuasio: ne ad ipsum eat Terent.

Κατασκευή, *confirmatio, ipsaq́; dissuasio,* ἐκ τοῦ δυσχεροῦς, & *à tempore.*

V. Μονόκωλος, κατὰ πλοκή.

In uiam, quòd te des, hoc tempore, nihil est.

Rursus à difficili, quasi impoßibili, & non tuto, ἀπὸ τῆς δυσχερείας, ἀδυναμίας τε, καὶ τοῦ κινδυνώδους.

VI. *Contractißima bimembris: ut incisa uideantur.*

Et longum est iter: 6.

Et non tutum: 4.

Συμπλοκή *monstrat circuitum, eiusq́; reditum.*

VII. Ἐπ. σύναψις τριῶν κόμμων, *quasi tribus incisis, sed orbem habent.*

Et non video:

Quid prodesse posis:

Si

Si veneris.

VIII. *Incisis facta clausula.*

Vale.

Datum, pridie Non. Nou.

Brundisio.

Epistolium breuißimam continet κώλυσιν; sed argumentosam, & neruosam, quæ uariè tractari, & dilatari posset. Id quod ut faciant studiosi elegantiæ: monendi sunt à suis moderatoribus, atq; magistris.

Aliud argumentum, ab inutili.

Εὐχή.

Ἔνδειξις, notatio temporis, & loci.

DE RATIONE AD dissuasionem respondendi.

CAPVT XX.

AD dissuadentes epistolas, nulla quoq; dari potest certa præceptio respondendi. Nam generalis eadem cum superiore ἀντιγραφῇ, πρὸς τὴν παραίνεσιν, est: ut, si consilio nostro amicus acquiescat: gratiam nobis & habeat, & agat: nobisq; recipiat, se obtemperaturum, εὐχαριστίᾳ, καὶ ὑποσχέσει.

1. Οὗτος μὲν πανάριστος ὁ αὐτὸς πάντα νοήσει:
Φρασσάμενος τά κ' ἔπειτα, καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
2. Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
3. Ὃς δὲ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ', ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται; ὃ δ' αὖτ' ἀχρήιος ἀνήρ.

Hesiodus.

1. Ethic. Nicom. cap. 4.

Quibus ex uersibus ethici poetæ, constat, ἐσθλὸν εἶναι, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται. Et quanquam ad illas ἀναγκαίας προτάσεις, propositiones, inquam, necessarias, principes

huius

huius responsionis partes, aliæ, προσλαμβανόμεναι, accersuntur: ut μέμψις, reprehensio: atq; obiurgatio, aut expostulatio: uel ὀνειδισμὸς, exprobratio: tamen fit interdum, ut, obliqua deprecatio suasionis instituatur, sed uerecundè, & artificiosè: uidelicet, petitione eius ipsius rei, quæ dissuadetur, opposita: cuius rei equidem Ciceronis erit epistola illustre exemplum: Consilium esse optimum Catonis uidebatur: M. Tullius suum melius, sibi uidelicet, honorificentius, & gloriosius fore autumabat. Obliquam igitur, in ista comparatione, non ἁπλῆς βουλῆς, sed ἥττονος, facta, sui autem consilij ὡς κρείττονος, refutationem Cicero instituit, orationis genus etiam σφοδρὸν, τραχὺ, σκληρὸν, καὶ αὐστηρὸν. Tullius compensauit dicendi forma σεμνῇ, λαμπρᾷ, γλυκεῖ, graui, splendida, suaui: sed cum dignitate, habita prudenter ratione decori. Sed iam elegantißimam Ciceronis consideremus epistolam. Reliqua dabimus obseruationi.

EXEMPLVM literarum, quibus Cicero rescribit epistolæ Catonis triumphum dissuadenti.

Catonis Censoris seueræ, Stoicæq; epistolæ, Cicero hilarem, lætamq; opponit: plenam spei, & fiduciæ. Ideoq; plurimum habet dignitatis, atq; splendoris, præter ornatum, ac pulchritudinem. Dicēdi formæ itaq; in hac elucent: ἡ σεμνότης, ἡ λαμπρότης, καὶ τὸ κάλλος.

I. Μονόκωλος περίοδος, κατὰ ἁπλοκῇ.

Exordij — Lætus sum, laudari me, inquit Hector, opinor,

nor,

nor, apud Nævium, abs te Pater (Al. à laudato 4. Tuscul.) laudato viro.

Catonis literæ motus habebant tristitiam, & metum, λύπλυ, καὶ φόβον: Ciceronis horum ἐκβολλυ: contrarijs oppositis, lætitia, & fiducia, χάρα, καὶ θάῤῥει. Itaq; statim initiò πεποίθησιν ἔχει, neq; enim paruam fiduciæ significationem dat: grauiterq; incipit à χρεία Hectoris apud Næuium. Ανάγνωσις, recitatio illius dicti μιμητικῶς facta est, cui tamen inserta est διηγηματικῶς, Ciceronis πρότασις ἀφηγήσει Quis? Hector, Vbi? apud Næuiũ, Quid? (inquit, &c.

Πρότασις ἀπὸ χρείας, assumpta scil. ab Hectoris χρεία, celebri dicto.

Αγαλλίασις Ciceronis ante triumphũ.

II. Τρίκωλος ἰσοσκελής.

Ea est enim profecto iucunda laus: 12.
Quæ ab ĳs proficiscitur: 9.
Qui ipsi in laude vixerunt 9.

Σεμνὴ ἔννοια, grauis cum dignitate sententia, ἀπόφανσιν habet, seu asseuerationem, τὸ ἔνδοξον γὰρ ἐνδοξοτέρως λέγει. Supra dubitanter senex, ἐνδοιάσει, opinor, ὡς οἶμαι, locutus est. Nam ἁμάρτημα μνημονευτικὸν senum est, qui memoria labi facile possunt. Est autem maior propositio. Quæ laus ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude uixerunt, ea est iucunda.

Κατασκευή, ratio, ἐπικρίσει, iudicio Ciceronis subiecto, ἐγκωμιαστικῶς, καὶ θετικῶς.

III. *Altera* τρίκωλος, *itidem* ἰσοσκελής.

Ego vero, vel gratulatione literarum tuarum: 18.
Vel testimonĳs sententiæ dictæ: 12.
Nihil est, quod me non assecutum putem. 12.

Mei laus, à te profecta est, proxima epistola, qui ipse in laude uixisti.

Ergo mei laus, est mihi iucunda. Habet ergo hoc principiũ, non tam gratiarũ actionem, quã mutuam laudationem, qua forte Stoicus etiam Cato acquiescet.

Est ἀπόδοσις, superiorum ad suam personam adaptatio. Nam illa fuerunt θετικὰ: hæc autem sunt ὑποθετικά. Ac rursus fidenter, & splendidè loquitur, πεποιθήσει, et ἀποφάνσει, Ostendit enim hoc cumulo, seu gratulatione, & suffragio Catonis, addito, se, perfectam laudem esse consecutum. Estq; noua propositio σύγκρισις.

IIII. Tertia τέμωλος σχεδὸν, ἀλλ' οὔπω ἰσοσκελής.

Idq; mihi tum amplissimum, tum gratissimum est: 15.

Te libenter amicitiæ dedisse: 12.

Quod liquidò veritati dares. 10.

Κατασκευή, ratio, per amplificationem horum officiorum.

Laus Catonis, cui duas uirtutes tribuit: iustitiam, & ueracitatem: ex quibus duplicem fructum perceperit: honoris, & uoluptatis. Sequitur ἐπικατασκευή, rationis confirmatio, in hac amplificatione, ipsa quoq; αὐξητική, per comparationem.

V. Rursum τέμωλος ἄνισος, longioribus membis, in splendore.

Et, si non modo unus, verùm etiam multi Catones essent, in ciuitate nostra.

Σύγκρισις ὑπερβολική.

26. Membrum σχοινοτενές, productum.

In qua, unum extitisse, mirabile est: 13.

Πεποίθησις, et motus lætitiæ.

Quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? 21.

Si.) Τὸ καθ' ὑπόθεσιν σχῆμα. Non modò.) Τὸ ἐξ ἀναφέσεως συμπλεκτικόν. In qua.) Θαύμασις ἰδέα, & laus propè κολακευτική. Quem ego.) Hæc est ἀντεξέτασις. Quæ continet προτίμησιν, καὶ ἄιρεσιν: qua iudicium

Cato-

Catonis omni triumpho ὑπερβολικῶς anteponit. Vnum) ſcilicet te. Εμφασις. Conferrem.) Interrogando informat comparationem.

VI. *Sequitur τετράκωλος ἄνισος, duabus propoſitionibus, & duabus conuerſionibus.*

Nam ad meum ſenſum, & ad illud ſincerũ, ac ſubtile iudicium:21. *Προσθήκη, appendicula, per aliam comparationem.*

Nihil poteſt eſſe laudabilius:11.

Quàm ea tua oratio:9.

Quæ eſt ad me perſcripta, à meis neceſſarijs:15.

Et ad illud.) Eſt & hoc cum Catonis laude coniunctum. Nihil.) Comparatio negando, infinitè: ſuperior fuit certæ rei, & finita, nam triumpho laudationem antepoſuit: hic oratione Catonis nihil (hoc ἄνειδες, & informe eſt) laudabilius eſſe, ſcribit.

II. Pars literarum.

VII. *Redit ad ſimplicem, ἁπλοῦν, ἢ ἀφελῆ circuitum.*

Αποδίωξις, reiectio.

Sed cauſam meæ voluntatis (non enim dicam cupiditatis) expoſui tibi, ſuperioribus literis.

Cauſam habeo meæ cupiditatis, ergo ne diſſuadeas, ſed me adiues: aut ſaltem gaudeas, ſi fuero triumphũ conſecutus.

Oſtendit ſe cauſam ſuæ cupiditatis, & ambitionis ſuperioribus literis, Ep.4. l.15. famil. expoſuiſſe: cauſam tamen nunc exponit: decretum triumphum non aſpernandum. Voluntatis.) Leniore utitur uerbo. Non enim) προσεπίπληξις.

VIII. *Huic κατὰ πρόσαψιν, adiungit τετράκωλον, ἄνισον μακρόκωλον, ſplendoris.*

Hactenus propositio, sequitur ratio, κατὰ πρόληψιν.

Quæ etiamsi parúm iusta tibi visa est:14.
Hanc tamen habet rationem:9.
Vt (Al. Non ut nimis concupiscendus honos) non nimis concupiscendus honos:11.
Sed tamen, si deferatur à Senatu, minimè aspernandus esse videatur.25.

Quæ etsi.) Συνδρομή. *Parum iusta.)* Μείωσις, *extenuatio. Hanc tamen.)* Ἀντεισαγωγή, *compensatio. Non nimis.)* Νοηματικῶς. *Non nimis honos ille concupiscendus est, sed tamen si à Senatu mihi decernatur, minimè uidetur aspernandus. Si deferatur.)* Τὸ καθ' ὑπόθεσιν. *Sin minus deferatur, non nimium triumphus est concupiscendus.*

Parúm iusta.) Quia Cato supplicationem non decreuit, & hoc in sua epistola usus fuit argumento, sed κρυπτικῶς *occultè.*

Hactenus τὸ συνημμένον, *connexum Nunc* τῆς προσλήψεως *approbatio* τῆς ἐκβάσεως. *Sed deferetur.*

IX. Μονόκωλος *informata longitudine, quæ hyperbato producitur.*

Spero autem, illum ordinem, pro meis, in Rempublicam, susceptis laboribus me, non indignum honore, usitato præsertim, existimaturum.

Πεποιθότως ταῦτα, καὶ λαμπρῶς, *propter* περιαυτολογίαν.

Quicunq; pro Repub. maximos suscepit labo-

Κρέμαται ἡ διάνοια αὐτῆς μέχρι τοῦ τέλους τῷ ὑπερβάτῳ, οὕτω σχηματισθείσης κοινότερως διείληπται. *Spero autẽ.)* Ἀρχὴ τῆς διανοίας, *inchoata sententia. Pro meis.)* Σχηματισμὸς, *informatio,* τῷ μήκει, *longitudine, ad* λαμπρότητα, *Ea longitudo producitur* ὑπερβάτῳ, *seu* καταπλοκῇ,

πλοκῆ, ἢ ἐπεμβολῆ, declinatione uerborum, ſiue interiectione plurium uerborum, & rerũ, ſcilicet τῶν αἰτίων, cauſarum decernendi triumphum, ut ſunt, M. Tullij ſuſcepti pro Republ. labores: item effectus, dignum uidelicet eſſe illum triumpho, cuius hoc in loco eſt περιπλοκή, ἤγουν περίφρασις, ut ſupra, ſed hic genus ponit, honorem, τιμὴν, et eius addit ποιότητα, κατὰ προτίμησιν, ἢ ἐξαίρεσιν, uſitatum. Supra τὰ σημεῖα poſuit: currum, et lauram. Exiſtimaturum.) Poſt declinationem, ſequitur reditus, ad ἀπαρτισμὸν, perfectionem ſententiæ inchoatæ: quam, in dicendi formis, Hermogenes ὑποστροφὴν, reditum nominat. Hæc cauſa eſt: quamobrem periodus definiatur eſſe ἀπαρτίζουσα τὸ ἐπιχείρημα, καὶ συνάγουσα. Eſt enim ἐνθυμηματική. Spero.) Explicat ſuam uoluntatem, ſiue cupiditatem. Ἐφιέμεθα γὰρ ἀγαθοῦ, οἱονεὶ ἄθλου τῶν καλῶς πραχθέντων: expetimus bonum, tanquam præmium rectè factorum, & meritorum. Triumphus eſt bonum, quia ἀγαθὸν τίμιον. Ergo Triumphum, Imperator Cicero, pro benè adminiſtrata Cilicia, & fortiter defenſa, atque ſeruata contra Parthos, expetit. Eſt autem, ut Ariſtoteles lib. 1. Rhet. cap. 22. definit: σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης Eſt ſignum gloriæ comparatæ, ex multis, magniſq; alicuius in aliquem beneficijs. Eſt igitur honos certum indicium, & ſignificatio opinionis noſtræ, de alterius beneficentia: & ueluti quoddam teſtimonium animi grati, agnoſcentis alterius multa, & magna uel in ſe, uel ſuos propinquos, & amicos, uel ſuos ciues, uel in patriam, & Rempub. uel in ſocios,

res, & ſumma pericula: is dignus exiſtimandus eſt triumpho, honore uſitato. Atqui Cic. ſuſcepit maximos labores, &c.

Τιμὴ, pars felicitatis τῆς εὐδαιμονίας. 1. Ethic. et θεῖον ἀγαθὸν ἡ τιμή. At. l. Ep. 1.

Honos quid?

uel in omne genus hominum, merita. Eius igitur fundamentum, ut dialectici loquuntur, est, res honoranda, τὸ τίμιον ἢ τὸ τιμητὸν πρόσωπον, ut est, ὁ εὐεργετικὸς, qui de alijs benè meritus est: uel qui alijs benefacere posse uidetur: ὁ δυνάμενος εὐεργετεῖν. Et propterea causa est, ἡ εὐεργεσία, beneficium, maximè τῆς σωτηρίας, salutis, uitæ, defensionis, & opitulationis. Huc illa pertinent merita: quæcunq; causæ existunt uitæ, ὅσα αἴτια τοῦ εἶναι, aut diuitiarum, aut cæterorum bonorum alicuius. Terminus honoris est, ut sit indicium, signum, documentũ τῆς δόξης, nostræ opinionis, & iudicij, de alterius præclaris meritis. Dan er kompt daher/wan jemand sein tugend/güte vnd wolthat ainem andern beweiset. Huiusmodi σημεῖα, & partes honoris, sunt, θυσίαι, sacrificia, μνῆμαι, monumenta, uersibus, aut absq; uersibus: γέρα, præmia uirtutis: τεμένη, fana: προεδρίαι, primi consessus, & accubationes, τάφοι, honores sepulchrales, εἰκόνες, statuæ: τροφαὶ δημόσιαι, alimenta publica: quibus Triumphum addimus. Aristoteles his aggregat τὰ βαρβαρικὰ, barbarorum honores, cuiusmodi sunt, apud illos, προσκυνήσεις, ἢ γονυκλισίαι, genuum flexiones, ἐκστάσεις, assurrectiones, & τὰ παρ' ἑκάστοις δῶρα, dona, atq; munera, ut κτήματος δόσις, donatio possessionis, aut pecuniæ, aut rei generis eiusdem, munus & honoris indicium, δῶρον, καὶ τῆς τιμῆς σημεῖον, præsertim δόσις, ὧν μὴ ῥᾳδία ἡ κτῆσις, rerum, quarum non facilis, & uulgaris est possessio, & eorum bonorum, quæ difficulter possunt comparari.

Τὸ θεῖον εὐεργέτημα.

Πρωτοκλισίαι, in Euangelio.

Hactenus de honore locum insignem ex Aristotele, in gratiam studiosorum, adduximus. Iam uide, num Cicero eò respexerit? & honorem definierit, & triumphum. Triumphus, inquit, est honor usitatus, apud Romanos, qui est Senatus existimationis de alicuius, in Remp. susceptis laboribus, indicium, ut currus, & laurea. Sed pergamus. Non enim hic plenos scribimus commentarios: præcipua indicare adolescentibus contenti.

III. Pars est παρακλητική.

X. Iam post breuiores ambitus, sequitur περιοδικὸν πεντάκωλον, circumscriptio quinque membrorum breuißimorum, moderatorum, & quarti longißimi, ad imitationem. propè κακόζηλον, & affectatam Catonianæ compositionis. Modum tamen adhibuit Cicero, in dilatando.

Quod si ita erit: 6.
Tantùm ex te peto: 6.
Quod amicissimè scribis: 8.
Vt, cum, tuo iudicio, quod amplissimum arbitraris, mihi tribueris: 23.
Si id, quod maluero, acciderit, gaudeas. 14.

Conclusio superiorum & propositio insequentiũ. Epistola superiore Catonis: ad quam respondet.

Quod si.) Τὸ καθ' ὑπόθεσιν. Tantùm.) Ἀξίωσις. ut si id acciderit gaudeat. Sed latenter, & occultè, κρυπτικῶς, petit, ut se sua quoq; sententia adiuuet. Si id.) καθ' ὑπόθεσιν, estq; petitionis ἀπαρτισμός.

Sic enim, fecisse te, & sensisse, & scripsisse video: 18.

Αἰτιολογία ἀφηγήσει.

Resq; ipsa declarat, 7.
Tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse iucundum, 21.

Ad Att. l. 7. ep. 1.

Quod ſcribendo affuiſti. 8.

Στοχαστικῶς illa dicit: pertinentq; ad laudationem Catonis: & Ciceronis gratiarum actionem: Hactenus πρόκριμα tripartitum M. Catonis.

Sic te uideo & { *Feciſſe.* / *Senſiſſe.* / *Scripſiſſe.* }

Honorem ſupplicationis.) Decretæ. quanquam tu eam non decreuiſti. Ἀντιδιαστολὴ ſupplicationis, & triumphi, duorum honorum, minoris, & maioris, antecedentis, & conſequentis, cauſæ, & effectus: nam ſupplicatio triumphi eſt prærogatiua: quam triumphus plærunq;, ſed non ſemper ſequitur.

XII. *Περίοδος μονόκωλος,*

Τὸ τῆς αἰτίας, rationis confirmatio.

Hæc enim Senatus conſulta non ignoro, ab amiciſsimis eius, cuius de honore agitur, ſcribi ſolere.

Ἐπίκρισις affirmationem habet. Hæc S.C. ſcribuntur ab amiciſsimis candidatorum. Tu ſcribendo affuiſti. Amiciſsimus igitur mihi es, ἀπὸ τοῦ οἰωθότος.

Epilogus ἀπὸ τοῦ ἀποῤῥήτου.

XIII. *Τρικώλῳ μειούρῳ claudit has literas, & ἰσοσκελεῖ.*

Ego, ut ſpero, te propediem uidebo: 12.

Atq; utinam Republica meliore: 13.

Iam inter Cæſarem, & Pompeium gliſcebat diſcordia.

Quàm timeo: 4. *Ἐπῳδῷ par, minutiſsimo uerſui Lyrico. Vale.*

Tres ſunt hic motus: τῆς δυσελπιστίας, τῆς εὐχῆς, καὶ τοῦ φόβου.

Hanc

Hanc epiſtolam Ciceronis ſtudioſi, quando conferēt, cum Catonis Stoici literis. inter ἰκανοσυνθετον, καὶ σὺνσυνθετον, ἀνοικονόμητον, καὶ σὺνοικονόμητον facile animaduertent, ut inter nigrum, & album luculens diſcrimen.

DE EO LITERARVM GENERE: quod appellatur Ἀναθετικὸν.

CAPVT XXI.

DEliberatiui generis epiſtolis ſubiecta eſt, & quidem proximè, ea forma: quæ à Græcis nominatur ἀναθετική, qua ſuum conſilium amico exponit, & communicat quiſpiam: ſimul petens ab eo melius conſiliū. Definiunt enim illam Græci ad hunc modum: ἀναθετικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι' ἧς τὴν ἑαυτῶν γνώμην ἀνατιθέμεθά τινι τῶν φίλων, συμβουλῆς παρ' αὐτοῦ δεόμενοι. hoc eſt, qua noſtrum conſilium exponimus amico expendendum: & eiuſdem conſilium in eadē cauſa uiciſsim ab eo petimus: quid ſcilicet de noſtro ſentiat: probetne illud an improbet? Nam hæc deliberatio eſt tota προβληματική, & συλλογιστικὴ ἐφ' ἑκάτερα, quæſtione enim conſtituta, colligit argumenta in utramq; partem: relinquens conſilium in dubio; certiorem ſententiā exquirens, atq; efflagitans. Statum habet eundem, negotialem uidelicet, περὶ τοῦ πρακτοῦ. Itaq; tres partes ſunt principales huius generis; una, ἀνάθεσις, expoſitio noſtri conſilij, de cauſa adhuc dubia & perplexa; altera

est δέησις, petitio, & quasi efflagitatio consilij melioris: quod ab altero petimus. Tertia pars est ὑπόσχεσις pollicitatio, nam promittimus plerunq; nos illius cõsilio obtemperaturos esse. Græci tale subijciunt exemplum: Δέδοκταί μοι τόδε τὸ πρᾶγμα διαπράξασθαι. διὸ καὶ τὴν ἐμαυτοῦ βουλὴν ἀνατίθημί σοι; ὅθεν καὶ τὸ συμφορόν σκοπήσας, ἐπίστειλον τὸ πρακτέον. Ποθῶ γὰρ ἀεὶ παρὰ τῶν ἐμφρόνων δέχεσθαι γνώμας. αἱ γὰρ ἄρισται τῶν φίλων συμβουλίαι, καλλίστας ἔχουσι τὰς εὐεργεσίας.

Exempla.

DISPOSITIO HVIVS SCHOlastici argumenti.

Pars prima huius Epistolij continet ἀνάθεσιν τῆς τοῦ γράψαντος γνώμης, expositionem breuiusculam consilij scribentis, constitui, inquit, hoc negocium suscipere: &, si poßim, conficere. Quæ causa est, ut meam de illa re tibi sententiam breuiter exponam, & consilium meum paucis explicem: & cum tuo quasi coniungam. post illam ἀνάθεσιν sequitur pars altera, δέησις, qua postulat melius consilium: ut, si quid ipse consilij cœperit melioris, & utilioris, illud ad se perscribat; quò statuere poßit: quid sibi, in hoc negocio, agendũ esse uideatur; subijcit huic petitioni rationes ualde modestas, quæ duas continent pulcherrimas sententias generales, prima est νόημα, sententia generalis, astricta ad suam personam. Cupit enim ex prudentioribus, & usu rerum multarum peritis consilium audire. Altera est, quòd amicorum consilia sint optima: & quod eorundem consilia inter maxima

ma beneficia ſint numeranda. Exemplum huius generis extat quaſi perfectum, M. T. C. ad Atticum perſcriptæ Epiſtolæ: quæ extat lib. 8.

De mixta epiſtola.

Sed, quoniam mixta eſt, & diuerſis conſtans generibus: operæprecium eſſe uidetur; ut, in hoc loco, quaſi in tranſcurſu, ſequuti Græcos Rhetores, explicemus, quid ſit μικτὴ ἐπιστολή; quam alij etiam Græci σύνθετον, & ποικίλην, uariam nominant. Ad hunc igitur modum, definiunt Græci μικτὴν ἐπιστολήν. Μικτή ἐστιν, ἡ ἐκ διαφόρων συνεστῶσα. Nam hæc forma non eſt uniuſmodi, aut unius argumenti, ſed contemperata ex diuerſis generibus Epiſtolarum, & ueluti mixta. Græci huius uarietatis, ſeu diuerſitatis argumenti multiplicis exemplum proponunt. οἶδα μὲν ὡς εὐσεβῶς ζῇς, καὶ σεμνῶς πολιτεύῃ. καί τοι τῆς ἀνεπιλήπτου τε, καὶ ἁγνῆς πολιτείας ἀρετῆς, τὸ περιβόητον αὐτὸ τῆς φιλοσοφίας κοσμεῖς ὄνομα. Καθ᾽ ἓν δὲ τοῦτο μόνον σφάλλῃ, καθὸ τοὺς φίλους κακῶς λέγεις. ὅπερ ἀποθέσθαι χρή. διαβολὴ γὰρ τοῖς φιλοσόφοις οὐχ ἁρμόζει. ἐρρωμένος γὰρ καὶ πολυχρόνιος διαφυλαχθείης, παντὸς ἀπσυντάυς ἐκλυτούμενος, καὶ τῶν καταθυμιῶν ἀπολαύων.

Exemplum hoc eſt mixtum, ex diuerſis generibus epiſtolarum: prætereа etiam eſt uariũ, & multiplex. Etenim pars una eſt ἐπαινετική, collaudationis. Nam initiò ſtatim commendat eius uitam probatam, coniunctam cum pietate: quæ præclara, uel potius ſumma uirtus eſt, uidelicet, εὐσεβῶς ζῆν. Sed addit etiam alteram lauda-

laudationem eximiam: quod inquit, eum σεμνῶς πολιτεύεσθαι: in republ. administranda magna cum grauitate, atq; dignitate uersari; integreq;, & castè uiuere. Altera pars sequitur ἐπιτιμητική, uel μεμπτική, uel ἐλεγκτική. Nam etsi probauit hactenus illius præclaras uirtutes: tamen nemo sine uitio nascitur; nemoq; sine aliquo crimine uiuit: ut sine exceptione laudari poßit; sic reprehēdit eum una in re: propter quam culpandus esse uideatur. Sed antequam ad illam reprehensionem descendat: in illa præoccupatione repetit non solum uitam inculpatam, quam ἀνεπίληπτον appellat: uerum etiam al eram partem repetit, quod grauiter, & sanctè, in administratione reipub. uersetur. Hanc enim uirtutem nominat ἀρετὴν πολιτείας ἁγνήν. Tertiam laudem addit, ante reprehensionem: quòd his duabus uirtutibus celeberrimum philosophiæ nomen illustret, atq; celebret. Post istam laudationem sequitur μέμψις, uel κατηγορία, reprehensio, & quædam accusatio. Veruntamen, inquit, una in re uideris delinquere: quòd in amicos dicendo amarulentus es; coru .iq; existimationem libēter imminuis. Nam obtrectationem in eo uituperat: & præsertim istam amarulentiam in reprehendendis eorum uitijs. Tertia Epistolæ pars, est ἀποτρεπτική: propterea quòd dehortatur eũ ab isto peccato. Cuius propositio est: quod sanè uitium abs te, omninò mihi uidetur deponendum; ὅπερ ἀποθέσθαι χρή. propositionem hanc sequitur ratio θετική, καὶ γνωμολογική. Ac argumentatur ualdè ἠθικῶς. Nam calumniæ nullus debet esse inter studiosos sapientiæ, & bo-

narum

narum artium, locus: & nihil minus conuēnit, quàm ut literati se mutuis proscindant conuicijs, calumnijs, atq; contumelijs. Postrema pars habet εὐχὴν, uotū, & ὑπόσχεσιν pollicitationem. Nam si colet amicitias constanter bonorum uirorum: plurima ad ipsum redundabunt commoda: eaq; tacitè precatur amico: scilicet, ut fiat ἐρρωμένος, & quàm diutißimè ualeat: item πολυχρόνιος, ut quàm diutißimè uiuat saluus, atq; incolumis, præsertim si illis uitiosis moribus relictis, quos detestatur: humanioribus se tradat, ut literis, sic etiam officijs. Græcū istud exemplum, ut non est nostri instituti, sic etiam plurium est partium: quàm illud Ciceronianum: quod est longè, ut diximus, pulcherrimum, & perfectißimum.

M. T. C. ATTICO, S. Ad Attic. lib. 8. Epist. 3.

Περιοχὴ, argumentum.

Hanc epistolam scripsit Cicero, belli ciuilis tempore. Petit autem à T. Pomponio consilium, sed prius suam sententiam explicat. Quæstionem habet πρακτικὴν, quæ actionis est: Quid agere debeat? num belli alterutram partem sequi? an quietus manere? &, num Pompeium sequi, an C. Iulium Cæsarem? Est igitur constitutio negotialis, quæ προτιμητικὴ nuncupatur: propter προτίμησιν, ἢ αἵρεσιν, optionem. Argumenta in utramq; partem στοχαστικῶς colligit, κατ' ἀντεξέτασιν, facta contentione: quæ utrumq; genus, æqua ueluti lance ponderat.

EXOR-

EXORDIVM.

I. Περίοδος μονόκωλος, *periodus ſimplex.*

Locus Attentionis.

MAximis, & miſerrimis rebus, perturbatus ſum.

Πάθος, *motus eſt timoris: præcurrentib. cauſis,* κατ' ἐπιθέσεις αὐξητικὰς, ὑπερθέσεις. Non *magnis, ſed maximis, inquit, rebus, nec miſeris, ſed miſerrimis: maximis, inquam, & miſerrimis rebus.* Intelligit τὰ φοβερὰ, ἢ τὰ φοβερώτατα πράγματα.

Προαναφώνησις, προκαταλήψει, locus docilitatis, & beneuolentiæ

II. Δίκωλος περίοδος διῃρημένη, *bimembris conuerſio, diſtinctis membris,* κατὰ μερισμὸν.

Coràm tecum, mihi poteſtas deliberandi non eſt: 16.

Sed vti tamen tuo conſilio volui. 14.

Ἔλλειψις *particulæ* προτακτικῆς, *Etſi, perturbatum animum oſtendit: ſed cupidum melioris conſilij.*

Προκατάστασις, & ueſtibulum conſultationis.

III. *Iterum unius membri comprehenſio.*

Deliberatio autem omnis, hæc eſt.

IIII. Σύνθεσις πνευματικὴ, *compoſitio ad ſpiritum uocis apta.*

Κατάστασις, ἢ προέκθεσις, καὶ ὑπόσχεσις, propoſitio, eiusq; pars prima παράκλησις.

Si Pompeius Italia excedat: 11.

Quod eum facturum eſſe ſuſpicor: 11.

Quid mihi agendum putes: 8.

Et, quo facilius conſilium dare poſsis: 14.

Quid in vtramque partem mihi in mentem veniat: 15.

Explicabo breui: 6.

Quatuor moderata, & iuſta membra ſunt, & com-

paria,

parìa, ἰσόκωλα: tertium breue, postremum breuißimum, Secũda pars, ἐπῳδῷ simile, σχῆμα τὸ καθ' ὑπόθεσιν, circumducit orationem: idem facit ἡ συμπλοκή, copulatio, Et. *ἡ ἀνάθεσις.*

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ, *contentio deliberationis ancipitis: à parte Cn. Pompeij.*

V. *Ambitus trium, sed longiorum membrorum.*

Cum merita Pompeij summa, erga salutem meam, familiaritasq́ue, quæ mihi cum eo est:
Tum ipsa Reipublicæ causa me adducit:
Vt mihi vel consilium meum cum illius cõsilio, & fortuna coniungenda esse videatur.

Primum argumentũ, à caussis impellentibus, ἐνθυμηματικῶς.

Συμπλοκή caussarum facta particulis, Cum & Tum.

1. *Merita Pompeij summa, erga salutem Ciceronis.*
2. *Familiaritas, quæ ei cum illo est.*
3. *Reipublicæ causa.*

Illæ priuatæ sunt: hæc publica: & grauior: ideoq́; extremo loco proposita. Vt.) Effectus, & conclusio enthymematis; quæ habet sui consilij ancipitis expositionem. Argumentum ab honesto sumptum est.

VI. *Est & hæc conuersio trimembris.*

Accedit illud, si maneo:
Et illum comitatum optimorum, & clarissimorum virorum desero:
Cadendum est in vnius potestatem.

Alterum argumentum, à turpi, & non tuto.

Ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως, ab euentu, καθ' ὑπόθεσιν, conditione.

Sumpta est hæc consultatio ex illa θέσει: quæ extat in epi-

Lib. 9. ad Att. epist. 3. in epistola quadam ad eundem Atticum: εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι, τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, &c.

VII. Sequitur aliud genus compositionis πνευματικὸν, ἢ εἱρομένον pendulum, & tractum.

Ἐπισυνάψις confirmationis, κατὰ πρόληψιν. Qui, etsi multis rebus significat, se nobis esse amicum:

Et, vt esset, á me est (tute scis) propter suspicionem huius impendentis tempestatis, prouisum:

Ὑπομερισμὸς cõsultationis. Tamen vtrumque considerandum est.

Et quanta ei fides sit habenda:

Et, si maximé exploratum sit:

Eum nobis amicum fore:

Θέσις, facta ex ὑποθέσει, ἐγκατάσκευος. Sit ne viri fortis, & boni ciuis:

Esse in ea vrbe:

In qua, cum summis honoribus, imperijsque vsus sit:

Ἐν τῷ αἰσχρῷ. Res maximas gesserit:

Sacerdotio sit amplissimo præditus;

Non futurus sit sui iuris:

Subeundumque periculum sit:

Cum aliquo forte dedecore:

Si quando Pompeius Rempublicam recuperârit.

Hactenus de Cæsare: nunc de Pompeio.

VIII. Περίοδος δίκωλος.

Transitio. In hac parte, hæc sunt:

Vide nunc, quæ sunt in altera:

Post causas mouentes, sequuntur deterrentes: quarum

rum illæ dicuntur ὀρεκτικαὶ, hæ κωλυτικαὶ, illæ προτρεπτικαὶ, hæ ἀνατρεπτικαί.

IX. Περίοδος μονόκωλος, ſimplex conuerſio.

Nihil actum eſt à Pompeio noſtro ſapienter, nihil fortiter. Αφήγησις ἀποφάσει τοῦ τρόπου, negatione modi.

X. Επισύναψις, adiunctio duorum membrorum.

Adde etiam nihil:

Niſi contra cōſilium, autoritatemq́ue meam.

XI. Περίοδος δίκωλος μακρόκωλος.

Omitto illa vetera: Παράλειψις, et pars καταφατική.

Quòd iſtum in Rempublicam ille aluit, auxit, armavit.

XII. Πνευματικῶς facta oratio membratim. Ασύνδετον κομματικὸν, διάλυτον, ἐπαναφορά.

Ille legibus C. Metelli contra auſpicia ferendis autor.

Ille Galliæ ulterioris adiunctor:

Ille gener:

Ille, in adoptando P. Clodio, augur:

Ille reſtituendi mei, quàm retinendi, ſtudioſior:

Ille provinciæ propagator:

Ille abſentis in omnibus adiutor.

XIII. Τρίκωλος περίοδος.

Idem etiam, tertio conſulatu, poſtquam eſſe defenſor Reipublicæ cepit, contendit.

Vt decem tribuni plebis ferrent.

Vt abſentis ratio haberetur. Adiunctio aliorum factorum.

XIIII. Επισύναψις duorum membrorum, κατὰ συμπλοκήν.

Alia adiunctio.

Quod idem ipse sanxit, lege quadam sua?
Marcoq; Marcello Coss. finienti provincias
Gallias, Calendis Martij restitit.

XII. *Sequitur trium membrorum circuitus, adiunctione tertij coli.*

Redit ad χῆμα τῆς παραλείψεως: & θέσιν facit eius quod est turpißimum.

Sed ut hæc omittam.
Quid fœdius? quid perturbatius hoc ab urbe discessu?
Sive potius turpissima fuga?

Motus iræ, & doloris, αὐξήσει, κατ' ἐρώτυσιν, καὶ πανόρθωσιν.

XIII. *Hæc est duorum membrorum.*

Ratio per comparationem infinitã: in qua est προτίμησις.

Quæ conditio non accipienda fuit potius.
Quàm relinquenda patria?

XIIII. *Membratim deinceps, & incisim* Απάντησις.

Malæ conditiones erant.

Αντίθεσις, συνδρομὴ.

Συγχώρησις.

Fateor.

Ἀντεισαγωγὴ, τοῦ χείρονος.

Sed nunquid hoc peius?

Τὸ κατ' ἐρώτησιν ἐλεγκτικόν.

Altera ἀπαύτησις.

At recuperabit Rempublicam.

Αντίθεσις, ἐρωτήσει.

Επακτικῶς. propositio. Ratio. Con-

Quando?
Aut quid ad eam spem est parati?

XV. *Hæc membratim.*

Non ager Picenus amissus? Non

Non patefactum iter ad urbem?

Non pecunia omnis & publica, & privata adversario tradita?

Τὸ κατ᾽ ἐρώτησιν ἐλεγκτικόν.

XVI. Πρόσαψις περιόδου δικώλου.

Deniq; nulla causa, nullæ vires, nulla sedes.

Quò concurrant, qui Rempub. defensam velint.

XVII. Rursus membratim πνευματικῶς.

Apulia delecta est.

Inanissima pars Italiæ:

Et, ab impetu huius belli remotissimæ.

Fuga, & maritima opportunitas visa quæri, desperatione.

XVII. Rursus ἀπερίοδος σύνθεσις.

Invitè cepi Capuam.

Non quò munus illud defugerem:

Sed sine causa.

Πρόσαψις τῆς αἰτιολογίας. πνευματικῶς, καὶ εἰρομένως.

In qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor:

Bonorum autem erat aliquis:

Sed hebes, ut solet.

Et ut ipse sensissem:

Multitudo, & infimus quisq; propensus in alteram partem:

Multi mutationis rerum cupidi.

firmatio à signis.

Ἐπισφραγίζεται στερητικῇ καθόλου.

Ratio superioris propositionis προκαταληπτική, *contra* ἔνστασιν τὴν πρὸς τὸ καθόλου.

Συγχώρησις, Ἀντεισαγωγὴ ἄρσει, καὶ θέσει.

Μερισμός.

στερητικὴ ἡ καθόλου.

Ὑπομερισμός, μερικὴ κατάφασις.

Τὰ λεχθέντα.

XIX. *Nunc περιοδικῶς: sed ἰσορικῶς.*

Dixi ipse, me nihil suscepturum.
Sine præsidio, & sine pecunia.

Πρόσαψις.

Itaq; habuit nihil omninò negotij.

Altera πρόσαψις.

Quòd ab initio vidi:
Nihil quæri, præter fugam.

Membrum περιοδικόν.

Ἀπορία ἐρωτήσει.

Eam, si nunc sequor, quò nam?

Κόμμα ex membro, κατ' ἔλλειψιν.

Cum illo non.

Nunc περιοδικῶς, ἐπισυνάψει.

Ad quem cum essem profectus:
Cognovi in his locis esse Cæsarem.

Tertij membri ἐπισυνάψις.

Vt tutò Luceriam venire non possem.

Περίοδος μονόκωλος, & argumentum à difficili, & à periculo.

Infero mari nobis, incerto cursu, hyeme maxima, navigandum est.

Membratim, & incisim.

Age iam, cum fratre, an sine?
Cum filio?
An quomodo?

Iterum περιοδικῶς.

In utraq; enim re, summa difficultas est.
Summus animi dolor.

Τὰ πράγματα, ἄρσει. Οἱ λογισμοί, ἐπικρίσει.

Post narrationé, argumentatio συμβουλευτική. Propositio ἀποφατική. Ratio, ἀφηγήσει, præteriti temporis. Confirmatio, temporis futuri. Cur Pompeium sequi non debeat, una ratio. Noua propositio, & deliberatio, & altera causa τοῦ

Et

Et rursus, ἐρωτήσει.

Qui autem impetus illius erit.
In nos absentes, fortunasque nostras?

Ὑποβολὴ μονόκωλος, συγκρίσει ἀορίστῳ.

Acrior, quàm in cæterorum.

Ὑποβολὴ τῆς αἰτιολογίας, περιόδῳ μονοκώλῳ.

Quòd dutabit fortasse, in nobis violandis, aliquid se habere populare.

Alia μονόκωλος, κατὰ πλοκὴν, uerborum declinatione.

Age iam has còmpedes, fasces inquam hos laureatos, hæc ferre ex Italia quàm molestum est?

Τρίκωλος περίοδος διαλογική.

Qui autem locus erit nobis tutus?
Vt iam, placatis utamur fluctibus.
Antequam ad illum venerimus?

Iterum μονόκωλος περίοδος.

Quà autem, aut quò, nihil scimus.

Περίοδος πολύκωλος.

At si restitero (remansero)
Et fuerit in hac parte (apud Cæsarem) nobis locus:
Idem fecero, quod in Cinnæ dominatione, & Marij tyrannide, Philippus.
Quod L. Flaccus.
Quod Q. Mutius.

Ἐπισύναψις.

Quo quo modo res huic quidem cecidit.

Altera ἐπισύναψις πνευματική.

Qui tamen ita dicere solebat.

μὴ παραλίπεσθου. Ratio, ἐκ τοῦ δυσχεροῦς, καὶ λυπηροῦ. Aliud argumentũ à turpi, & quarta ratio. Epist. fam. 26. Rursus aliud à nõ tuto, & à loco, quinta ratio sui consilij. Iterũ aliud à loco. Cur Pom. se qui non debeat. Post argumenta subiungit exempla. ἦθος, imitabor hos clariss. uiros: qui patriæ bellũ inferre noluerunt. Τὸ ἐκβάν. Interfectus.

Τὰ λεχθέντα, ἀφηγήσει, λόγῳ ἀπαρέμφάτῳ.

Se id ferè videre:
Quod factum est.
Sed hoc malle: (*scilicet restare & interfici*)
Quàm armatum ad patriæ mœnia accedere.

Membratim deinceps.

Exemplum dißimile.

Aliter Thrasybulus:
Et fortasse melius.

Ἐπιφέρει.

Sed est certa quædam illa Mutij ratio, atque sententia:

Al. Certè. *Redit ad argumentationem: in patria manendum ferendamq; seruitutem: sed ubi poßit, huius iugum excutiendum.* Pro*positio.*

Est etiam illa Philippi.

Rursum περιοδικῶς

Et, cum sit necesse servire tempori.
Et non amittere tempus:
Cum sit datum.

Adiungitur conuersio simplex.

Sed in hoc ipso, habent tamen ijdem fasces molestiam.

Membratim, & incisim hæc.

Sit enim nobis amicus:
Quod incertum est.
Sed sit.

Ratio, con*ceßione.*

Deferet triumphum:
Non accipere, ne periculosum sit?
An accipere, invidiosum ad bonos?

Ep. 2. l. 6.

Ἀπαίτησις.

Ep. 2. l. 9.

O rem inquis difficilem, & inexplicabilem.

Ibid. Ἀπορία.

Ἀντίθεσις.

Atqui explicanda est.

Αἰτιο-

Αἰτιολογία.

Qui enim fieri poteſt? ſcilicet ſecus.

Ἐπίλογος περιοδικῶς.

Ac ne me exiſtimaris, ad manendum eſſe propenſiorem.

Quòd plura in ea parte verba fecerim.

Poteſt fieri (quod fit in multis quæſtionibus.)

Vt res verboſior hæc fuerit, illa verior.

Ἀξίωσις, *petitio conſilij,* περιόδῳ ἀφελεῖ.

Quamobrem, maxima de re æquo animo deliberanti, ita mihi des conſilium, velim.

Προσθήκη, *appendicula.*

Navis & in Caieta eſt parata nobis, & Brundusij.

ΥΠΟΜΝΗΜΑ.

Maximis.) Exordium eſt παθητικὸν, καὶ ὀδυρτικὸν, κατ' ἀφήγησιν, ἢ ἔνδειξιν*: habet enim querelam, & expoſitionem: quæ breuiter facta eſt, primum propter decorū: nam irati, & perturbati non multis uerbis agunt: deinde ob ipſam tractationē epiſtolæ, quæ fit* κατ' ἀπαρίθμησιν*. Maximis.) Refertur ad res. Miſerrim.) Ad perſonam. Locus eſt attentionis: habet enim* σημασίαν *rerū maximarum, & miſerrimarum Coràm.)* Πρόληψις *per* ἀναίρεσιν, *quæ conſtat* ἄρσει, ἢ ἀποφάσει ἀιτιογογικῇ. *Deliberandi.) ſ. De conſtituenda meæ, in hoc tempore, ratione uitæ. Non eſt.) Nam Atticus erat Romæ: Ci-*

Sententia pertinet ad beneuolentiam, quam ſibi conciliat excitando Atticum ut ipſi adſit.

Recta, & aperta petitio.

cero uerò in Formiano. Sed uti tamen.) Λύσις occupationis, per θέσιν, καὶ πρότασιν, propositionem, quæ significationem suæ uoluntatis habet, κατ᾽ ἀξίωσιν, cum petitione consilij. Deliberatio) Προκατάστασις, præconstitutio ad docilitatem. Si Pompeius) Κατάστασις κατ᾽ ὑπόθεσιν, constitutio rei, & προδιήγησις. Quid in utramq;.) Παρασκευή, ad expositionem consiliorum. Compositio. Maximis.) Σύνθεσις κατὰ κῶλα, compositio membratim facta. Nam homines perturbati non sunt περιβολικοὶ, sed σύντομοι. Semper autem oratores breues orationes, & breuia membra tribuunt, iratis, lugentibus, & deliberantibus. Coràm.) Περίοδος δίκωλος. Desinunt hæc membra in uerba: ut perturbatus sum: &, uolui. Hæ ἀναπαύσεις, etsi sunt ῥηματικαὶ, tamen inter se differunt. De lib.) Colon absolutum, & perfectum. Si Pomp. περίοδος τρίκωλος μείουρος, nam finem habet breuiorem principio. Quid mihi.) Est & hæc trium membrorũ, estq; coniuncta superiori, per ἐπισυνάψιν, quæ fit particulis relatiuis, est autem μακρόκωλος, & priori contraria, τῇ συνθέσει. Protasis illius est μονόκωλος unimembris. Ex initio epistolæ perspicuum est, genus dicendi in ea esse purum, καθαρὸν, & humile ταπεινὸν, non graue, atq; ornatum, ut supra diximus, uerbis ac compositione. Non enim uerborum copiam, sed densitatem sententiarum habet. Multa enim hic sunt argumenta, quæ tamen non ornantur. Cum merita.) Sequitur ἀπόδειξις, suæ deliberationis ancipitis, quæ in utramq; partem continet argumenta, quibus animum suũ

Principium membratim & breuibus periodis factum. Loquitur enim dolenter Cicero. Alia exordia, ut orationũ, plerunq; sunt περιβολικά, ideoq; grauia.

Exemplum epistolæ uerbis astrictæ, atq; contractæ, non autẽ

in hac causa, dubium esse ostendit: ut nesciat certò, quid uelit agere. Tractatur hæc consultatio ἀντιπαραβολῇ, ἢ συγκρίσει, utriusq; partis comparatione: quæ quidem est, ἄνισος, inæqualis. Prima enim pars paucarum, secunda plurium rerum enumerationem habet.

argumẽtis, ac sententijs.

Ἀπόδειξις ἀντιπαραβολικὴ, διὰ ἀφηγήσεως, καὶ ἀπαριθμήσεως.

Omnis autem σύγκρισις uel est
- Aequalis, ἴση.
- Inæqualis, ἄνισος, quæ duobus fit modis;
  - Enumeratione ἀπαριθμήσει: cum uel prior pars prolixior est posteriore, uel contrà.
  - Repetitione, ἐπαναλήψει, alterius partis. Virg. Aeg. 1. Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi, Syluestrem tenui Musam meditaris auena; Nos patriæ fines, et dulcia linquimus arua; Nos patriam fugimus: tu Tityre, lentus in umbra Formosam resonare doces Amaryllida syluas.

Hæc autem comparatio non habet ὄγκον, uerborum elegantiam & ornatum; sed tantum rerum densitatem. Multa enim colligit, & coniungit argumenta; quæ tamen nec exornantur, nec concluduntur. Græci ἀπαρίθμησιν ἀσυμπέραστον uocant: quæ fit ἀφηγήσει, uel ἐκθέσει τῶν μέσων: qua enumerantur quidem media, non autem concluduntur. Ac quoniam finis deliberatiui generis, in quo hæc uersatur epistola, honesta utilitas est; idcirco omnes κατασκευαστικὰς sententias ad honestatem, utilitatem, facultatem, ac necessitatem, dirigit, & accommodat: ἀνασκευαστικὰς uerò refert ad locos contrarios.

Comparatio absoluitur enumerando, non autem asseuerando cõcluditur.

Sunt hîc ἐπιχειρήματα, nõ autem συμπεράσματα.

Loci τῦ πρακτέου.

1. Τὸ καλόν.
2. Τὸ χρήσιμον.
3. ἡ δύναμις, ἢ τὸ { Δυνατόν. / Ῥᾴδιον.
4. Τὸ ἀναγκαῖον.

Κεφάλαια τῦ μὴ πρακτέου.

1. Τὸ αἰσχρόν.
2. Τὸ ἀσύμφορον, ἢ ἀνωφελές.
3. Τὸ ἀδύνατον, ἢ τὸ δυσχερές.
4. Τὸ μὴ ἀναγκαῖον.

Prima pars comparationis cuius κεφάλαιον, & caput est honestas, τὸ καλόν.

Propositio huius loci est: ego impellor, ut sequar partes Pompeij. Ratio: Propter illius summa erga meam salutem merita. Syllogismus est talis. Qui optimè de me est meritus: eius partes sequi debeo. Pompeius de me optimè meritus est. Ergo, Pompeij partes sequi debeo. Argumentum est à causa, ad effectum, uel ab honesto, à genere uirtutis, nempe gratitudine. Quanquam non solum meminit in assumptione, ἐνθυμήματος beneficiorũ Cæsaris, τῶν εὐεργετημάτων: sed etiã familiaritatis suæ cum ipso, τῆς συνηθείας, καὶ τῆς οἰκειώσεως: & patriæ, τῆς πατρίδος: quæ causæ sunt impulsiuæ. Cum merita.) ἐνθυμήματος ἡγούμενον, uel πρότασις, quam Rhetores nominant αἰτιολογίαν, rationem, quæ est αἰτιώδης, tres enim causas complectitur. Reipub) Commune studium erga rempub. pertinet ad honestatem: quemadmodum merita, & familiaritates ad utilitatem referuntur. Me

Assumptio τεκμήριον.

Firmiß. argumenta.

addu-

adducit.) Impellit: ab effectu. Vt mihi.) ἡ ἀκολούθησις, consequens, seu conclusio, in qua ponit duo, consilia, & fortunas. Itaque ἀπόδειξις est paulò amplior, quàm fuit principium. Compositio. Primum periodicum est citum, et uelox, ab Hermogene dicitur καταφορὰ, fit tum, cùm continuantur membra, & oratio currit tanquam torrens: superior compositio habuit ἀναπαύσεις, id est, interspirationes. Cum merita.) Πρότασις trium membrorum, quorum primum est pendulum, ἀναφερόμενον πρὸς τὸ ὅλον, quod refertur ad ipsum totum: & propriè colon nuncupatur. nam membrum totius alicuius pars est, ut manus totius corporis membrum esse dicitur. Est autem istum τῷ ποσῷ, quantitate; habet namque sedecim syllabas, si non facias συναλοιφὴν, inter summa, & erga, &c. Primum, epistolæ colon est αὐτοτελὲς, καὶ ὁλοκληρὲς, plenum non solum numero: sed etiam sententia, quam incipit, & perficit. Familiaritasq;.) Secundum membrum imperfectum, omißione uerbi, & interpositione, τῇ ἐπεμβολῇ. Tum.) Tertium, & reliquorum perfectio, sunt enim uno uerbo (adducit) coniuncta. Grammatici ὑπόζευγμα, Rhetores καταφορὰν uocant. Adducit.) Adducimur rationibus, nam illud uerbum non est temeritatis, & imprudentiæ. Vt mihi.(ἀπόδοσις δίκωλος, similis est propositioni, τῷ ὑποζεύγματι. Hoc periodicum μείουρον est; cui tamen nulla adijcitur ἐπισυναψις, ut duabus periodis superioribus. Accedit illud.) Secundum argumentum, ἠθικὸν, quod declarat suam φιλαγαθίαν, hoc est, studium

Περιοδικὸν συντάκωλον, καταφορικόν.

Membrum in periodo.

Membra pendula, quæ non habent proprium uerbũ, ac initio circũ opposita, faciũt periodum uelocem

Argumentatur à turpi ἀπὸ τοῦ αἰσχροῦ.

dium suum, & amorem erga uiros bonos. Estq; σωρεισμὸς, conglobatio multorum argumentorum, quae superioribus ἀπὸ τοῦ χρησίμου, ἢ καλοῦ, sunt contraria: sumuntur enim ἀπὸ τοῦ ἀνωφελοῦς, καὶ τοῦ αἰσχροῦ, ab inutili, ac turpi. Sunt autem haec enthymemata. Optimi ciues non sunt deserendi. Ergo, partes Pompeij non debeo deserere. Turpe est cadere in unius potestatem. Turpe est, ei credere: cui non est habenda fides. Turpe est, priuari ea urbe, in qua fuisti in magnis honoribus. Turpe est, manere cum Caesare, & Pompeium uictorem existere: ut non liceat postea redire in urbem. Si maneo.) Syllogismus hypotheticus, eiusq; συνημμένον. Optimorum) Propter uirtutem. Clarißimorum) Propter res gestas. Haec sententia pertinet ad honestatem: in qua consideratur etiam χρηστοφιλία. Ciuium.) Vt fuerunt C. Pompeius, Cato, Domitius, Hircius, & alij summi uiri. Cadendum.) Consequens. Vnius.) Scilicet, Caesaris. Potestatem.) Id est, seruitutem, μοναρχίαν, ἢ τυραννίδα. Aßumptio; atqui turpe est cadere in unius potestatem. Conclusio: igitur non debeo deserere Pompeij, aliorumque in republica summorum uirorum comitatum. Compositio est συσσωματική, est autem σύσσωμα membrorum, & periodorum apta continuatio, accommodata ad uocem, & pronunciationem oratoris. Accedit.) Vnum membrum duas sententias connectit. Nam cola non sunt aestimanda sententijs: sed syllabarum numero. Et illum comitatum) Alterum membrum. Hactenus protasis periodi. Cadendũ.) Ἀπόδοσις, & tertium colon. Atq; hoc modo ambitum trimem-

trimembrem fecißet Cicero: nisi sequentem ei κατ' ἐπισυνάψιν particularum (qui etsi) coniunxißet, ut fieret πνεῦμα. Ex spiritus uero productione distinctas poteris facere periodos, & illam ἐπισυνάψιν dissoluere: si ponas pro Qui, pronomen relatiuum, is. Qui etsi.) Προκατάληψις, ubi interserit aliquid, quod pertinet ad priuatam utilitatem. Et si enim apud uirum bonum, honestas maiorem, quàm utilitas locum habet: tamen etiam hanc, quatenus illi non repugnat, commemorat: & ostendit se ea quoq; aliqua ex parte moueri. Vir enim bonus amico uitia sua domestica celare non debet. Id enim est, ut ait Arist. τὸ τῆς φιλίας ποιητικόν. Etsi multis rebus.) Concessio. Et, ut esset.) Scilicet, Cæsar mihi amicus. Est ratio. Tute scis.) Παρένθεσις, à Pompeij testimonio. Propter.) Approbatio à causa. Impendentis tempestatis.) Μεταφορά, pro bello posuit tempestatem. Multò ante.) Nam cum uideret Cæsarem, & Pompeium dißidere: uideretque rem ad arma uenturam Cicero: ita se comparauit: ut neutri uideretur esse inimicus: ut quocunq; res caderet, ipse maneret incolumis. Tamen.) Λύσις, ἢ ἀφαίρεσις, per enumerationem. Fides.) ἄπιστον γὰρ ἡ τυραννὶς, ut inquit Demosth. Etsi maximè.) Alterum membrum, per ἀντιπαράστασιν. Sitne uiri.) Repetit caput honestatis, κεφάλαιον τοῦ καλοῦ; estq; conclusio quædam primæ partis: nempe κατασκευαστικῆς, per θέσιν, id est, propositum, quod & consultatio dicitur: propterea, quod in deliberatione plerunq; solet usurpari. Fortis.) Id est, meum. Vrbe.) Roma à Cæsare occupata. In qua.) Τὰ αἴτια τοῦ προβλή-

Ἐκ περιουσίας, & ab euentu contrario, si maneat et uincat Pōpeius. Θέσις πρακτική, quæ esset maior syllogismi.

προβλήματ☉, per ἀπαρίθμησιν, enumerationem rerum uariarum, & τῶν καθ' ἕκαστα. Summis honoribus.) Fuit enim Prætor, & consul. Imperijsq;.) In Prouincijs. Gesserit.) Nam cum esset in Cilicia. & pugnaret, dictus est imperator. Sacerdotio sit.) Quoniam fuit in Collegio Augurum. Sui iuris.) Liber. Periculum.) Quod in utriusque iracundia positum est; maximè Pompeij, qui discedens dixit, se eodem loco eos habiturum, qui in castris Cæsaris fuissent, & qui remansissent. Si quando.) Ὑπόθεσιν habet hoc ultimum membrum: ubi rursus meminit utilitatis. Quod ad compositionem attinet: differunt hæc ab exordio. Nam supra fuerunt ὑποζεύγματα: hîc uerò singula membra sua habent uerba: illa σύνθεσις fuit περιοδική: hæc autem πνευματική; pertinetq; ad grauitatem, δείνωσιν, & comprehensionem, περιβολήν. Est autem πνεῦμα, ut supra diximus, circumductio, nō solum membrorum; sed etiam periodorum, apta ad uocis moderationem, & respirationem. Vtimur eo genere comprehensionis cum partimur, cum enumeramus: denique in omnibus ijs rebus, quæ habent distributionem totorū, generum, aut formarum. Qui etsi.) Periodus una appendicula, cui prior κατ' ἐπισύναψιν est annexa. Id quod indicat μόριον ἐπισυναπτικόν, Qui. Non enim πνεῦμα est ἄνευ συνάψεως. Et, ut.) Secundum μόριον ἐπισυναπτικόν, & ἐπεμβολή. Tamen.) ἀπόδοσις. Et, si maximè.) Alia periodus pendens à præcedēte, per συνθετικὴν particulam. Sit ne – In qua – si quando. Aliæ ἐπισυνάψεις: quarum altera facta est per enumerationem membrorum,

Compositio.

Diuisio generis, enumeratio formarum

Particulæ ἐπισυναπτικαί.

rum, pertinetq́; ad celeritatem, τὴν γοργότητα. Ergo, in πνεύματι, primum causæ spectandæ sunt: materia, ut sunt distributiones, & enumerationes, & efficiens, ut sunt συνδεσμικαὶ particulæ: Deinde considerari etiam debet genus dicendi, quod est graue, ὀγκῶδες, καὶ σεμνὸν Hactenus prima pars ἠθικὴ, qua suos bonos mores ostendit Cicero: declarat enim suam gratitudinem erga Pompeium.

In hac parte.) Μετάβασις, transitio ad alteram deliberationis, & comparationis, & τῆς ἀντιπαραβολῆς, partem, nempe ἀνασκευαστικὴν; quæ causas continet: cur non debeat sequi Pompeium: sed potius inclinare in partes Cæsaris: quamuis postea in cõclusione rursus mutat animum: quod ideo facit, ne si forte hæc epistola interciperetur, sibi esse posset fraudi. Est autem prolixior, & firmior hæc pars, quàm prior. Hæc sunt.) Clausula superiorum. Vide nunc.) Propositio insequentium, & προκατάστασις, id est, aditus ad alterã narrationis partem, per ἀξίωσιν, postulationem, ad excitandum Atticum. Nihil actum.) Διήγησις τῶν πραχθέντων: Narratio factorum Pompeij: & primum eorum, quæ tempore belli ciuilis egit, per enumerationem. Sapienter.) Quia auxit potentiam Cæsaris. Sapientia uerò spectatur in cõsilijs suscipiendis. Nihil.) Ἐπαναφορά. Fortiter.) Fortitudo autem cernitur in suscipiendis periculis. Contra consilium.) Ea enim ego suasi Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, & princeps. Eundem in Hispaniã censui, quod si fecisset, ciuile bellũ

Pars μεμπτική.

Hæc altera pars pertinet ad honestatẽ.

Τὰ μέσα, & cum negotio coniuncta.

Τὰ ἡγούμενα, id est antecedentia bellum ciuile.

nullum omnino fuisset. Omitto illa.) Superiora referuntur ad illud tempus, quo gerebatur bellum ciuile: hæc enumeratio, quam tractat παραλείψει, præteritione, est rerum gestarum ante bellum ciuile. Istum.) Cæsarem. In Remp.) Perniciem reipub. Aluit.) Articulus, & incrementum, ad exaggerationem imprudenter factorum. Ille.) Copiosa est enumeratio, qua confirmat præcedentia, & ἐπαναφορά. Legibus.) Cæsaris, quas probauit. C. Metelli.) Alij legunt, ille legibus per uim, & contra auspicia ferendis auctor. Omnia hic membratim absoluuntur: non enim est continuatio periodorum, ut in prima comparationis parte. Itaq; hæc enumeratio distat à superiore, τῇ συνθέσει, compositione: illa enim facta est περιοδικῶς: hæc uero membratim. Galliæ ulter.) Belgicæ. Restituendi.) Scilicet, ab exilio. Prouinciæ.) Galliæ. Propagator.) In quinquennium. Absentis.) Cæsaris. Absentis ratio.) Scilicet, in petendo consulatu. Idem ipse.) Pompeius. M. Marcel.) Is cum S. Sulpitio tum consul fuit. Finienti.) Cum iam finis esset administrãdi prouincias. Restitit.) Lege sua correcta, quæ secus lata fuerat. Sed ut hæc.) Clausula huius enumerationis rerum gestarum à Pompeio, ante bellum ciuile: per præcisionem, ad συντομίαν. Quid.) Alia enumeratio eorũ, quæ principium belli consecuta sunt. Informatur διαλογισμῷ, qui refertur ad eam dicendi formam, quam Hermogenes τραχύτητα, id est, asperitatem nominat. Quod genus tum instituitur: cum altercamur, cum irascimur, cum accusamus. Fitq; interrogando, respondendo, omißione quorun-

Multũ habet historiæ hæc epistola.

Ἰδέα τοῦ λόγου τραχεῖα.

quorundam uerborum: habet autem παραγράμματα, σκώμματα, alluſiones, & obſcura conuicia. Quid.) Ἀγὼν, ἀγανάκτησις, καὶ ἐπιτίμησις, à turpi. Fœdius.) ſ. eſt ἔκλειψις, omiſsio uerbi. Omnis autem illa enumeratio ad primam, unde incepit, refertur: quare nihil ſapienter, nihil fortiter à Pompeio factum ſit, & ante, & in ipſo ciuili diſsidio. Perturbatius.) Quo nihil eſſe conſtat timidius, nihil perturbatius. Epiſt. 12. lib. 7. ad Att. Hoc ab ur.). ſ. Roma, & patria, quam reliquit, uel diripiendam, uel inflammandam: quo nihil eſt abſurdius. Siue potius.) Ἐπανόρθωσις, corrigit enim ſeipſum. Fuga) Cui omnis conditio præſtitiſſet. Hoc autem factum eſt: cum Cæſar tranſijſſet flumen, & occupaſſet Ariminum, Piſaurum, Anconam, & Aretium. Quæ.) Ratio. Accipienda.). ſ. à Cæſare. Male condit. ſ. à Cæſare latæ, ut Pompeius iret in Hiſpaniam, &c. Ep. 11. lib. 16. Famil. Eſt ὑποφορὰ obiectio. introducit enim Atticum quaſi loquentem. Fateor.) Λύσις, per ἀντικατάλλαξιν: eſtq; ὁμολογία, conceſsio. Sed nunquid.) Ἀνθυποφορὰ, opponit id, quod grauius eſt, per ἀντερώτησιν, mutuam ſciſcitationem. Nunquid.) An non. Hoc.) Scilicet, Relinquere patriam. At recup.) Alia διαλογισμοῦ ἀφαίρεσις, contra occupationem ὑποφορᾶ. Recuperabit.) Scilicet ipſe Pompeius. Rempub.) Vrbem, ac patriam. Quando.) Ἀνθυποφορὰ, per ἐρώτημα, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ, καὶ τοῦ χρόνου, quaſi dicat non, uel nunquam recuperabit. Aut quid.) Secunda ratio, à circumſtantia τῆς δυνάμεως, à facultate, ad quam inſtrumenta, & auxilia pertinent. Nõ

Detrahit Pompeio prudentiam, & fortitudinem.

ager.) Approbatio à signis antecedentibus. Picenus.) Nam Cæsar progressus Auximum, omnem illum agrum percurrit. Cæs. lib. 1. bel. ciuil. Non patefactum.) Secundum enumerationis membrum: Non pecunia omnis. Tertium. Aduersario.) Cæsari. Deniq;.) Quartum, quod est quatuor partium. Ergo trium harum enumerationum: prima fit διὰ τοῦ πνεύματος, altera διὰ τῶν κώλων, tertia διὰ τοῦ διαλογισμοῦ. Apulia.) Occupatiuncula εἰρωνική, ad extenuationem. Inanißima.) Destituitur enim re frumentaria, & rebus ad apparatum necessarijs. Inuite,) Iam Cicero de se loquitur: ostendit autē se inuitum esse Capuæ. Estq; occupatio. Cœpi.) Accepi, elegi, uel sumpsi. Data est enim Capua Ciceroni administranda. Epist, 10. lib. 16. Famil. & epist. 16. lib. 8. Att. &c. Non quo.) Αἰτιολογία κατ' ἀναίρεσιν, ἢ ἄρσιν, hoc est, causæ falsæ sublationem, & positionem uerarū. Sed.) Θέσις per μερισμόν. Ordinum.) Scilicet, Meliorum senatorij, & equestris, κατ' ἐξοχήν. Priuatorum.) Plebeiorum, & uulgi. Bonorum.) Exceptio, per concessionem. Sed.) Correctio, cum extenuatione. Hebes.) Scilicet, dolor, ita remissus, ut alios non excitet, aut angat. Vt solet.) Ratio. Et, ut ipse.) Amplificatio, à suo testimonio. Multitudo.) οἱ πολλοί. In alteram partem.) Scilicet, Cæsaris. Dixi.) Scilicet, illis ordinibus, qui sunt Capuæ. Suscepturum) Contra Cæsarem, cum destituar duabus præcipuis rebus ad bellum necessarijs, militibus, & pecunia. Itaq;.) Clausula. Quod ab.) Ratio. Quæri.) Scilicet, à Pompeianis. Eam si nunc) Τὸ ἀδύνατον, ostendit

Enumeratio malorū, quæ cōsecuta sunt principiū belli ciuilis.

Narratio antecedentium.

Τὰ μέσα, media.

Consequentia.

dit enim ſe non poſſe fugam, & Pompeium ſequi, ex circumſtantijs. Propoſitio, καθ' ὑπόθεσιν. Quo nam?) Conſequens, habet περίστασιν τοῦ τόπου. Supra lib. 2. Epiſt. 27. Cum illo.) Altera circumſtantia perſonæ Pompeij. Non.) Scilicet, iturus ſum, aut ſequar: eſt enim ἔκλειψις uerbi alicuius. Ad quem.) Pompeium. Profectus.) Formijs diſcedens. Oræ enim maritimæ præfuerat à Formijs. epiſt. 11. lib. 16. Fam. Luceriam.) Quæ eſt in Apulia. Tuto.) ἀπὸ τοῦ ἐπικινδύνου. Veinre.) Ad Pompeiū, ut ipſe mihi ſuaſerat, quod nuſquam tutius eſſe poſſem. Epiſt. 1. lib. 8. Att. Cæſar igitur obſtat, quò minus poſſim uenire ad Pompeium. Infero.) ἀπὸ τοῦ δυσχεροῦς, à difficili, à loco, modo, & tempore. Hactenus habuimus præterita, inſequentia, & præſentia, ſcilicet, de Capua: ſequuntur futura, quid deinceps debeat facere. Nauigandum.) Τὸ πραχθησόμενον. Age iam.) ἀπὸ τοῦ τρόπου, à modo, quomodo proficiſci debeat. In utraq; enim.) αἰτιολογία. Qui autem.) Τὰ φοβερὰ ſequuntur. Adferunt autem illa mala nobis metum, à quibus nos non poſſumus liberare. Eſtq; διαλογισμὸς, & interrogatio. Acrior.) ἀπόκρισις, per comparationem. Cæterorum.) Scilicet, Fortunas. Quod.) Ratio. Putabit.) Cæſar. Populare.) δημοτικόν. Age.) Alia cauſa, quare Pompeij fuga non ſequenda eſſe uideatur. Has compedes.) μεταφορικῶς uocat ambitionem ſuam, conſiliorum ſuorum impedimenta. Faſces, inquam.) Ἑρμηνεία. Cæſar enim promiſerat Ciceroni triumphum: in quo præferebantur faſces. Hæc ferre.) Ἐπανάληψις.

Enumeratio περιστατική.

Alia consiliorum suorum tractatio ab exemplis: quæ sunt contraria.

Qui autem locus.) Alia causa, à loco. Illum.) Intellige Cn. Pompeium. At si.) Hactenus posuit argumenta: nunc addit exempla: quare non sequatur Cæsarem. Quia & Philippus, & L. Flaccus, & Mutius olim nō sunt secuti Syllam. Quod si uero Pompeium sequatur: dicit se idem facere, quod olim Thrasybulus cum suis, qui fugerunt triginta tyrannos Qu. Mutius.) Hoc exemplum Scæuolæ Pontificis Max. latius, quàm superiora tractat. Habet enim ἀφήγησιν. Cecidit.) τὸ πάσχειν. Ita dicere.) τὸ λεχθὲν & χρεία. Aliter Thrasyb.) ἀνταπόδοσις τῆς ἀντιπαραβολῆς, & contrarium exemplum, per πρότασιν, ἢ ἔνδειξιν, & ἐπίκρισιν. Sed est.) Occupatiuncula, cum excusatione facti Auguris Scæuolæ, & L. Martij Philippi per ἐπίκρισιν. Et cum sit.) Alia consultatio ἀπὸ τοῦ ἀναγκαίου, ἢ τοῦ καλοῦ, per ἀντικατάλλαξιν. Sit necesse.) ὁμολογία θετικὴ, ἢ γνωμικὴ. Sed in hoc.) ἀφαίρεσις, & propositio. Fasces.) Honores quos expecto. μετωνυμία. Sit enim.) αἰτιολογία ὑποθετικὴ, cum παρομολογίᾳ, concessione. Sed sit.) Correctio. Deferet.) Consequens, & euentus. Non accipere). s. Delatū à Cæsare. Estq; ἀπορία. Ne pericul.) Ratio primi membri, ὅτι κινδυνῶδες, si non acceperit. An accipere.) τὸ δεύτερον λῆμμα καταφατικὸν. Inuidiosum.) Ratio. Quia nihil turpius, quàm à tyranno triumphum accipere. Ad bonos.) Apud bonos. O rem, inquis.) Concludit subiectione, seu occupatione, cuius ὑποφορὰ fit ἐκφωνήσει. Atqui.) ἀφαίρεσις. Explicanda.) Id est, ineundū est consilium. Vnum enim ex his tribus est faciendum, uel

uel ut ſequar Cæſarem : uel Pompeium: uel ut maneam quietus. Qui enim.) Αἰτιολογία. Ac ne.) Alia occupatio, & προκατάλλαξις, θεραπεία, ἢ παραμυθία: qua, quod in alteram partem copioſius diſſeruit, mitigat, atq; mollit. πρότασις. Me exiſtimaris.) ὑποφορά. Quòd.) αἰτία αὐτῆς, obiectionis ratio. Poteſt fieri.) Λύσις, per ἀντικατάλλαξιν. Verboſior.) Id eſt, plurium argumentorum. Conceßio Illa.) Ἀφαίρεσις, & comparatio utriuſq; partis. Verior.) Quia meliora habet argumenta. nam ἀποδείξεις, demonſtrationes non æſtimandæ ſunt numero, ac multitudine: ſed ſua ui, ac pondere. Quamobrem) Epilogus, per ἀξίωσιν. Parata) Scilicet, ad ſequendum Pompeium.

Sed ecce nuntij, ſcribenti me hæc ipſa nocte in Calleno: ecce literæ: Cæſarem ad Corfiniū, Domitium Corfinij cum firmo exercitu, & pugnare cupientem. non puto etiam hoc Cn. noſtrum commiſſurum: ut Domitium relinquat. Et ſi Brunduſium Scipionem cum cohortibus duabus præmiſerat, legionem à Fauſto conſcriptā in Siciliam ſibi placere. ac Coſs. duci ſcripſerat, ad Coſs. ſed turpe Domitium erit deſerere: implorantem eius auxilium : & quædam ſpes mihi quidem non magna, ſed in his locis firma : Afranium in Pyreneo cum Trebonio pugnaſſe: pulſum Trebonium: etiā Fabium tuum tranſiſſe cum cohortibus. ſummam autem , Afranium cum magnis copijs

adventare. Id eſt, in Italia fortaſſe manebitur. Ego autem, cum eſſet incertum iter Cæſaris: quod vel ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur: Leptam ad Pompeium miſi literas. Ipſe, ne quò inciderem, reverti Formias. Hæc te ſcire volui: ſcripſiq́ ſedatiore animo: quàm proximè ſcripſeram: nullum meum iudiciũ interponens: ſed exquirens tuum. Vale.

Sed ecce.) Hæc pars epiſtolæ eſt προσθήκη, *appendicula,* ἐπαγγελτική, *nunciatoria. ſcribit enim quid ſibi, cùm per nuncios, tum per literas ſit ſignificatum.* Tractatio eſt itaq; διηγητική, κατ' ἀπαρίθμησιν. *Sed ecce.)* Πρότασις, ἐκ τοῦ παρὰ προσδοκίαν. *Cæſarem ad Corfinium.)* Ἔκθεσις, ἢ ἀνάγνωσις, *explicatio, ſeu recitatio eorum, quæ Ciceroni ſcripta, & nunciata fuerunt.* Non puto.) Ἐπισύνθεσις *ſuæ ſententiæ. Commiſſurum.)* Id eſt, in eo peccaturum. Domitium) *Supra. epiſt.* 30. *lib.* 2 Relinquat.) Tametſi reliquerit. Etſi.) Correctio. *Scipionem.)* Qu. Metellum Pium Scipionem. *Fauſto.)* L. Cornelio Fauſto, qui fuit L. *Syllæ filius.* Conſcriptam.) *Id eſt, eos milites, quos Fauſtus legit. In Siciliam.) Scilicet, cum ea etiam copia, quam Capuæ, & circum Capuam ex delectu compararunt M. Marcellus, &* L. Lentulus *Coſs.* AC Conſul.) *Alij ſic legunt: Legionem à Fauſto conſcriptam, in Siciliam ſibi placere à Conſule duci. Scribit enim Pompeius.* 17. *epiſt. lib.* 8. *Att. Dellio mandaram, quòd maiores copias ſperabam nos habituros: ut ſi uobis uideretur, alteruter ueſtrum*

ad

ad me ueniret: alter in Siciliam, & c. proficisceretur. Ad consules.) M. Marcellum, & L. Lentulum. Scripserat) Eadem epistola. Sed turpe.) ἐπανάληψις, & clausula sententiæ. Et quædam) Redit ad ἀνάγνωσιν, id est, commemorationem eorum, quæ sunt significata Ciceroni, per enumerationem. Spes.) Præclara enim de Afranio fama est. Afranium) L. Afranium, in Hispania, Pompeij legatum. lib. 1. bell. ciuil. Cæsar. Trebonio.) Qui Cæsaris fuit legatus. Fabium.) C. Fabium etiam legatũ Cæsaris. Cæs. de bell. Gallico, lib. 8. Id si est.) Clausula, per ὑπόθεσιν. Manebitur.) Scilicet, à Pompeianis. Ego autem) ἀφήγησις, narratiuncula de se, ἐνθυμηματική. Cum) Ratio. Quod) Approbatio, ἄτεχνος. Leptam.) Τὸ ἑπόμενον, & τὸ πραχθέν. Ipse.) Aliud factum. Ne quo) Interposita huic est causa. Reuerti) Ἀπαρτισμὸς, sententiæ perfectio. Hæc te scire.) Ἐπιλεγόμενον. Proximè.) 2. epist. lib. 8. Att. Nullum.) ἀνακεφαλαίωσις τῆς ἀξιώσεως.

Hactenus exemplum proposuimus ἀναθετικὸν: quod mixtum est ex consultatione & petitione, eamq; ob causam ad genus petendi per literas aliquid, de quo mox, referri posse uidetur. Sed ad consultationem, propter ancipitem deliberationem, illud nos retulimus. Huic adiungi possunt epistolæ: quæ consilia scribentis in contrarias quidem partes exponunt, nihilq; statuunt: sed deliberationem omnem suspendunt, ambigunt, dubitant, hæsitant: ueruntamen nullum ab altero consilium, quod fieri solet in ἀναθέσει, expetunt, sed ijs, ad quos pertinet, ut

cum uelint eligant, permittunt. Huius generis est illa ἐφεκτικὴ καὶ ἀπορηματικὴ quæ sequitur.

TVLLIVS S. D. Terentiæ, & pater suauissimæ filiæ, Cicero matri, & sorori.

Ep.18.lib.4.famil. Lentulo, & Marcello Coss.

I. Continuatæ duæ simplices conuersiones.

Propositio προτρεπτική. Diuisio à loco, & consideratio, σκέψις καὶ βουλή, consilium duplex.

CONsiderandum vobis etiam, atque etiam, animæ meæ, diligenter puto, quid faciatis.

Romæ ne sitis, an mecum in aliquo tuto loco.

II. Altera simplex adiuncta, ex bimembri.

Id non solum consilium meum est, sed etiam vestrum.

Συμπλοκὴ ἐξ ἀναιρέσεως.

Επίκρισις Propositio suorum consiliorum.

III. Alia simplex ἁπλοειδής.

Mihi veniunt in mentem hæc.

IIII. Sequitur trium membrorum continuatio.

Προσαποδόσις, confirmatio prioris partis, de Roma, à tuto.

Romæ vos esse tutò posse, per Dolabellam.
Eamque rem posse nobis adiumento esse.
Si qua vis, aut si quæ rapinæ fieri ceperint.

V. Eiusdem est generis hæc compositio.

Sed rursus illud me movet:

Quòd

Quòd video omnes bonos abesse Roma: Et eos mulieres suas secum habere. *Pars propositionis posterior, ab exemplis.*

VI. *Reditus ad simplicem conuersionem.*

Hæc autem regio, (Campana) in qua ego sum, nostrorum est tum oppidorum, tum etiam prædiorum. *A loco, & à tuto.*

VII. *Πρόσαψις eiusdem generis periodi.*

Vt & multùm esse mecum, & cum abieritis, commodè etiam in nostris præsidijs esse possitis. *Ab utili, & tuto.*

VIII. *Sequitur alia μονόκωλος.*

Mihi planè non constat adhuc, vtrùm sit melius. *Conclusio ἀπορηματική.*

VIII. *Rursus alia.*

Vos videte, quid aliæ faciant isto loco (id est, dignitate, qua vos estis.) fœminæ.

IX. *Πρόσαψις alterius, κατὰ συμπλοκήν.*

Et ne, cum velitis, exire non liceat.

X. *Concludit simili circuitu.*

Id velim diligenter, etiam atque etiam consideretis: *Ἐπανάληψις προτροπῆς.*

II. *Pars προστακτική, mandans.*

XI. *Nouam propositionem tali etiam comprehendit uerborum ambitu.*

Domus, vt propugnacula habeat, Philotimo dicetis.

XII. *Alteram subijcit propositionem προστακτικήν:*

Sic uolo, sic iubeo.

Et velim, tabellarios instituatis certos:

Vt quotidiè aliquas à vobis literas accipiã.

XIII. Tertia non tam προστακτικὴ, quàm παρακλητικὴ.

Iußio, uel magis petitio.

Maximè autem date operam:

Vt valeatis:

κῶλον κομματικὸν.

Si nos vultis valere.

Ἐπισυνάψις.

VIII. Kal. Febr. Formijs.

Considerare hic possunt facile studiosi adolescentes: quod sit inter illam & hanc epistolam discrimen: quantùm pertinet ad utriusque formam. Nam Cicero superiore, explicatis in utramq; partem κατ᾽ ἀντεξέτασιν, suis consilijs, à T. Pomp. Attico melius petijt consilium. At in hac breuiore, suadet: ut eligant ex utroq; consilio: quod sibi utilißimum ipsi iudicauerint: nõ petit: sed permittit, ut dubium esse uideatur; utrum ipse uelit M. Tullius, Cicero filius. Quanquam apparet, eos Terentiam, & Tulliolam, secum esse malle. φιλοστοργίας sunt hic argumenta, τὸ ἦθος, sed παθητικὸν: quod, & ἡ ἐπιγραφὴ, & ἡ προσφώνησις indicant. Ac obseruanda est inscriptio duorum scribentium.

Πρόσωπα τὰ πρόσω.

Tullius S. D. Terentiæ. (uxori.)

Et pater suauißimæ filiæ:

Cicero (Cicero filius) matri, & sorori.

Compellatio quoq; summi amoris, καὶ τῆς στοργῆς significationem habet; dum coniugem, Filiam, matrem,

sororem

sororem blandißimè affantur, ad hunc modum: Considerandum uobis, ANIMAE meæ, diligēter puto, quid faciatis. Et pater filio σύστοργότατος. Non enim, ANIMAE nostræ, sed MEAE inquit, Illud tamen, quod omnibus literis commune inter ipsas est, hoc quoq; ambæ habent commune; quod sunt ex diuersis generibus mixtæ, atq; compositæ. Illa, ex consultatione cum petitione consilij, & nunciatione: hæc ex consultatione cum permißione, & nunciatione. Vt illa constet ex συμβουλῆ παρακλητικῆ, hæc ex ἐπιτρεπτικῆ. Ac de consultandi, deliberandiq; ratione hactenus. Sequitur, ut de alijs modis, qui cum illa maximam neceßitudinem habent dicendū breuiter esse uideatur. Επιτροπή.

DE RATIONE ALIQVID PEtendi per literas.

CAPVT XXII.

ETsi superior forma literarum, quæ est ἀναθετική, pertinet, ut cohortatoria, ad genus deliberatiuū: tamen eodem etiam refertur παρακλητική ἐπιστολή, petitoria, & huius affinis ἀξιωματική, deprecatoria, seu ueniam petens; eamq; ob causam huc refertur παραθετική, uel συστατική, cōmendatitia: & reliquæ formæ de quibus postea dicemus, quib. petimus aliquid ab aliquo. Græci παρακλητικὴν ἐπιστολὴν sic definiunt: ἔστι δὲ, δι᾽ ἧς ἀξιοῦμέν τινα διά τι πρᾶγμα, hoc est, Epistola petens est, qua alterum rogamus, uel ab altero petimus

rem

rem quampiam; eamque ob causam Græci hanc etiam Epistolam nominant ἀξιωτικὴν, petitoriam. Ac proponunt ijdem Græci exemplum breue, sed ualdè artificiosum.

Καὶ πάλαι μὲν ἠξίωσα τὴν σὴν ἰσβὰν διάθεσιν; καὶ νῦν ἀξιῶ, τυχεῖν τούτου τοῦ πράγματος. καὶ σῦ οἶδα, ὅτι τεύξομαι. δίκαιον γάρ ἐστι τοὺς γνησίους φίλους τυγχάνειν τῶν αἰτήσεων; ὅταν αὗται μὴ πονηραὶ πεφύκασι μάλιστα. Ex hoc Scholastico exemplo, constat tres præcipuas

Partes huius generis.

partes esse huius generis; præsertim cum petimus rem non πονηρὰν, sed καλὴν, rem nõ turpem, sed honestam: Ergo prima eius pars, est ἀξίωσις, petitio aperta, & directa, non obliqua aut occulta, quæ fit insinuatione. Pars altera est πεποίθησις, significatio fiduciæ suæ erga eum, à quo petitur aliquid, quod est honestum: & propterea etiam licitum. Pars tertia est ἀπόδειξις, confirmatio; sed breuis, & γνωμολογικὴ: quæ etiam ostendit fiduciam petentis: simul etiam proponit præcipuum κεφάλαιον, atq; caput huius generis Epistolarum, τὸ δίκαιον, iustum. Se-

Tractatio petitionis.

quitur, ut de tractatione petendi aliquid per literas pauca quædam dicamus. Nam hæc pendent quodammodo à superioribus: & præceptiones quasdam habent communes cum deliberatiuo genere, de quo Rhetores copiosè disserunt. Veruntamen hic considerari possent quædam utiliter: quæ à Rhetoribus in sua arte generatim explicantur. Quantum igitur pertinet ad ὑπόθεσιν, argumentum istarum Epistolarum, diligenter obseruari debet ἡ ποικιλία, uarietas, cum aliarum circumstantiarum, tum

uerò

uerò præcipuè personarum, & ipsarum rerum. Etenim personarum aliæ sunt, quæ rogant, & petunt: aliæ uerò quæ rogantur, & à quibus aliquid petitur. Iam uerò in his aliæ sunt pares, aliæ impares. Sunt autem pleriq; à quibus petimus, nobis superiores, uel prudentia, & propterea ætate, uel etiam fortuna, atq; potentia. Qui enim petit, ille alicuius rei, quam petit, indiget. Ergo petens plerunq; est inferior persona: nonnunquam tamen etiã est par, uel ætate, uel etiam fortunæ conditione, & similibus rebus. Sæpe tamen accidit: ut persona superior uel petat, uel postulet aliquid ab inferiore. Quantum attinet ad ipsas res, quas petimus: danda opera est, ut honestæ sint: non solum utiles. Sunt deinde res aliæ, quas uix possumus ab altero petere, sine pudore & uerecundia. Ergo superior materies habet παῤῥησίαν, libertatem: hæc autem contrarium modum habet, scilicet φόβον, metum, καὶ τὴν αἰσχύνην, uerecundiam. Verbi gratia: ut si quis ab altero petat rem parum honestam, aut difficilem, & amico molestam.

DE RATIONE EXORIENDI, IN hoc genere, & ductu tripartito.

RAtio, & modus petendi, ex Ciceronis Epistolis præcipuè animaduertitur: isq́; duplex. Est enim una uia recta, altera obliqua. Græci primam partem nominãt τὴν ἐπ᾽ εὐθείας: alteram πλαγίαν, obliquam. Nam illa habet ὀρθότητα, directam uiam: hæc autem πλαγιασμὸν, tractationem obliquam. Sed utriusque

que huius rationis uſus eſt proprius in Exordio. Etenim utimur recto ductu, ſeu uia directa in cauſa honeſta, & fauorabili, hoc eſt, quæ meretur fauorem, ut eſt ἔνδοξος, καὶ καλή: ubi apertè ſolemus rogare. Altera ratione utimur in cauſa uel difficili, & moleſta: uel non admodũ honeſta. Nam Rhetores etiam præcipiunt, in eiuſmodi cauſis opus eſſe inſinuatione: qua ueluti per cuniculos irrepimus in petitionem alicuius rei: quæ tamen pudorem poſſunt nobis ſuffundere. Ergo in prima ratione, quæ per ſe captat fauorem legentis noſtram Epiſtolam, non opus eſt conciliatione beneuolentiæ. Illa autem obliqua ratio, & uia indirecta omnino requirit beneuolentiæ captationem. Veruntamen Cicero tertiam etiam ſolet nõnunquam uſurpare rationem: quæ à Græcis nominatur εὐτράπελος, καὶ ἀστεία, iocoſa, & urbana. Quemadmodum autem duo ſuperiores modi habent præcipuum locum in principijs petitionum: ſic tertius ille modus iocoſus in reliquis etiam Epiſtolæ partibus poteſt admiſceri, propterea quòd apud amicum in re præſertim facili, & iucunda, non tantum honeſta, iocus aliquis aptè, & conuenienter adhibitus, ſæpenumero plus adfert adiumenti, & ponderis quàm ſeria rogatio. Cæterùm inſinuatio, quin etiam omnis in uniuerſum epiſtola petens, quantum ad perſonas attinet, ſeptem omninò locos habet αὔξησιν, amplificationem, λύσιν, uel πρόληψιν anteoccupationem & refutationem: πεποίθησιν, fiduciæ ſignificationem, ὑπόσχεσιν, pollicitationem, διαβολὴν, criminationem; δέησιν, obteſtationem, & ὑπόσχεσιν, promiſsionem.

Loci petitionis.

mißionem. Atq; hæc capita non solum incidunt in confirmationem, & refutationem, uerùm etiam in postremam Epistolæ partem.

Αυξησις in petendo, est ratio quædam amplificandi; [Αὔξησις.] qua ostendimus grauibus uerbis: quanta nobis incumbat necessitas, durum sanè (ut est in prouerbio) telum. Rhetores [Μετάθεσις τῆς αἰτίας.] Græci nominant μετάθεσιν τῆς αἰτίας, translationem causæ in necessitatem, εἰς ἀνάγκην, estq; huius partis [Ανάγκη.] motus, τὸ πάθος misericordiæ. Habet autem ista ἀνάγκη [Εμβολὴ τοῦ πάθους.] ἐμβολὴν τῆς αἰσχύνης, ex animo quasi eiectionem uerecundiæ, & pudoris honesti: qui egenti est inutilis. Huius etiam loci contrarius motus est τὸ θάρσος, fiducia: quemadmodum postea dicemus. Altera pars fuit ἡ [2. Πρόληψις, ἢ λύσις.] πρόληψις, uel λύσις, antcoccupatio, & refutatio. Ergo in hoc genere, aliquando cogimur fateri: quod sit contrà nostram naturam, atq; ingenium uerecundum, & timidum: tantam rem ab eo petere: de quo nihil antehac unquam fuimus meriti. ἠθικὸν est illud, & habet pulcherrimæ, eximiæq; uirtutis significationem, scilicet pudoris ingenui, & uerecundiæ: quam Cicero omnium uirtutum custodem esse dicit. Sed alia quoq; λύσις & ἀνασκευὴ [Alia λύσις, uel ἀνασκευὴ] prætereunda non est: quæ omninò pertinet ad ἔφοδον, insinuationem. Etenim si quid interdum, ut solet usu uenire, inciderit incommodi: quod obstare nobis possit, id est, animum illius, à quo petimus aliquid, alienare, aut deterrere: id uel diluere nos oportet: quæ ratio à Græcis λύσις appellatur: uel eandem ipsam incommoditatē, quæ nobis obstat, & nobis officit, extenuare debemus

uerbis,

Μείωσις, ἢ ἐλάττωσις. uerbis, & sententijs, horumq; ornamentis. Hanc rationem Græci Μείωσιν & ἐλάττωσιν nominant. Tertia insequitur pars, quæ à Græcis nominatur πεποίθησις, fiduciæ, & spei nostræ erga illum, à quo aliquid rogamus significatio, sed modesta & uerecunda. Quanquam habet illa ratio non obscuram laudationem, siue ἐπίδειξιν eius, ad quem scribimus rogando. Ergo ostendemus interdum, nos optimè sperare, de eo, à quo aliquid petimus: idq; pluribus rationibus moti: quæ rationes, & ἐπιχειρήματα ab utriusq; persona sunt petita. A persona eius scilicet, à quo petimus, cuius dicemus nobis perspectam esse insignem beneficentiam, & liberalitatem. Et hanc possumus comparatione, κατὰ τὴν ἀντιπαραβολὴν, tractare, quòd sua benignitate, & liberalitate soleat opem portare ignotis, & exteris: imò etiam indignis, et ingratis. Deinde etiam laudabimus in ista nostra fiduciæ significatione illius bonitatem, ἀγαθοσιώνην; quæ sanè uirtus prorsus est diuina. Quòd animaduerterimus hactenus eius animum semper fuisse propensißimum, ad omnes omnium hominum, quantum in ipso fuit, ærumnas & cæteras miserias subleuandas. Quæ ratio efficit, ut interdum petentes per literas aliquid, utantur διαμαρτυρίᾳ, testificatione quadam, quæ est omninò ἠθική, & θεραπευτική. Habet enim significationem nõ obscuram, sed apertam nostræ erga illum obseruantiæ. Sed causæ non debent etiam negligi huius obseruantiæ, cuiusmodi inter cæteras præcipuæ sunt illæ: uetus, atque arctißima neceßitudo inter utriusque parentes, præsertim quæ neceßitudo

Marginalia: 3. Πεποίθησις, καὶ εὐελπιστεία. — Ἐπίδειξις.

cessitudo pluribus officijs est inde usq; à pueritia piè &
constanter, non solum culta, uerum etiam confirmata.
Deinde hoc etiam addendum est, quod summam habet
modestiæ significationem, quòd cum etiam hoc nomine
amauerimus, & coluerimus: eamq; ob causam præcipu
am fiduciam semper in illo collocauerimus. Quarta 4. Ὑπόσχεσις.
pars est ὑπόσχεσις, pollicitatio. Etenim pollicebimur nos
ei, ut sumus obstricti, sic deinceps longè fore deuinctissi-
mos. Ostendemus enim nos illud, quod ab eo petimus,
nulli libentius uelle debere: quàm illi ipsi: cui fatemur
nos omnia debere. Quintus locus, seu quinta pars est ἡ 5. Διαβολή.
διαβολή, criminatio. Interdum enim apud Ciceronem,
& cæteros scriptores Epistolarum, non habet infimum
locum ista διαβολή: cum scilicet ostendimus, nobis esse
controuersiam, aut litem, aut aliud quoddam certamen
cum ijs, quos ille ipse, ad quem scribimus, ex animo odit,
& aduersatur. Sexta pars, est ἐπιλογικὴ, quemadmodum 6. Δέησις.
etiam septima, & postrema: Græci hanc nominant δέη-
σιν. Vbicunq; enim erit opus, etiam in reliquo cursu E-
pistolæ, admiscere nos oportet interdum apertam obte-
stationem, non rerum tantum, sed & personarum, qui-
bus intelligimus illum ipsum commoueri posse. Sed illud
maximè facimus in Epilogo, atq; conclusione. Septima, 7. Ἡ δευτέρα
& postrema pars tractationis est in petendi ratione, ἡ ὑπόσχεσις.
δευτέρα ὑπόσχεσις, secunda pollicitatio, sed coniuncta
cum Μειώσει, extenuatione nostræ facultatis, uirium at-
que opum. Et quanquam fatemur hæc in nobis esse exi-
gua: pollicebimur tamen ei, à quo petimus animum gra-

tum, ſeu memorem: quòd non ſolum gratias immortales habituri, ſed etiam acturi, ſimus. Sed iſta ὑπόσχεσις, aliã etiam habet rationem promittendi. Cum nimirum ei recipimus, nos etiam gratiam relaturos: ſi dabitur & occaſio, & facultas: & ὑπερβολικῶς poſſumus addere clauſulam ualdè liberalem, nos cum fœnore non paruo, gratiam eſſe relaturos. Poſtrema appendicula huius pollicitationis eſt: qua omnes noſtras res, animum. ſtudium, auxilium, & facultates prolixè illi deferimus.

EXEMPLA huius generis literarum.

Breuis epiſtola, quæ ductum habet directum, ſeu ἐργασίαν τὴν ἐπ' εὐθείας, eaq́; pura, & eiuſdẽ argumenti.

M. T. CICERO. T. P. ATTICO. S.
Libro 3. Epiſt. 1.

CVm antea maximè noſtra intereſſe arbitrabar: te eſſe nobiſcum: tum uerò, ut legi rogationem: intellexi, ad iter, quod conſtitui, nil mihi optatius cadere poſſe: quàm, ut me quàm primùm conſequare. ut ex Italia profecti eſſemus: ſiue per Epeirum iter eſſet faciundum, tuo, tuorumq; præſidio uteremur: ſiue aliud quid agendum eſſet, certum conſilium, de tua ſententia, capere poſſemus. Quamobrem te oro, des operam: ut me, ſtatim conſequare. Facilius potes: quoniam de prouincia Macedonia perlata lex eſt. pluribus uerbis tecum agerem: niſi pro me, apud te, res ipſa loqueretur. Vale.

Cum antea.) Principium eſt ἐγκατάσκευον, argumentoſum,

tosum, eiusque propositio ratione munita : Velim me quamprimum consequaris. Ratio. Hoc enim maximè nostra interest: nihilq; mihi potest accidere optatius; quàm ut sis nobiscum. Tractatur autem exordium κατὰ πρόσληψιν, assumptione temporis. Cum anteá – Tum uerò ut. Arbitrabar.) Λογισμὸς, consilium. Vt me quamprimum) Κατάστασις, propositio. Vt ex Italia) Κατασκευὴ, confirmatio rationis: cur sua maximè intersit. Vt uidelicet Attici præsidio utatur. Argumentum est ab utili, ἐκ τοῦ χρησίμου. Siue.) Διαίρεσις τῶν πρακτέων. Quamobrem.) Sequitur ipsa παράκλησις, ἢ ἀξίωσις. Facilius potes.) Επικατασκευὴ, subiecta confirmatio altera, ἀπὸ τοῦ ῥᾴονος, à faciliori : eiusque propositio. Quia.) Αιτιολογία τῆς προτάσεως, ratio propositionis. Pluribus) Epilogus, qua hanc abrumpit epistolam, ἐνθυμηματικῶς. Non agam tecum pluribus uerbis. Nam res ipsa apud te pro me loquitur. Hæc epistola nudam habet petitionem, nulla adiecta pollicitatione ; quemadmodum illa, quæ sequitur: sed hæc unam, illa duas res petit.

M. T. CICERO T. P. ATTICO. S.
Lib. 4. Epist. 13.

VEstorius noster me per literas facit certiorem: te Roma ad VIII. Id. Maij. (Al. putari.) putare profectum esse tardius, quàm (Al. Dixeras) dixerat: quòd minus ualuisses. Si iam melius uales: uehemēter gaudeo. Velim domū ad tuos scribas: ut mihi nō

ſecus, ac ſi ipſe adeſſes, cum cæteri, tum Varronis libri pateant: eſt enim mihi utendum quibuſdam rebus ex ijs libris ad eos, quos in manibus habeo, quos ut ſpero, tibi ualde probabo. Velim, ſi quid forte noui habes, maximè à Q. Fratre, deinde à C. Cæſare, & ſi quid de comitijs, de Rep. forte (ſoles enim tu hæc (Al. feſtiuè, id eſt, bellè, & ſcitè, feſtinè odorari) conſcribas ad me: ſi nihil habebis: tamen ſcribas aliquid. nunquam enim mihi tua epiſtola aut intempeſtiua, aut loquax uiſa eſt. Maximè autem rogo: rebus tuis, totoq; itinere, ex ſententia confecto, nos quàm primùm reuiſas. Dionyſium iube ſaluere. Cura, ut ualeas.

Exordium ducitur à narratiuncula, cui ſubijcit gratulationem, ut epiſtola ſit mixta, non omnino, ut ſuperior, pura.

Ἀφήγησις circumſtantijs conſtat.

- Quis? Veſtorius.
- Quid? Facit me certiorem.
- Quomodo? Per literas:
- Qua de re? Te profectum eſſe tardius.
- Vnde? Roma.
- Quando? Ad VIII. Idus Maij.
- Quare? Quòd minus ualuiſſes.

Si iam melius uales.) Ἀφήγησιν ſequitur breuiſſima συγχαιρετία, gratulatio, καθ' ὑπόθεσιν, conditione. Velim.) Hactenus pars prima non huius generis petendi, μὴ οἰκεία, ἀλλοτρία ἤ; deinceps duplicem inſtituit ἀξίωσιν,, petitionem. Vnam, ut ſibi pateant libri Attici: alteram, ut ſi quid noui habeat, illud ad ſe conſcribat. Velim.)

lim.) Prima petitio, de libris. Domum.) Romam. Cum cæteri.) Πρόσληψις, non temporis, ut in superioribus literis, sed τοῦ ἀορίστου, infiniti. Varronis.) Quos Varro scripsit, lib. 1. Acad. Quæstion. Est enim.) Ratio propositionis, ab utili. Eos.) De Repub. epist. 15 libri huius quarti. In manibus habeo.) Conscribo, compono. Velim, si quid.) Altera petitio, & propositio, plurium partium. Si quid noui.) Τὸ ἀόριστον, ἢ τὸ ὅλον. Maximè à Q. Fratre) Τὰ ὡρισμένα. Fratre.) Qui tum Cæsaris erat legatus. Cæsare.) Ex Gallia scilicet. Comitijs.) Vide præcedentem eius libri epistolam. Si nihil habebis.) Altera pars propositionis ὀξύμωρος. Si nihil habebis: aliquid tamen scribas. Nunquam enim.) Ratio huius petitionis.

Epistola intempestiua.

Epistola loquax.

Maximè autem rogo.) Conclusionis loco tertiam subijcit petitionem: ut se quàm primùm reuisat. Itinere confecto.) Lege epistolam sequentem libri eiusdem. Dionysium.) Clausula salutationem, & ualedictionem continet. Habent igitur directam petitionem hæ epistolæ: quæ uerò sequitur, non ἀπευθυσμένην, sed πλαγίαν, obliquam, propter insinuationem.

M. T. C. SALVTEM DICIT L. LVCEIO Q. Filio. Fam. 5. epist. 12.

Al. Luceio.

Artificiosissima, atque ornatissima est hæc Ciceronis epistola, παρακλητική, petitoria, in qua res à se præcla-

rè gestas, per L. Luceium Historicum, conscribi, ac literis mandari, cupit. Statum igitur habet coniecturalem, στοχαστικόν.

COràm me tecum hæc eadem agere sæpè conantem: deterruit pudor quidam penè subrusticus: quæ nunc expromā absens audacius. epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili: neq;, ut ego arbitror, reprehendenda: nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis. Quod, etsi mihi sæpe ostendis te esse facturum: tamen ignoscas velim huic festinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper à me vehementer expectatum: tamen vicit opinionem meam: meq; ita vel cepit, vel incendit: ut cuperem quàm celerrimè res nostras monimentis commendari tuis. Non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit: sed etiam illa cupiditatis: ut vel autoritate testimonij tui, vel iudicio benevolentiæ, vel suavitate ingenij, vivi perfruamur.

Al. àgit.
Al. rumores nostros.
Al. speciem.
Al. illa ipsa.

Quemadmodum duo sunt rerum, quas petimus, genera: unum earum, quas fauorabiliter à quouis petimus, ut consilium. Alterum earum, quæ pudore suffundunt rogantem: ueluti, si quis petat mutuum, aut rem parum honestam. Ita duplex est in petendo exordiendi uia, atq; ratio: recta, in causa fauorabili, ubi apertè suademus præstandum esse, quod petimus, & dicitur προοίμιον:

Varia rerum quas petimus natura.

&

& obliqua πλαγία: hac utimur in re, quæ turpitudinis cuiusdam in se habet suspicionem, & nominatur ἔφοδος, insinuatio, qua irrepimus in petitionem. Cuiusmodi initium huius est epistolæ: factum est enim ab occupatione προλήψει. Coràm.) Exordij, atq; occupationis πρότασις, propositio, sed gemina, & duarum partium, per ἀντίθεσιν, id est, contentionem, seu compositionem contrariorum: pars prior continet τὸ παραλειφθὲν, rẽ omissam, atq; neglectam. Deterruit pudor.) αἰτιολογία τοῦ πρώτου μέρους, redditio causæ efficientis eiusdem membri primi. Cur non eadem sæpius coràm egerit. Rhetores Græci αἴτιον κωλυτικὸν appellant. Quæ nunc.) Posterior pars, τοῦ πραχθησομένου: & infinita, atq; generalis totius epistolæ propositio, ἀόριστος, καὶ γενικὴ τῆς ὅλης ἐπιστολῆς κατάστασις, quæ & ὑπόσχεσις uocatur: nunc ijsdem de rebus absens literis tetum agã. Locus est τῆς εὐμαθείας, καὶ προσοχῆς, docilitatis, & attentionis. Epistola enim.) Αἰτιολογία τοῦ δευτέρου μορίου, ratio membri secundi. Est itaq; occupatio illa, qua suam excusat impudentiam, αἰτιολογικὴ, tractata κατὰ προσαπόδοσιν, qua cuiq; parti continenter, & statim adijcitur causa, atq; ratio. Ardeo) Κατάστασις ὡρισμένη, propositio finita: quæ rem ipsam nominatim complectitur, ac exprimit: est autem facta κατ' ἀφήγησιν, hoc est, narratiuncula breuiuscula. Ardeo cupiditate.) Μεταφορὰ, explicata ad attentionem. Neq;, ut arb.) ἐπεμβολὴ προληπτικὴ, ad occupationem. Reprehend. Quia ex recte factis quæritur. Quod etsi.) Γροκατάληψις,

I. Propositio ἀνώνυμος, καὶ ἀπεριστάτος.

II. Propositio ὠνομασμένη καὶ ἐμπεριστατος. nam continet rem ipsam, τὸ πρᾶγμα.

occupatio, & præmunitio ad insequentem propositionem, per ἀντικατάλλαξιν. Concessio. Tametsi sæpe significasti, in Italici, & ciuilis belli historia mentionem mei te esse facturum. Tamen) ἀφαίρεσις, ἢ λύσις, correctio, atq; remotio, κατὰ συγγνώμην, id est, cum petitione ueniæ, & festinationis suæ deprecatione: eius est hoc loco πρότασις. Genus enim) κατασκευή, ratio etiã προληπτική, καὶ ἀντικαταλλακτική. Tamen ita) Μετάστασις κολακευτική, causam enim illius festinationis transfert in Luceium, non sine assentatiunculc. Itaque beneuolentiam conciliat sibi ab ipsius persona κατ' ἔπαινον.

III. Propositio μερικὴ à tempore.

Cepit uel.) Diuisio, uel enumeratio causarum suæ cupiditatis. Vt cuperem.) Est tertia κατάστασις propositio, περιστατικὴ τοῦ χρόνου; quòd cupiat quàm celerrimè res à se gestas scriptis, monumentisq; Luceij illustrari, & celebrari. Non enim.) ἐπικατασκευή, approbatio superioris rationis, & duarum causarum, ὀρεκτικῶν, impellentium se ad hanc flagitationem, atq; festinationẽ. Estq; προσαπόδοσις, per enumerationem, & ἀναίρεσιν συμπλεκτικήν. Locus est causarum, & effectuum.

	Commemoratio posteritatis.	
Ad spem immortalitatis me rapit	Illa cupiditas, ut uiuus perfruar, id est, fructum capiam, & uoluptatem, ex	Autoritate testimonij tui.
		Iudicio beneuolentiæ tuæ.
		Suauitate tui ingenij.

Non

Non enim me.) τὰ τελικὰ αἴτια, *causæ finales, & argumentum* ἀπὸ τοῦ ἡδέος, *à iucundo. Authoritate.)* ἔπαινος *laus Luceij, &* παραδιαστολή, *distinctio uerborum, proprijs facta attributionibus.*

Ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως.

Neque tamen hęc cum scribebam: eram nescius: quantis oneribus premerere susceptarũ rerum, & iam institutarum: sed quia videbam Italici belli, & ciuilis historiam iam penè à te esse perfectam: dixeras autém mihi te reliquas res ordiri: deesse mihi nolui: quin te admonerem: vt cogitares, coniuncte ne malles cum cęteris rebus nostra contexere: an, vt multi Græci fecerunt: Calisthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum: qui omnes à perpetuis suis historijs ea, quæ dixi bella, separaverunt: tu quoque ita ciuilem coniurationem ab hostilibus, externisq; bellis seiungeres. Equidem ad nostram laudem non multum video interesse: sed ad properationẽ meã quiddam interest: non te expectare: donec ad locum venias: ac statim causam illam totam, & tempus arripere. Et simul si vno in argumẽto, vnaq; in persona mens tua tota versabitur: cerno iam animo, quanto omnia vberiora, atque ornatiora futura sint.

Neq; tamen hæc.) Alia *præmunitio* προθεραπεία ἢ προκατασκευή, *qua se excusat, cur illi tantum oneris imponat. Partes eius sunt* πρότασις, *per* ἀπάρνησιν, *propositio per inficiationem, quæ uim habet concessionis.*

Singulæ propositiones, singulis præmunitæ occupationibus.

IIII. Κατάστασις μερικὴ καὶ περισταῖικὴ τοῦ τόπου.

Quantis on.) ὑποφορά. Sed.) Λύσις, ἢ ἀνθυποφορὰ, refutatio καταφατικὴ, fit enim affirmando, ut illa superior propositio negando. Estq; ἐνθυμηματικὴ. Quia.) τὸ ἡγούμενον, antecedens, uel αἰτιολογία, ratio. Deesse mihi.) Consequens, τὸ ἑπόμενον, ἢ ἀκολούθησις: & propositio quarta τῆς ἀξιώσεως, quæ circumstantiam, modum uidelicet, τὸν τρόπον complectitur. Petit autem ut historiam suarum rerum non cum cæteris bellis, nempe Italico, siue sociali, & ciuili, cuius authores Brtus, & Sylla fuerunt, coniungat: sed ab his separet, atq; seiungat. Coniunctè ne.) Vna pars consilij, ac deliberationis. An.) Altera, per ἀντεξέτασιν τῶν παραδειγμάτων contentionem exemplorum: cuius hic ponitur πρότασις per distributionem. Multi Græci.) Τὸ γενικόν. Calisth) ἔκθεσις & ἀπαρίθμησις, expositio, & enumeratio. Tu quoq;.) ἀνταπόδοσις, redditio comparationis. Equidē.) Ratio propositionis, ἐπιχείρημα à causa finali, per ἀντικατάλλαξιν. Et simul.) Εργασία comprobatio, per φαντασίαν ῥητορικὴν: quæ quidem est παραινετικὴ ad sequentem propositionem: qua postulat, ut ea uehementius ornet.

Tractatio petitionis παραδειγματώδης.

Neq; tamen ignoro, quàm impudenter faciam: qui primum tibi tantum oneris imponam: potest enim mihi denegare occupatio tua: deinde etiam, ut ornes me, postulē. Quid, si illa tibi non tantopere videntur ornanda? SED TAMEN QVI SEMEL verecundiæ fineis transierit: eū bene, & naviter oportet

tet esse impudentẽ. Itaq; te plane etiam, atq; etiã rogo: vt ea ornes vehementius etiã, quàm forˀtasse sentis: & in eo leges historiæ negligas: graˀtiamq; illam, de qua suauissimè quodam in prœmio scripsisti, à qua te affici nõ magis potuisˀse demonstras, quàm Herculem Xenophontiũ illum à voluptate: ea si me tibi vehementius cõmendabit: ne aspernere: amoriq; nostro pluˀsculum etiam, quàm concedit veritas, largiare.

Al. Ipse allici, & flecti.

Al. elargiare.

V.

Neq; tamen.) *Alia præmunitio,* προθεραπεία, *& ocˀcupatio,* προκατάληψις: *qua excusat se primum ut antea, quòd tantum illi onus imponat: deinde, quòd cupiat se, ac res suas ualde ornari. Neq; tamen ignoro, quàm imˀpudenter faciam.)* Πρότασις *per* ἐξομολόγησιν, *confeßioˀnem suæ impudentiæ. Qui primum.)* ὑποφορὰ, *prima obiectio, est enim bipartita. Potest enim.)* Αἰτιολογία, *eˀius ratio. Deinde.)* Δευτέρα ὑποφορὰ, *altera obiectio. Quid si.)* Αἰτιολογία, *ratio,* κατ' ἐρώτημα. *Ac est* προσαπόδοσις: *qua cuiq; membro statim sua subijcitur ratio. Sed tamen.)* Ανθυποφορὰ, *per* ὁμολογίαν, *correctio ocˀcupationis, cum conceßione culpæ,* κατὰ γνώμην. *Itaq; te.)* *Conclusio præmunitionis, &* κατάστασις, *propoˀsitio, per* ἀξίωσιν, *&* ἐπιμονὴν, *commorationem: eandem enim sententiam mutatis uerbis sæpius repetit. Leges.)* *Id est, fundamenta. Prima autem est historiæ lex: ne quid falsi scribere audeat: deinde ne quid ueri non audeat: ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Cic. 2. de Oratore. Nam cætera, quæ exædificationis sunt, diligenter debent seruari.*

Κατάστασις μερικὴ, quæ pertinet etiã ad circũstantiã τοῦ τρόπου.

Ἔφοδος insinuatiuncula ad deprecationem impudentiæ.

Leges historiæ.

Ἀπο-

Ἀποσχηματισμὸς propriæ legis, quam habent historiæ.

- In historico requiruntur.
  - Fides, ἡ πίστις. Cuius partes sunt
    - Ἀλήθεια. Vt uera narret.
    - Παῤῥησία. Vt eadem liberè exponat.
    - Ἀπάθεια. Vt gratiæ, & odij suspicionem uitet.
  - Doctrinæ. Nam exædificatio, ἐξοικοδόμησις, καὶ ἐργασία, posita est in
    - Rebus.
    - Verbis, & elocutione.

- Rerum autem ratio desiderat
  - Ordinem temporum, χρονολογίαν.
  - Regionum descriptionem, χωρογραφίαν.
  - In rebus magnis, & cognitione dignis explicationem, ἀφήγησιν.
    - Consiliorum, τῶν λογισμῶν: in quibus significandū, quid scriptor probet, id est, ostendendum quid laudabile sit, et quid uituperatione dignum, & dicuntur ἐπικρίσεις.

- a Actorum, gestarumq; rerum, τῶν πραχθέντων. in quibus declarandum
  - Quid actum.
  - Quid dictum.
  - Quomodo gestæ sint: τρόπος αὐτῶν τῶν πραχθέντων, καὶ τῶν λεχθέντων.
- Euentuum, τῶν ἐκβάντων; quorum causæ explicandæ sunt omnes, uel
  - Casus, τῆς τύχης, καὶ τοῦ αὐτομάτου.
  - Sapientiæ, atq; prudentiæ, τῆς σοφίας, ἢ φρονήσεως.
  - Temeritatis, τῆς ἀβουλίας.
- Hominum, aut genere, aut uirtute, aut fama excellentium
  - Rerum gestarum, τῶν πράξεων.
  - Quorumcunq;, qui fama, ac nomine excellũt, uitæ, atque naturæ, τοῦ βίου, καὶ ἤθους.

Atq; hæc sunt historiæ præcepta: quæ generatim tradenda sunt: explicationem autem non requirunt. Verborum autem ratio, & genus orationis, fusum, atque tra- Idea.

ctum

ctum εἰρομένον, & cum lenitate quadam æquabili profluens, sine illa iudiciali asperitate τραχύτητι, et sine sententiarum forensium aculeis σφοδρότητι, καὶ δεινότητι, prosequendum est. Sed quomodo Historiam tractare conueniat, Lucianus πάρὶ συγγραφῆς τῆς ἱστορίας, dat præcepta. Sine quo libro nemo rectè, & cum magno fructu, in historicis legendis, uersari potest. Gratiamq; illam.) ἑρμηνεία, interpretatio membri præcedentis. De qua.) Ἐπεμβολή, ad ὑπέρβατον. Ea si.) Ἐπανάληψις, post interiectionem, ad σαφήνειαν, perspicuitatem. Ne aspernere.) Perficit inchoatam sententiam. Est enim ordo: neq; aspernere gratiam illam: de qua in quodam procemio suauißimè scripsisti: à qua demonstras te non magis potuisse affici: quàm Herculem illum Xenophontium à uoluptate. Si ea me commendabit tibi uehementius. Hoc totum pertinet ad laudem, ἔπαινον Luceij, per μίμησιν uerborum illius, in quibus est comparatio. Quòd à ueritate rerum, atque historiæ, eum nulla gratia queat abducere.

Ὑπέρβατον ἐξ ἐπεμβολῆς.

Quod si te adducemus: vt hoc suscipias: erit (vt mihi persuadeo) materies digna facultate, & copia tua. A principio enim coniurationis vsque ad reditum nostrum, videtur mihi modicum quoddam corpus confici posse. In quo & illa poteris vti ciuilium commutationum scientia: vel in explicãdis causis rerum nostrarum: vel in remedijs incommodorum: cum & reprehendes ea, quæ vituperãda duces: & quæ placebunt exponendis rationibus comprobabis:

Al. cõcitationum uel coniurationum sententia.

bis: & si liberius, vt consueuisti, agendum putabis: multorum in nos perfidiam, insidias, pditionem notabis. Multam etiam casus nostri tibi veritatem in scribendo suppeditabũt: plenam cuiusdam voluptatis: quæ vehementer animos hominum in legendo scripto retinere posit: NIHIL EST ENIM APTIVS AD delectationem lectoris: quàm temporũ varietates: fortunæq; vicissitudines. quæ, etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt: in legendo tamen erunt iucundæ. HABET ENIM PRAETERITI Doloris secura recordatio delectationẽ, cæteris verò, nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine vllo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam EPAMINVNDAS non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum: posteaquã ei percõtanti dictum est, clypeum esse saluum: vt etiam in vulneris dolore: æquo animo cum laude moreretur. Cuius studium in legendo non erectum Themistoclis fuga, redituq; retinetur? Etenim ordo ipse Annalium mediocriter nos retinet: quasi enumeratione fastorum: at viri sæpe excellentis ancipites, varijq; casus, habent admirationem, expectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem, Si verò exitu notabili concluduntur: expletur animus iucundissimæ lectionis voluptate.

Al. uarietatẽ.

Al. relegẽdo

Αντιςροφή.

Al. Themistocli, ut Vlyßi pro Vlyßis, uetere declinatione.

Quod

Quod si.) Κατασκευὴ, ἢ ἀπόδειξις, confirmatio, siue probatio, τῶν κατασκευάσεων, καὶ τῶν ἀξιώσεων, propositionum, atq; petitionum, ἀπὸ τοῦ πράγματος, à reipsa, καὶ τοῦ ῥᾳδίου, à facili. Indicat enim Luceio uiam, atq; modum; quo commentarij de suis rebus gestis confici possint. In superioribus demonstrat δυνατὸν, καὶ δίκαιον εἶναι, hoc est, non modo in eius potestate esse id, quod petit: sed etiam iustum esse, honestè facta literis, monumentisq; decorare, atq; commendare. Est igitur σύστασις, ἢ ἔπαινος, commendatio & laus ipsius rei. Et propositio, κεφάλαιον καθ' ὑπόθεσιν. Adducemus.) Persuadebimus; est ἡγούμενον. Erit.) Τὸ ἑπόμενον, consequens. A principio.) Ἐπιχείρημα, ratio propositionis, per enumerationem, τῶν ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους. Est enim quædã περιοχὴ, & breuis complexio, σύλληψις, rerum à se gestarũ, & conscribendarum.

Ab attributis personæ Luceij, id est, ingenio, & scribẽdi facultate

Cõprehensio

Cupit autem commentarios ab eo confici, de

- Catilinæ coniuratione, à se oppressa, & liberata patria.
- Suo exilio, in quod per iniuriam, & inuidiam est coniectus.
- Honorifico suo in patriam reditu, &c.

In quo & illa.) Ἐργασία, rationis approbatio, latiorque tractatio, per πρόσταξιν, ἢ παράγγελμα: præcipit enim Luceio, quomodo singula tractare debeat. Vel in.) Ἀπαρίθμησις. Causis rerum nostrarum.) Quæ sunt τὰ αἴτια

Præscribit ei μέθοδον tractandi.

αἴτια τῶν πραχθέντων. Remedijs incom.) Ἰατρεύμασι τῶν βλαβερῶν, ἢ κακῶν, τοῦτ᾽ ἐστι κινδυνῶν. Reprehendes.) Propter ἐπικρίσεις adiudicationes illud additũ est: quibus, quæ uituperanda ſunt, reprehenduntur, & dicuntur ψεκτικαὶ, & quæ placent, comprobantur, & uocantur ἐπικρίσεις ἐγκωμιαστικαὶ. Exponendis rationibus) Sunt enim illæ adiudicationes, hoc eſt, improbationes, aut comprobationes aliæ ἀναιτιολόγητοι, quas Ariſtot. nominat τὰς ἄνευ ἐπιλόγου, quibus nullæ ſunt adiunctæ cauſæ: aliæ αἰτιολογικαὶ, καὶ τῆς ἀποδείξεως δεόμεναι: quæ uocantur αἱ μετ᾽ ἐπιλόγου: quæ annexas habent rationes: & opus habent probatione: de quibus Cicero hic loquitur. Etſi liberius.) Secundum præceptũ. Multam.) Tertium, eſt λογικὸν, ἢ ἐπιχειρηματῶδες, argumentoſum: habet enim primum πρότασιν, ἀπὸ τοῦ ἡδέος, à iucundo. Nihil eſt enim.) Deinde αἰτιολογίαν, rationem, γνωμικὴν, καὶ ἀντικαταλλακτικὴν, ſententioſam, & tractatam compenſatione. Habet enim) Poſtremo τῆς αἰτίας κατασκευὴν, rationis confirmationem, per προσαπόδοσιν, & diſtributionem. Ac eſt quædam commoratio, ἐπιμονή: eandem enim ſententiam θετικὴν tribus periodis repetit, ac uariat. Quem enim.) Ἐπεξεργασία, ἢ προσομοιόμησις, expolitio, atq; exornatio, παραδειγματώδης, καὶ συγκριτική, facta exemplis, & comparatione. Quem enim.) Primum exemplum tractatur προτάσει, per ἐρώτημα, ἀφηγήσει, καὶ ἐπιφωνήματι. Qui tum) Hactenus propoſitio, ſequitur narratiuncula. Vt etiam.) Clauſula illius exempli per acclamatio-

Facta ſunt duplicia, ποιητικὰ, καὶ φθαρτικά.

Digreßiones, aut amplificationes, & epiphonemata Hiſtoricorũ.

Tractatio duorũ exemplorum.

nem Cuius.) Secundum exemplum Themistoclis breuius illo tractatum: habet enim tantum ἔνδειξιν, id est, significationem, ac indicationem. Etenim.) Altera expositionis pars, comparatio minoris, cum maiore. Ordo ipse annalium.) Verbum hoc ab anno factum esse satis apparet. Atq; hæc initia fuerunt historiæ; cuius copiosior expositio complectitur non modò quandam rerum gestarum, ac temporum seriem: uerum etiam explicationem, ut quo consilio, modo, apparatu, occasione, fortuna, euentu quicq; gestum esset, intelligi posset. Hoc igitur inter annales, & historiam discrimen est; quòd illi tantum, quid quoq; anno gestum sit, referunt: hæc enarrat copiosius, & illam nudam commemorationem oratione sapiente, atq; ornata amplificat, atq; illustrat. Vide Cic. 2. de Orat. Retinet.) Hinc Cicero primo de legibus, Pontificum Maximorum negat quicquam esse iucundius. Enumeratione fastorum.) Fastorum libri appellantur, ut ait Sext. Pompeius, in quibus totius anni fit descriptio. Sunt enim nihil aliud Fasti: quàm distinctio quædam anni, & mensium, & dierum descriptio, festorumq; ac profestorum notatio, & sacrorum publicorũ quasi indicatio. At uiri.) Ανταπόδοσις, redditio contentionis, locus est effectuum. Ancipites, uarijq; casus.) Græci casuum uarietatem τὸ τυχὸν σύμβαμα nominant, Aristot. in Poet. περιπέτειαν, id est, τὴν εἰς τὸ ἐναντίον πραττομένων μεταβολὴν, exitum inopinatum: qui est non solum lætarum, sed etiam tristium rerum, cuiusmodi sunt Comœdiarum, ac Tragœdiarum euentus.

Annales. Historia.

Quib. rebus suauitas in historijs comparetur.

Περιπέτεια, euentus inopinatus.

tus. Omnis enim expectatio eius, qui audit, & admiratio, & improuisi exitus habent aliquam in audiendo uoluptatem. Cic. partit. Admirationem) θαύμασιν. *Expectationem.)* Προσδοκίαν *Lætitiam.)* Τὰ πάθη, *id est, genera perturbationum animi enumerat. Lætitiam)* ἡδονὴν, *quæ est opinio boni præsentis,* δόξα ἀγαθοῦ παρόντος. *Molestiam.)* Λύπην, *ægritudinem, ea est opinio mali præsentis,* δόξα κακοῦ παρόντος. *Spem.)* Ἐλπίδα ἢ ἐπιθυμίαν, *cupiditatem, quæ est opinio boni absentis,* δόξα ἀγαθοῦ ἀπόντος. *Timorem.) Metum* φόβον, *est autem opinio mali absentis, & impendentis,* δόξα τοῦ κακοῦ ἀπόντος. *Si uerò.)* Ἐπιφώνημα. *Exitu notabili.)* Περιπετείᾳ *fortunæ commutatione, insperato incommodo, subita lætitia, iucundo rerum exitu. Hic igitur exitus rerum est uel à bono in malum, ut Tragicus, uel contra à malo in bonum, ut Comicus. Hactenus maior propositio.*

Eadem de suaui narratione ferme ad Heren. & 1. de Inuent. præcipiuntur.

Exitus rerum τῶν ἐκβαύτων.

Qod mihi acciderit optatius: si in hac sententia fueris: ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernes hanc quasi fabulam rerum, euentorumque nostrorum. Habet enim varios actus, multasque actiones, & consiliorum, & temporum. Ac non vereor: ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar: cum hoc demonstrem: me à te potissimum ornari, celebrarique velle. Neque euim tu is es: qui sis nescius:

& qui non eos magis, qui te non admirentur invidos, quàm eos, qui laudent assentatores arbitrere. Neq; autem ego sum ita demens: ut me sempiternæ gloriæ per eum commendari velim: qui non ipse quoq; in me commendando, propriam ingenij gloriam consequatur. Neq; enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi volebat: sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriæ fore putabat. atq; illi artifices corporis simulachra ignotis nota faciebant: quæ vel si nulla sint: nihilo sunt tamen obscuriores clari viri. Nec minus enim est Spartiates ille Agesilaus perhibendus: qui neq; pictam, neq; fictam imaginem suam passus est esse: quam qui in eo genere laborarunt. Vnus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando, facile omneis imagines hominum, statuasq; superavit. Atq; hoc præstantius mihi fuerit: & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta pervenero: quàm si in cæterorum, quòd non ingenium mihi solùm suppeditatum fuerit tuum: sicut Timoleunti à Timæo: aut ab Herodoto Themistocli: sed etiam autoritas clarissimi in rep. maximis, gravissimisq; causis cogniti, atq; in primis probati viri. vt mihi non solum præconium, quod cum in Sigæum venisset Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari ho-

ri hominis, magniq; videatur. Placet enim Hector ille mihi Nævianus: qui non tantum laudari se lætatur: sed addit etiam à laudato viro.

Quod mihi.) Ἐπιφορὰ, *complexio argumentationis.* Acciderit.) ὑπόσχεσις, *significat sibi gratum fore. Si in hac.)* ἀξίωσις ὑποθετική, & ἀνάμνησις, *repetitio argumenti, à facili. Quasi fabulam.)* εἰκών, *imago, qua historiam rerum suarum comparat cum comœdia.* Rerum.) τῶν πράξεων. Euentorumq;.) τῶν ἐκβαίντων. Habet *enim.)* Αἰτιολογία, *ratio, & minor propositio, siue assumptio.* Varios actus.) Alludit ad fabulam, *quæ ex quinq; partibus, quas nominant Actus, plerumq; constat: qui in* πρότασιν, ἐπίτασιν, καὶ καταστροφὴν *sunt distributi. Multasq;.)* Est ἑρμηνεία, *interpretatio, uel* explicatio translationis. Actiones.) Πράξεις, ἢ πράγματα πραχθέντα. Consiliorum.) τῶν λογισμῶν. Temporum) τῶν χρόνων. Ac.) Quartum argumentum, ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως ἢ ἐκβησομένου, *ab euentu.* Dicit enim hanc rem illi *quoq; honorificam fore: est autem* κολακευτικὸν, *coniunctum cum laude ipsius Luceij: quæ cum quadam assentatione, ad quam remouendam & amoliendam Cicero utitur occupatione, est coniuncta.* Non uereor.) Πρότασις, propositio, per *inficiationem. Assentatiuncula.)* ἀντίθεσις, ἢ ὑποφορὰ, obiectio. Cum hoc demonst.) Αἰτιολογία obiectionis. A te.) Scilicet, *præstantissimo artifice,* ἐμφατικώτερον. Neq; *enim.)* Λύσις, ἢ ἀνθυποφορὰ, *responsio ad obiectionem &* ἐπιχείρημα, ratio.

Partes principales fabulæ.

Occupatio

αἰτιολογικὴ, à causa efficiente. cur à Luceio res suas conscribi uelit.

propositionis, à persona Luceij, per quandam ἀντίθεσιν. sunt enim inter se pugnantia—Non admirari, & —laudare. Item—Inuidum esse, & —assentatorem. Et consequentia uel coniuncta sunt—Non admirari—inuidum esse. Item, Laudare, & —esse assentatorem. Neq; autem.) Secunda ratio, à sua persona, & ἀπὸ τοῦ ἀπαινετοῦ, ab ipsa re, quàm utrisq;, & sibi, & Luceio per honorificam fore scribit. Neq; enim Alexand.) Confirmatio, ἐργασία proximæ sententiæ παραδειγματική, ab exemplo Alexandri Magni. Atq; illi artif.) ἐπεξεργασία, expolitio, ac exornatio, per ἀντίθεσιν, ἢ ἀντεξέτασιν, contentionem, qua præfert imaginibus, ac statuis historias. Quæ uel si) ἀνταπόδοσις. Nec minus enim) Αἰτιολογία τοῦ παραδείγματος, ab exemplo Agesilai, per comparationem. Vnus enim) Approbatio illius rationis Atq; hoc præstant.) ἐπιφορά, conclusio, κατὰ παραύξησιν, cum amplificatione, quæ fit comparatione. Quod.) Ratio. Non ingenium.) Ἄρσις per exempla. Sed etiam.) θέσις. Vt mihi) Πόρισμα. Placet enim.) Αἰτιολογία παραδειγματικὴ κατ' ἐπιφώνημα. Tractatur προκρίσει, præiudicatione: & ἀφηγήσει, recitatione τῆς χρείας.

Ἀνάλυσις præcedentis epichirematis.

Προσυλλογισμός, à causa efficiente.

Superior argumentatio rhetorica, hoc syllogismo continetur. Maior propositio integra ratiocinatione approbata Quicunq; sempiternæ gloriæ commendari cupit, is à præstantissimis artificibus ornari, atq; celebrari uelle debet. Hanc transformauit in exempla, & approbauit

bauit ab effectu.Ego cupio sempiternæ gloriæ commendari.Hanc prolixè,ac copiosè tractat.Igitur,à præstantissimo artifice cupio ornari, atq; celebrari. Hactenus maior προσυλλογισμοῦ.sequitur minor. Atqui tu præstantissimus es artifex. Quam πρόταξιν occupatione præmunit,ad assentationis uitandam suspicionem:eamque proponit,ac recitat uerecundè,atq; modestè. Me à te potiss.) Syllogismi conclusio. Neq; enim tuus es.) Pars minoris. Neq; enim Alexander.) Maior syllogismi prætermissa est : sed eius prosyllogismi propositio prima est loco illius collocata exemplis,& effectu. Si in tua scripta uenero.) Conclusionis repetitio. Quod non.) Renouatio minoris propositionis. Placet enim Hector.) Pertinet etiam hoc exemplum ad maiorem prosyllogismi.

Συλλογισμὸς, & subsumptio minoris.

Quod si à te non impetro : hoc est,si qua te res impedierit (necq; enim fas esse arbitror, quicquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere : quod nonnulli sœpe reprehendunt : scribam ipse de me: multorum tamen exemplo , & clarorum virorum. Sed , quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere vitia : & ut verecundius ipsi de se scribant , necesse est : si quid est laudandum: & prætereant , si quid reprehendendum est.Accedit etiam,ut minor sit fides , minor authoritas : multi denicq; reprehendant: & dicant : verecundiores esse præconis

Al.quod. *Al.quod.* *Al.Accidit.*

ludorum gymnicorum: qui cum cæteris coronas imposuerunt victoribus: eorumq́; nomina magna voce pronunciaverunt: cum ipsi antè ludorum missionem corona donentur: alium præconem adhibeant: ne sua esse voce ipsi se victores prædicent. Hæc nos vitare cupimus: & si recipis causam nostram, vitabimus. Idq́; ut facias, rogamus.

Ἑρμηνεία ἐπανορθωτικὴ. Ἐνδοίασις.

Quod si.) Postremum argumentum, συμβουλευτικὸν, καθ' ὑπόθεσιν. Si à te non impetro: fortasse ipse ego de me scribam. Propositio. Hoc est.) Ἐπεξήγησις, ἢ διασάφησις. Neq; enim.) αἰτιολογικὴ παρένθεσις. Cogar.) Perficit propositionem. Nonnulli.) Philosophi. Turpe est enim de se ipso prædicare, falsa præsertim. 1. Offic. Scribam.) Alia ἐπεξήγησις. Multorum tamen.) Ratio sui consilij, παραδειγματική. Nam reges Romanos de reb. suis gestis, aut constitutis scripsisse commentarios constat: nec ignotum est, L. Syllam, Augustum, commentarios rerum suarum gestarum scripsisse. Id factum est, credo, ex Regum imitatione. Sed quod.) Assumptio. Sed ego non scribam de me, per ἀναίρεσιν προσυλλογισμὸς approbatio, ἐκ τοῦ ἀτόπου, ex absurdo, per distributionem, cuius ponitur hic πρότασις γενικὴ. Et ut.) Ἀπαρίθμησις enumeratio incommodorum. Et—Et—Accidit etiam—Multi deniq;—μόρια ἀπαριθμητικά. Hæc nos uit.) Clausula enumerationis. Et si recipis.) Conclusio syllogismi.

Ac ne forte mirere: cur, cum mihi sæpe ostenderis, te accuratissimè nostrorum temporum

rum consilia, atque euentus literis mandaturum: à te id nunc tantopere, & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incēdit: de qua initio scripsi, festinationis: quòd alacres animo sumus: vt, & cæteri viuentibus nobis ex libris tuis nos cognoscāt: & nosmetipsi viui gloriola nostra perfruamur. His de rebus, quid acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi velim. Si enim suscipis causam: conficiam commentarios rerum omnium, sin autem differs me in tempus aliud: coràm tecum loquar. Tu interea non cessabis: & ea quæ habes instituta, perpolies, nosq; diliges. Vale.

Ac ne fortè.) Epilogus generalis epistolæ, per ἀνακεφαλαίωσιν, *repetitionem primæ occupationis. Ac ne.)* Πρότασις. *Cur.)* Ὑποφορά. *Cum mihi.)* Επεμβολὴ *rationis. A te id.)* Απαρτισμὸς, *pfectio obiectionis. Illa nos.)* Λύσις αἰτιολογικὴ, *responsio à causa impulsiua. Vt & cæteri.) A causis finalibus. His de.) Conclusio, per* ἀξίωσιν. *Si enim.)* Αιτιολογία κατὰ δίλημμα. *Tu interea.) Clausula.*

RATIO AD PETITIONEM *respondendi.*

QVanquam eius generis literarum, quo respondemus petenti, magna est uarietas: tamen præcipui modi illius sunt: ὑπόσχεσις, *&* παραγόρευσις, *promißio, & recusatio. Nam aut gratificari cupimus amico roganti: sed in causa honesta: &* Ὑπόσχεσις.

Ἄρνησις, ἢ παραίτησις.

in ea re, quàm præstare, & efficere possumus, quantumuis difficulter. Itaq; pollicemur nos facturos quæ ille rogat. Aut recusamus, negamusq́; officium illi nostrum: uel quòd turpis res sit: uel quòd à nobis fieri non poßit: uel quòd sit illi futura perniciosa: tametsi utilis, honorifica, & facilis illi esse uideatur. Exempla huius generis reperient studiosi in altera doctrinæ huius parte. Sæpe etiam rescribimus aut dissuadentes, aut refutantes amici petitionem: si causa, ut diximus, uel ἄδοξος, turpis est, uel ἀδύνατος, ut fieri non poßit, uel ἄχρηστος, καὶ βλαβερὰ, inutilis. Itaq; ad hos modos, ἀποτροπὴν, dehortationem, & ἀνασκευὴν, refutationem, non rarò accedit αὔξησις, amplificatio: quæ fit præcipuè τῶν ἐκβησομένων βλαβερῶν, consequentium scilicet incommodorum denunciatione, significatione, & enumeratione. Sed nunc de cæteris epistolarum generis deliberatiui formis.

Ἀποτροπή.
Ἀνασκευή.
Αὔξησις.

DE COMMENDATITIA Epistola.

CAPVT XXIII.

QVi commendat alterum alteri: is ac illo ipso, ad quem scribit petit rem honestam, iustam, æquã, & facilem. Hoc genus literarum à Græcis dicitur συστατικὸν, & παραθετικόν. Cicero talem Epistolam nominat commendatitiam: qua ipse plurimũ est usus. Græci ad hunc modum definiunt ἐπιστολὴν συστατικήν. ἐπιστολὴ συστατική ἐστι, δι᾽ ἧς συνίσταμέν τινα

Cõmendatio Græcis est σύστασις καὶ παράθεσις.

παρά

παρά τινι, hoc est, qua commendamus aliquem alicui: uel, ut alij describunt: συστατικὸς τύπος ἐστὶν, ὃν ὑπὲρ ἄλλου πρὸς ἄλλον γράφομεν. Hactenus illi Epistolam esse dicũt, quam pro alio mittimus ad alium; sed addunt eruditè, ἐπαίνῳ συγκαταπλέκοντες ἅμα, καὶ τοὺς πρότερον ἀγνοουμένους ἄγοντες εἰς γνῶσιν. Ergo proprium huius generis Epistolarum est, non solum pro altero scribere ad alium, nostrum uidelicet amicum: sed ita pro alio etiam scribere; ut addamus συγκαταπλοκὴν τοῦ ἐπαίνου, seu, ut attexamus laudẽ illius, pro quo scribimus. Ad hæc duo genera personarum, accedit genus tertium, nimirum scribentis: cuius officium est, συνιστάναι, καὶ ἄγειν τὸν ἀγνοούμενον εἰς γνῶσιν, hoc est, commendare, & laudare, & efficere, ut fiat notus illi, cui hactenus erat ignotus. Est & hoc uocabulum, συστατική, τῶν πρός τι, ex eorum numero, quæ aliò referuntur. Commendatio enim est, personæ commendandæ alteri cõmendatio Itaq; fundamentũ eius est, & τὸ ἀντιστρέφον, persona commendanda. Græci nominant πρόσωπον συνιστάμενον, personam, quæ cõmendatur à nobis alteri per epistolam. Etenim hoc Epistolarum genus est huius rationis nostræ, ac instituti proprium: ac nullum literarũ genus hoc est usitatius. Iam uerò terminus in fine consistit, & usu huius commendandi rationis, uidelicet, ut huiusmodi Epistola sit cõmendatio, id est, laudatio, & rogatio pro altero facta, nõ sine pollicitatione, animi grati, mutuiq; officij. Porrò, ex Ciceronis Epistolis constat, omnia quæ commendantur aut res esse & causas aliquas, atq; negocia, aut personas; quæ propriè

Quid sit παραθετικὴ ἐπιστολὴ, seu cõmendatitia.

Tria hic sunt psonarũ genera: primò, cõmendantis. 2. commendati, & ignoti, 3. eius cui hunc commendamus.

Definitio ἀόριστος, & ἡ πρός τι.

Τὰ συνιστάμενα.

Personarum uarietas. priè dicuntur commendari. Sed magna personarum est uarietas, quas commendamus; magna etiam diuersitas est earum personarum, quibus alios cõmendamus. Denique etiam commendantium personæ nõ sunt eiusdem generis. Ergo primum in Cicerone diligenter notandæ sunt personæ, quas ipse commendat. Etenim uel à sua persona orditur commendationem, uel à persona aliena. Ad suam autem personam referre debemus quæcunque sunt nostræ familiæ: ut, si quis commendat alteri parentes suos aut fratres, aut liberos, aut propinquos. Alienæ personæ aut sunt notæ; cuiusmodi sunt familiares, amici, hospites: aut incognitæ, atq; ignotæ. Iam etiam istud discrimen est considerandum, quod ad ποιότητα, qualitatem personarum præcipuè refertur. Quoscunq; *Pro quib. scribimus.* enim Cicero commendat, ij aut præstant aliqua dignitate, & amplitudine, aut nobilitate, & generis claritate, aut fortunæ splendore: aut alioquin præstant laude uirtutis, aut doctrinæ. Est etiam genus aliud hominũ, quos commendare solemus: ut sunt uel propter fortunæ incõmoda, casusq; aduersos homines miseri, & afflicti. Deinde út sunt studiosi adolescentes, laudati propter ingenium, & diligentiam, uerecundiam, modestiam, taciturnitatem: quorum uirtutibus sæpe res angusta domi, ut ille ait obstat; quò minus poßint emergere. Ex quib. perspicuum est: non eodem modo, sed aliter atq; aliter commendari doctum, & indoctum: bonum uirum, & adolescentem uirtutis, & honestatis studiosum: eum qui est cũ potestate, uirumq; principem, & hominem priuatum: aliter

aliter Theologum, Iurisconsultum, & Medicum, aliter nobilem, & ignobilem. Deniq; diuitem, & pauperem, liberum, & seruum alio modo, sed tamen bono, M. T. Cicero solet commendare. Quemadmodum igitur pro harum personarum uarietate conuenienter, & accommodatè debemus stylum attemperare: sic alterum genus personarum non minus accuratè est considerandum: quod complectitur eos, ad quos commendatitias mittimus literas. Sed huius generis quatuor alia genera animaduertantur: aut enim scribimus ad superiores, aut ad inferiores, aut ad pares. Superiores sunt: ut omnis magistratus, sic etiam omnis princeps; & propterea etiam omnis rex, atq; Imperator. Alij inferiores, uel nobis pares sunt, ad quos scribimus: cuiusmodi sunt priuati, aut plebeij homines, qui nullos publicos gerunt honores, etiamsi sint laudati, & nonnulla præditi autoritate, & uiri boni, boniq; ciues. Iam, quemadmodum ad superiorũ hominum ordines non possumus omnes scribere: sic etiam non de omnibus rebus possumus scribere. Causa uerò scriptionis illius ad istos ordines, est uel summa æquitas, aut etiam summa necessitas. Sed in altero hoc genere Epistolarum, quod amicorum est, qui summa nobis coniuncti sunt necessitudine, possumus pro iure nostro quodammodo, non petere tantum, & rogare, & obsecrare, ac prece supplici petere, ut solemus ad principes facere, sed postulare, quasi nostro iure: & propterea liberè ac παῤῥησιαστικῶς scribere possumus. Ad uiros autem principes opus est uerecundia, & metu ac solicitudine,

Ad quos scribimus.

dine, & omni animi nostri quasi submißione. Ex his etiam manifestum est: eum qui commendat: debere sui diligentißimam habere rationem; & obseruare illud τὸ πρέπον: de quo in officijs Cicero post Ethicos doctores sapienter præcipit. Sæpè enim scribit princeps ad principem: ciuitas, & populus ad principem: præsertim autem eo genere utitur Epistolarum: quod nominatur πρεσβευτικόν. Sunt & alij, etsi non sunt cum potestate, tamen uel nobilitate generis, uel eruditione, uel alijs uirtutibus præstantes, qui scribunt ad superiorum ordinum homines: quarum tamen literarum sæpenumerò, apud illos, ad quos scribunt, magnum habent pondus atq; momentum. Hactenus de personis.

ΠΡΕΣΒΕΥΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Sed quoniam mentionem fecimus eius Epistolæ: quæ à Græcis πρεσβευτική nominatur: paucis hanc etiam obiter perstringemus. Continet enim commendationem plerunq;: sæpe etiam nudam petitionem. Græci igitur hanc Epistolam sic definiunt: πρεσβευτική ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς πρεσβεύομεν περί τινος; qua aliquid petimus per legationem, ab aliquo principe, uel Republica. Huic enim epistolæ grauißimæ alicuius causæ committimus quasi legationem. Exemplum scholasticum, & generale: tanquã legatæ epistolæ est tale: ἀεὶ τῶν δωρεῶν τῆς ἡμετέρας εὐδαιμονίας ἀπολαύομεν; ὅθεν καὶ νῦν ἀγαθοὶ διὰ τῶν δὲ τῶν πρεσβειῶν ἀξιοῦμεν τοῦδε τοῦ πράγματος τυχεῖν, ὃ συνήθως ἠξιοῦμεν (Al. ἠξιοῦτε.) χαρίσασθαι. Καὶ ἐν

τούτῳ,

τούτῳ. τὸ μεγαλόψυχον τῆς ὑμετέρας ἀρετῆς ἐπιδεικνύμενοι. Huius exempli (ut breuiter absoluamus) hæc est sententia. Superioribus annis uestram erga nos, in dandis beneficijs, liberalitatem, atq; beneficentiam re ipsa experti sumus. Itaq;, à uobis, optimi uiri, hoc uel illud petimus: ut impetrare à uobis illud liceat: quod alias soletis ultrò munificè alijs largiri. Qua in re non solum animi uestri magni & uirtutum reliquarum uestrarum præbebitis exemplum illustre: uerum etiam pro ipso officio nobis præstito minimè erimus ingrati. Ergo Rhetores in eiusmodi generalibus, & infinitis exemplis, utūtur partibus ijsdem: quæ sunt principales in petendi ratione, cuiusmodi sunt, ἔπαινος, laus eorum, ad quos mittimus nostros legatos cum literis, & decretis: & ἀξίωσις, ipsa petitio: ut compotes uoti reddamur: uel illud cōsequamur, atque impetremus, quod petimus. Postrema pars est ὑπόσχεσις. promißio: qua ostendimus, illis fore laudabile, & gloriosum, non solum utile, & fructuosum. Sed quoniam in transitu quodammodo, de Epistola, quam legati solent perferre, ad aliquem populum, uel principem uirum, diximus: reuertamur ad nostrum institutum, hoc est, ad commendatitiam Epistolam, quæ petitioni subiacet, ut species suo generi: nisi quod ferè ex demonstratiuo genere, admixtam ἐπίδειξιν, atque laudationem habet. Græci in scholis suis, breuißima, ut diximus, solebant proponere argumenta, & exempla: quæ studiosi postea uel commutatis uerbis, atque sententijs idem significantibus, uel dilatando

Partes legationis munere fungentis epistolæ.

facerent

facerent meliora. Exemplum igitur contractæ commendationis tale proponunt; τὸν τιμιώτατον ἄνδρα, καὶ περισπούδαστον τόνδε δεξάμενος, ξενῶσαι μὴ κατοκνήσῃς, σαυτῷ πρέποντα πράττων, κἀμοὶ κεχαρισμένα: id est: Hic, qui ad te proficiſcitur uir, ut optimus est, omnique propterea honore dignißimus: ita non ſolum est cupidißimus optimarum artium, ſed etiam in primis tui perſtudioſus, & obſeruantißimus: eamq́; ob cauſam, te etiã atq; etiam rogo; ut eum hoſpitio ſuſcipere non graueris. Qua in re, ut facturus es officium tua perſona dignũ: ita nobis rem facies gratißimam. Ex hoc constat exemplo proprias commendationis partes eſſe: ἔπαινον, laudem: ἀξίωσιν, petitionem, ſed παραθετικὴν, ἢ συστατικὴν, commendatitiam: & ὑπόσχεσιν, pollicitationem. Alterum exemplum, est reliquorum Græcorum. ſed argumenti non dißimilis: ueruntamen tractationem pauló habet aliam: nimirum, propter ἐπέκτασιν, dilatationem. Τὸν δεῖνα τὸν παρακομίζοντά σοι τὴν ἐπιστολὴν, καὶ παρ' ἡμῖν κεκριμένον, καὶ δι' ἣν ἔχει πίστιν ἀγαπώμενον, καλῶς ποιήσεις ἀποδοχῆς ἀξιώσας; καὶ δι' ἐμὲ, καὶ δι' αὐτὸν. ἔτι δὲ καὶ διὰ σαυτὸν. οὐ μεταμελήσει γὰρ, ἐν οἷς θέλεις, εἴτε λόγον ἀπόρρητον, πρᾶξιν τε εἰπεῖν; ἀλλὰ καὶ σὺ πρὸς ἑτέρους ἐπαινέσεις αὐτὸν, ἐσθόμενος, ἣν ἐν παντὶ δυνατὸς χρείαν ἐστὶ παρασχέσθαι, hoc est: Qui tibi has reddit literas; is non tantum à me multis ab hinc annis cognitus est, eiusq́; mores probati, uitaq́; perſpecta: uerùm etiam, propter ſingularem eius integritatem, & fidem ſummè à me diligitur. Quamobrem laudabiliter feceris: ſi eum digna-

Cõmendationis partes.

dignatus fueris ſuſcipere hoſpitio. Id quod abs te etiam, atq; etiam peto: cum propter me, tum uerò ſua ipſius cauſa. Neq; uerò te pœnitebit: eum, quibuſcunq; in rebus poßis, adiuuiſſe: Neq; etiam uerearis, illi concredere: quicquid arcanum, & occultum eſſe uelis, aut in dictis, aut in factis. Imò polliceor fore: ut hunc ipſum alijs tuis amicis non uulgari laude, ſed de meliori nota commendaturus ſis: ubi, quantum te iuuare poßit, re ipſa perſpexeris.

A taciturnitate, & fide.

Ex his igitur Græcorum exemplis, facile apparet, quæ præcipuè ſint, & res, et ſententiæ, & earum etiam tractatio: quantum ad partes attinet principales, & eas quæ ſunt accerſitæ. Nam ut proximum ſuperius exemplum habuit tres: σύστασιν, commendationem, uel laudem perſonæ, pro qua ſcribit: ἀξίωσιν, poſtulationem, et ὑπόσχεσιν, promißionem. Sic omnis plena atq; perfecta σύστασις, ἢ παράθεσις, commendatio, ex his præcipuè conficitur membris. Sed illud etiam obſeruandum eſt: harum partium proprias eſſe deliberatiui generis, & ſuaſorij, ἀξιωτικὴν, qua precamur alteri, & ὑποσχετικὴν Nam hæ duæ res propriè pertinent ad συμβουλευτικὴν, & προτρεπτικὴν ὑπόθεσιν. At uerò ad has accerſitur ex genere demonſtratiuo ἡ ἐπίδειξις, perſonæ, quã commendamus, laus, & exornatio. Et quanquam ὑπόσχεσις, & ἀξίωσις ſunt propriæ partes huius petendi generis: tamen niſi ἐπίδειξις, perſonæ collaudatio uel proponatur, uel intertexatur tanquam fundamentum, & ἐπέῤῥωσις, corroboratio, fruſtrà ſuperſtruetur iſta no-

ſtra ἀξίωσις συστατική. Ex Cicerone etiam iſtud apparet: quòd interdum præponat laudationem perſonæ, interdum eam interponat, & identidem repetat, in uaria Epiſtola, & prolixa, & accurata commendatione. Itaq; etiam non rarò in clauſula Epiſtolæ, dum rogat aut promittit nomine commendati, implicat quaſi, κατὰ παρεμπλοκὴν, perſonæ laudationem: ut uideatur eam toties repetendo ueluti inculcare. Græcus ille, quicunq; fuit, hanc ob cauſam eruditè deſcripſit Epiſtolam συστατικὴν: quod eius officium ſit: ut pro altero ad alium anteà incognitum ſcribat: quò in notitiam ueniat illius, ad quē ſcribitur. Eamq; ob rem addit συγκαταπλοκὴν τοῦ ἐπαίνου τοῦ ἀγνοουμένου προσώπου. Etenim iſta συγκαταπλοκὴ à Cicerone accuratè admodum obſeruatur. Atq; hæ partes ſunt (ut diximus) commendationis: ſed his aliæ poſſunt interdum addi: quædam prætermitti. Itaq; fit, ut ὑπόσχεσις, pollicitatio, aliquando præmittatur. Sed inuentionis poſt illam tractationem collocationis, non minor debet haberi ratio. Etenim commendatio eſt rei, uel perſonæ alicuius commendandæ commendatio. Ergo τὸ πρός τι, relatiuum eſt σύστασις, commendatio: fundamentum autem & τὸ ἀντιστρέφον eſt, ut ſupra diximus, πραγμάτι, ἢ πρόσωπον συνιστάμενον, res, ſeu negocium, uel perſona, aut homo alteri commendandus. Sed hæc ipſa uel res, uel perſona dicitur eſſe εὐσύστατος, commendabilis: non ἀσύστατος, uel ἱκανοσύστατος: ut cōmendari non poſſit, uel difficulter poſſit. Oportet enim ἄξιον, dignum eſſe illud genus, quod uolumus commen-

Εὐσύστατα πράγματα.

mendare: & dignum ἀξιώσει. Ergo res est commendabilis: si est honesta, & si facilis: etsi prima fronte difficilis, & ardua esse uideatur. Vtiles res, & iucundas nemo non libenter commendat: nemo etiam eiusmodi rerum commendationem non libenter accipit; sine ulla certè recusatione ei assentitur. Sed persona commendabilis debet esse laudata: idq; propter uirtutem, & uirtutis actiones, id est, officia, & rectè facta. Ex tribus au- Ευσύστατα tem personarum generibus, quæ in omni epistola com- πρόσωπα. mendatitia diximus concurrere, facile intelligi potest, quis sit terminus, aut finis commendationis. Nam intermedij fines sunt: laudatio personæ, & rogatio, & promißio: at finis ultimus, ut scilicet is, quem commendamus intelligat, nostram commendationem habuisse apud eum magnum pondus: ut nimirum eum uel hospitio suscipiat, uel negocium eius conficiat, & quicquid est eiusdem generis.

PRAECEPTA PAVCA COMMENDAtitij generis: quæ pertinent ad diuersas partes.

PRimum præceptum, est infinitum, & generale. Habet enim ἀπόδειξιν, demonstrationem causa- I. rum, quibus compulsi, hunc, uel illum commendamus. Eas igitur causas ostendemus non solum esse magnas, & multas: sed etiam honestas, & iustas. Alterum præceptum est ὡρισμένον, definitum. Ergo II. quicquid ad commendationem personæ adfertur à Cicerone: illud omne debet referri ad locos: quos Hermogenes appellat ἐπιδεικτικοὺς, ad laudationem, &

descriptionem personæ, quam commendamus. Cicero attributiones personarum uocat, cuiusmodi sunt natura, uirtus, studium, fortuna, habitus, & facta: ad naturam pertinet cognatio. Ergo dicemus eum, quem commendamus, uel sanguine, uel affinitate nobis esse coniunctum.

Propinquitas, & affinitas.

Ad naturam pertinet, præter illam necessitudinem ipsa patria: quòd popularis, gentilis, ciuis, συμπατριώτης.

Patria.

Sequitur alter locus attributorum personæ eius, qui commendatur. Nam post φύσιν, & συγγένειαν, cognationem, & πατρίδα, rectè in commendatitijs literis consideratur, ἡ τροφὴ, uictus.

Victus.

Ergo dicemus hunc, quem commendamus, nobis charum esse: præcipuè ob eam causam, quod uetus, & arctissima familiaritas, cum eo nobis intercesserit, item hospitium, idq; uetus, unde uera, constansq; nata sit inter nos amicitia: Cicero non rarò etiam solet addere hanc necessitudinem esse non solū sibi, uerum etiam fuisse cum utriusq; parentibus & maioribus eius, pro quo scribimus.

III.

Σπούδασμα.

Tertius locus attributorum in personis datur à Cicerone studio, τῇ σπουδῇ, ἢ ἐπιτηδεύματι. Magnum enim pondus afferunt literæ, in commendando altero: cum ostendimus, eum non solum esse eruditum bonis artibus, & literis, uerùm etiam, quòd ipsi ijsdem studijs semper usi fuerimus.

IIII.

Ἕξις ἠθική.

Quartus locus est Habitus, τῆς ἕξεως, ualdè frequens. Cum ostendimus adolescentem esse σπουδαῖον, probum, modestum, uerecundum, pium, & quicquid est huius generis uirtutum. Hinc tanquam cumulum adijcimus illud συστατικὸν κεφάλαιον, quòd maximè pertinet ad

ani-

animum eius, ad quem ſcribimus, commouendum: quòd nimirum de eo hic ipſe optimè & ſentiat, & loquatur. Hic tamen eſt cauendum ne in aſſentationem noſtra in- *Κολακεία uitanda.* currat oratio. Cum ſcilicet dicimus, eum eſſe in ſumma apud nos admiratione, quòd cum alia ſuſpiciat in eo, tum uerò admiretur præcipuè eius ſingularem, & humanitatem & beneficentiam, gratificandiq; alijs ſtudium, ſed coniunctum non cum uulgari eruditionis doctrina. Hæc uidentur κολακευτικά, ſed mirè tractantur à Cicerone. Sequitur quintus locus, eum Cicero ad fortunam refert. Ergo Cicero de meliore etiam ſæpè nota alterum commendat, quòd clarus ſit, propter res fortiter geſtas, & quod nobilitate generis ſit præſtans. Lo- *VI. αἱ πρά-ξεις καὶ εὐγένεια; ἢ εὐεργε-σία.* cus ſupereſt ſextus, qui eſt τῶν εὐεργεσίων, quòd nimirum benè de nobis ſit meritus, uel de noſtris, ſed non is tantum, uerum etiam eius parentes, & maiores, quibus propterea plurimum debeamus. Id quod exemplis interdum artifices ſolent demonſtrare. Accedit huc, quod Cicero ſæpè, tanquam additamenti loco apponit, eum ab alijs diligenter nobis eſſe commendatum. Septimus igitur locus pendet à ſuperioribus, & eſt ueluti συμπερασμικὸς, habet uim concluſionis. Etenim ſæpe colligi- *VII. Locus συμπερασι-κὸς poſt προ-σωπογραφι-κούς.* mus ex ſuperioribus, hunc eſſe digniſſimum, qui non ſolùm omnibus bonis, uerùm imprimis illi ipſi, ad quem ſcribimus, debeat eſſe longè commendatiſſimus. Poſtremus locus eſt perſonarum, qui præcipuè pertinet ad *VIIII. ἔπαινος.* eius, cui iſtum commendamus, laudationem. Ea uerò aſſentationis ſuſpicione carere debet, etſi ab illa non ſit

multum aliena. Nam Cicero, & alij scriptores Epistolarum, hoc etiam efficax cæteris argumentis addunt ueluti calcar, ut ostendant, non modo ante illum ipsi commendatum esse: sed etiam nos summam fiduciam, & spem certißimam in illius humanitate, & beneficentia, semper posuisse. Imò adijcimus etiam, nos præter eius unius auxilium, nullius alterius opem, & consilium, uoluisse implorare. Quæ sententia non caret omninò συγκρίσει, comparatione. Hactenus de sententijs, quæ à persona commendati desumuntur: sequuntur sententiæ: quæ sumuntur à re ipsa, atq; causa.

Cum rem, causam, aut negocium alteri commendamus: omninò utimur ijsdem locis: de quibus in petendi ratione est expositum. Sunt enim communes hisce formis, quæcunq; sunt deliberatiui generis. Ergo in hoc genere Epistolarum, etiam usurpabimus ista κεφάλαια τελικὰ; τὸ καλὸν, τὸ εὐσεβὲς, καὶ τὸ ὅσιον: quòd pium, honestum sit, quòd sanctum: ὅτι ῥᾴδιον: præterea ὅτι συμφέρον, quod facile, & utile sit. Ostendemus etiam, ad ipsum, cui quē commendamus, nonnullas redituras esse commoditates: postremò, ὅτι ἐπαινετὸν, καὶ ἔνδοξον: hinc enim dicemus ad illum etiam peruenturum esse multum laudis, authoritatis, & gloriæ. Atq; hæc de quibus hactenus dictum est, pertinent ad primam Epistolæ commendatitiæ partem, quæ est ἐπαινετική: sed quæ de ipsa causa diximus, illa referuntur propriè ad deliberatiuum genus, & pertinent ad κατασκευήν, id est, ἀπόδειξιν, confirmationem.

Τύπος

Τύπος τῆς συστάσεως.

Partes cōmendatitiarum aliæ sunt

- Ἐπιδεικτικαὶ, demonstratiui generis. — Ἐπίδειξις, ἢ σύστασις, quæ tractatur ἀφηγήσει, narratiuncula, quæ est προκατάστασις.
- Συμβουλευτικαὶ, καὶ προτρεπτικαὶ, generis deliberatiui.
  - Ἀξίωσις, ἢ παράκλησις, καὶ δέησις, petitio. Estq; κατάστασις, propositio, quæ aliquando est confirmata, & propterea ἐγκατάστασις.
  - Ὑπόσχεσις, ἢ ἐπαγγελία promißio, quæ est ἐπιλογικὴ, & tanquam ἀντίδωρον continet.
    - Prima, cum pollicemur animum nostrum gratum, & memorem.
    - Altera, ἡ δευτέρα ὑπόσχεσις, cum promittimus commendati animum gratum, & illius obseruantißimum.
    - Tertia, ἡ τρίτη ὑπόσχεσις, cum pro illo spondemus, & mutuam operam, studium, & officium deferimus.

A Αὔξησις μεταστατική, est amplificatio-
nis. Quod si conferat beneficium in illum, dicemus nos eo loco habituros, ac si illud in nos, aut nostrum contulisset. Itaq; nos illi in perpetuum deuinctos, obligatosq; fore.

Tractatio commendationis triplex.

Quantùm pertinet ad ἐργασίαν huius generis epistolarum, obseruatio inter legendum Ciceronis epistolas, tripartitam nobis ostendit rationem, atq; modum tractandi omnem σύστασιν, commendationem. Etenim ut superior petendi uia, sic etiam hæc tanquam illius matris filia, aut recta uia incedit, aut obliqua, aut intermedia, suaui, & iocosa. ἡ εὐθεῖα methodus est, quando apertè, nulla facta circuitione uerborum, ostendimus eum, pro quo scribimus, dignißimum esse omni beneuolentia, & amicitia eius, ad quem scribimus. At obliqua ista ratio, quæ habet πλαγιασμὸν, fit insinuatione: et propterea plærunq; apud Ciceronem sunt anteoccupationes, hoc est, προλήψεις Tertia ratio est, εὐτράπελος, iocosa, & ἀστεῖα urbana, ac Cicero sæpè facetus est, & lepidus in commendando. Istud etiam in Ciceronis epistolarum lectione obseruandum est, plærasq; commendationes apud eum admodum breues reperiri, præsertim, quæ sunt uniusmodi, hoc est, puræ, & simplices, rarius accuratiores, & prolixiores. Veruntamen reperiuntur apud eundem etiam & uariæ, & propterea etiam prolixæ, & interdum etiam accuratè, ac diligenter scriptæ, uel elaboratæ. Id quod fit non solum pro-
pter

Η εὐθεῖα μέθοδος.

Η εὐτράπελος, iocosa.

Illæ sunt σπουδαῖαι seriæ, & graues, hæc urbana, & suauis.

pter insinuationem: quæ exordij propria est: sed etiam propter adiunctionem, & quasi contemperationem, & mixturam aliarum quarundam partium commendatitiæ epistolæ: quæ nominantur προσλαμβανόμεναι.

Exemplum commendationis lib. 1. famil. epist. epistola 3.

CICERO S. D. LENTVLO.

I. Μονόκωλος περίοδος, κατα πλοκή.

Aulo Trebonio, qui in tua prouincia, magna negotia, & ampla, & expedita habet, multos annos vtor valde familiariter.

Αφήγησις ἐπαινετική.

II. Τρίκωλος, μείζων, longioribus membris prioribus, propter λαμπρότητα.

Is, cum antea semper, & suo splendore, & nostra, cæterorumque amicorum commendatione, gratissimus in prouincia fuit:

Tum hoc tempore, propter tuum in me amorem, nostramque necessitudinem, vehementer confidit.

His meis literis, se apud te gratiosum fore.

Altera eius pars κατ' ἀπόστασιν λαμπρὰν, propter Trebonij πεποίθησιν, fiduciam.

Est narratiuncula προκατάσκευος, spargens semina confirmationis. Familiaris mihi est. Ergo spero eum apud te gratiosum fore. Amamus autem amicorum amicos. Fuit autem, ut Cicero, ex equestri ordine. Multos annos.) ἐπίτασις à tempore, & numero. Valde.) Alte-

Ab honesto & iusto.

ra ἐπίτασις. Nunc πλαγιασμὸν commutat ὀρθότητι. Nā incœpit à casu obliquo, πτώσει ἀφαιρετικῇ: Aulo Trebonio utor: deinceps recto continuat narrationem: Is gratißimus in prouincia fuit. Ergo spero eum fore apud te gratiosum. Cum antea semper.) Πρόσληψις τοῦ χρόνου, assumptio temporis. Semper) alia ἐπίτασις, propter ἐπίρρημα χρόνου τοῦ καθόλου. Et–Et.) Συμπλοκή. Estque τοῦ ἡγουμένου, antecedentis in enthymemate approbatio: à causis. Suo splendore.) Μεγαλοπρέπεια; quæ in diuitijs, & liberalitate consistit. Vide epist.26 lib.12. Equitibus enim Rom. splendor tribuitur. Hactenus prima causa, à persona Trebonij, ἐπαίνῳ. Et nostra commendatione.) Altera causa, à sua persona, πεποιθήσει, satis ambitiosa. Cætererorumque amicorum.) Πρόσθεσις, adiectio tertiæ causæ: qua corrigit ambitiosè dictum, ὅτι μόνος, καὶ πρῶτος. Gratißimus.) Sequitur τὸ ἀποτελεστικὸν, effectus. In prouincia.) scil. tua, Cilicia, & parte Asiæ.

Tum.) Altera pars τοῦ μερισμοῦ, Cum–Tum: ἀνταπόδοσις, & τὸ μέρος. Hactenus enim τὸ ὅλον, totum posuit: Antea semper. Estque tertium ἐνθύμημα. Trebonius uehementer confidit, his meis literis, se apud te gratiosum fore. Quare? Propter tuum in me amorem.) Est beneuolentiæ, & amicitiæ, τῆς φιλίας. Neceßitudinem) Ἐπιτηδειότητα, est ordinis. Vterq; enim fuit, ut diximus, ex ordine equestri. Vehementer) Ἐπίτασις, & consequens enthymematis, atque conclusio superiorum omnium.

III. Se-

III. Sequitur δίκωλος περίοδος ἰσόκωλος breuibus membris.

Quæ ne spes eum fallat: | Ἀξίωσις, obsecratio.

Vehementer te rogo.

IIII. Ἐπισυνάψις τῆς μονοκώλου. | Σύστασις.

Commendoq; tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam, id est, seruos, epist.29.lib 12.

V. Altera πρόσαψις δικώλου μειούρου.

In primisque, quæ T. Ampius de eius re decreuerit: | Ἡ δευτέρα ἀξίωσις.

Ea comprobes.

VI. Tertia πρόσαψις δικώλου μακροκώλου, qua superiorem corrigit.

Omnibusq; rebus ita tractes:

Vt intelligat, nostram commendationẽ non vulgarem fuisse. Vale.

Ita–At.) Ὑπόστασις ad στρογγυλότητα, rotunditatem, & uolubilitatem periodi. Non uulgarem.) Λιτότης, maximum pondus habuisse.

Istud exemplum, quoniam primum est, in familiaribus, ut uocantur, epistolis, τῶν παραθετικῶν ἐπιστολῶν, dignum nobis fuit uisum subijcere. Nam tametsi nullam continet ὑπόσχεσιν, promißionem: tamen latenter ostendit Cicero: se, & A. Trebonium gratos futuros. Ac sæpè habent eiusmodi epistolæ ἔλλειψιν, prætermißionem pollicitationis: sed ea per ὑπόνοιαν, uel ὑπακοὴν, seu ἐνθύμησιν, facilè intelligi potest; & ex superioribus

ratio-

ratiocinando colligi. Pars prima habet ἐπίδειξιν, hoc est, σύστασιν, commendationem & laudationem personæ eius: quem commendat. Diligenti autem obseruatione opus est, ante imitationem: & propterea etiam accurata annotatione partium præcipuarum, & necessariarum, quæ ἀναγκαῖαι, uocantur. Deinde etiam cæterarum rerum consideratio, & θεωρία debet institui. Præterea illa quoq; partitio hic tenenda est: omnem σύστασιν, hoc est, commendationem aut esse puram, aut alijs formis, quasi contemperatam, atq; commixtam. Iam uerò omnis pura commendatio, aut est unius tantum, uel personæ uel negocij, aut est plurium personarum, uel etiam plurium rerum, atq; negociorum. Ac quantum ad mixtas epistolas pertinet: eæ sunt, ut Græci loquuntur, διάφοροι, hoc est, ex diuersis literarum generibus constantes. Extat uerò accuratæ commendationis Manij Curij exemplum, lib. 13. epist. 17. quam scripsit ad Seruium Sulpitium: qui tum Achaiæ præfectus erat, ἐπιγραφὴ illa est.

M. T. C. Seruio Sulpitio S. P. D.

1. Σύστασις. Ab ipso, qui commendat.

M. Curius, qui Patris negotiatur, multis, & magnis de causis à me diligitur. nam & amicitia peruetus mihi cum eo est: vt primum in forum venit, instituta: & Patris cum aliquoties antea, tũ proximè, hoc miserrimo bello, domus eius tota mihi patuit. qua, si opus fuisset, tam essem vsus,

Inter Cæsarẽ & Pompeiũ.

ſus,quàm mea. maximum autem mihi vincu- 2.
lum cum eo eſt: quaſi ſanctioris cuiuſdam ne- *A communi-*
ceſsitudinis:quòd eſt Attici noſtri familiariſsi- *bus amicis.*
mus:eumq́; vnum præter cæteros obſeruat,ac Προκατάλη-
diligit. quem ſi tu iam forte cognouiſti: puto ψις.
me hoc,quod facio,facere ſerius.ea enim eſt hu 3.
manitate, & obſeruantia: vt eum tibi iam ip- *Ab eo, qui cō*
ſum per ſe commendatum putem. quod tamē *mendatur,* ἐ-
ſi ita eſt:magnopere à te quæſo: vt ad eam vo- πίδειξις.
luntatem, ſi quam in illum ante has literas con
tuliſti,quàm maximus poſtea commendatio- Ἀξίωσις.
ne cumulus accedat. ſin autem, propter vere- Ἀνταπόδοσις,
cundiam ſuam,minus ſe tibi obtulit: aut eum *& altera* σύ-
nondum ſatis habes cognitum: aut quæ cauſa στασις.
eſt:cur maioris commendationis indigeat: ſic
tibi eum commendo: vt neque maiore ſtudio
quenquam, neque iuſtioribus de cauſis com-
mendare poſsim.faciamq́; id,quod debent fa- Ὑπόσχεσις, *&*
cere ij,qui religioſè,& ſine ambitione commen *laus commen*
dant.ſpondebo enim tibi,vel potius ſpondeo: *dati.*
in meque recipio: eos, eſſe M. Curij mores,eā-
que tum probitatem, tum etiam humanitatē:
vt eum & amicitia tua,& tam accurata cōmen
datione, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis exiſti-
maturus.mihi certè gratiſsimum feceris: ſi in- *Altera* ὑπόσχε-
tellexero,has literas tantum, quantum ſcribēs σις, *à ſua per-*
confidebam,apud te pondus habuiſſe. Vale. *ſona.*

Man.Curius,qui Patris negociatur.) Propoſitio cō-
mendationis: pars prima huius rationis, quæ à Græcis
διήγησις *nominatur, hoc eſt, narratio, ſiue expoſitio*
cauſa-

causarum, quamobrem commendet Curium Sulpitio. Habet autem singularem commendationem, & exornationem personæ. Hæc enim propositio epistolæ sumpta est à fortuna, & necessitudine. Nam &c.) Sequitur in hoc Exordio & uestibulo post propositionem ἐγκατάσκευον, rationibus intertextis munitam, ἡ κατασκευὴ, ratio eiusdem propositionis. non enim solum illa propositio, ἐκ τοῦ πρώτου, ab initio, sed etiam ἐκ τοῦ δευτέρου, καὶ τοῦ τρίτου, hoc est, ut loquuntur, secundario: & posteriore loco est confirmata: neque solum ratio affertur, uerum etiam huius rationis expolitio, ἐργασία; quam alij nominant ἔκθεσιν. Qua, si opus.) Subijcit continenter Cicero per ἐπισυνάψιν, adiunctionem unius membri circuitus: qui complectitur ἔννοιαν αὐξητικὴν, sententiam, quæ uim amplificandi continet. Maximum.) Πρόσθεσις, additio. Vtitur enim accumulatione quadam, σωρεύσει: quæ fit gradatim, per ἐπαύξησιν, incrementum non uerborum tantum, sed rerum etiam, atque sententiarum. Ratio autem ista est ducta à cæterorum, & quidem communium utriusque partis amicorũ necessitudine. Quòd est Attici.) Rationem subijcit huius ὑπερβολικῆς amplificationis. Quem si tu.) Hactenus Cic. laudauit personam, commendat à sua, atque ab Attici persona. iam transit ad aliam laudationem, quæ sumitur à persona Curij. Huic propositioni nouæ, quæ est ualdè modesta, continenter subijcit rationem ἐπιδεικτικὴν: ab eius humanitate, & obseruantia. Quod tamen.) Hactenus prima pars commendatitiæ epistolæ. Sequitur pars altera,

ra,

τα, ἡ ἀξίωσις, petitio, rogatio, duabus hypotheticis propositionibus contrarijs. Sin autem.) Altera propositio. Aut quæ.) Pro, aut si quæ. Sic eum.) Post preces, commendatio diligens, ὑποστάσει, & συγκέσει. Faciamque.) Tertia pars sequitur, & postrema, quam non habuit superior epistola: non enim fuit tam accuratè scripta: eam Græci ὑπόσχεσιν nominant, promißionem, & pollicitationem: cuius hæc est propositio. Spondebo enim) Post ingressum, & εἴσοδον, ad hanc partem, continenter sequitur ratio, & amplißimis uerbis facta promißio, & quasi sponsio. Vel potius.) Ἐπανόρθωσις. Eos esse.) A maioribus Curij: supra laudauit eum ab hospitalitate, neceßitudine, humanitate, obseruantia, & uerecundia: nunc eundem commendat à probitate. Ea—ut.) Ὑπόστασις. Mihi certè.) Conclusio alteram continet ὑπόσχεσιν, pollicitationem, à sua persona præcipuè deductam. Inter alia exempla huius generis breuißimum, & pulcherrimum extat apud eundem Cic. lib. ad Brutum epistolæ, quæ numero est octaua. Nam præcipuas partes habet commendationis: sed præter has partes etiam ἔφοδον, hoc est, ingressum fauorabilem exordij loco continet.

M. T. C. MARCO BRVTO S.

I. Περίοδος δίκωλος ἰσόκωλος, συμπλοκή. — Propositio.

Multos tibi commendaui: — Ratio, laude
Et commendem necesse est. — Bruti, à studio & iudicio omnium.

II. Μονόκωλος.

Opti-

Estq; pars θετικὴ.

Optimus enim quisque vir, & ciuis, maximè sequitur iudicium tuum.

Hoc est, omnes uiri boni idem uolunt, quod tu: uidelicet, Rempub. esse liberatã; qua in re te ducem sequũtur.

III. Επισυναψις alterius generis eiusdem.

Tibiq; omnes fortes viri nauare operam, & studium volunt.

IIII. Altera ἐπισυναψις periodi trium membrorum, breuißimis prioribus membris.

Nec quisquam est:

Quin ita existimet:

Meam apud te & gratiam, & autoritatẽ valere plurimum.

Est μακρόκωλος, in splendore: πεποιθότως γὰρ, καὶ τὰ ἔνδοξα ἐνδοξοτέρως λέγει, καθόλου, κατ' ἐπιμονήν.

Optimus quisq;.

Omnes fortes uiri.

Nec quisquam est.

V. Rursus δίκωλος, ἀποστάσει.

Σύστασις, ipsa cõmendatio.

Sed C. Nasennium municipem Suessanum tibi ita commendo:

Vt neminem diligentius.

Τὸ ἐν τῇ θέσει, & pars ὑποθετική. Estq; κατάστασις, propositio.

Αφήγησις. Laus Nasennij, à re militari & familiari.

Suessanum.) Suessam autem Pometiam intelligit.

VI. Membratim deinceps.

Cretensi bello, Metello Imperatore, octauũ principem duxit:

Postea,

Postea, in re familiari, occupatus fuit.

Τὰ πραχθέντα. *Metello*) Tempus. *Sub Metello Pio Numidici filio, Cretico, à deuicta sic cognominatus fuit Creta.* Hic *consulatum gesit cum* Q. Marcio Vatia. *Octauum.*) *Id est, octauam centuriam principum.*

VII. *Iam periodus duorum membrorum μείουρος.*

Hoc tempore, cum Reipu. partibus, tum tua excellenti dignitate, commotus:

Vellet, per te, aliquid autoritatis assumere.

Altera pars narrationis, τὸ αἴτημα.

VIII. *Ἀπόστασις trium membrorum, ἀπεριόδῳ συνθέσει.*

Fortem virum, Brute, tibi commendo:

Frugi hominem:

Et si quid ad rem pertinet, etiam locupletem.

Σύστασις, & ἐπίδειξις τοῦ προσώπου.

Commendationem pro rogatione, ἀντὶ τῆς αἰτήσεως, posuit. Si quid.) προεπίπληξις, *præcastigatio.*

IX. *Claudit τρικώλῳ περιόδῳ.*

Pergratum mihi erit:

Si eum ita tractaveris:

Vt, merito tuo, mihi gratias agere possit.

Ὑπόσχεσις καθ' ὑπόθεσιν, καὶ ὑπόστασιν.

Multos tibi commendaui, & commendem.) πρότασις Exordij. *Optimus enim.*) *Sequitur κατασκευή, ratio propositionis: quæ continet laudationem* Bruti, *ab eius iudicio, eiusdemq; approbatione.* Sed C. Nasenn.) *Hactenus* Exordium *breuiusculum: cuius κατασκευή ab utriusq; persona sententias ductas habet, à laudatione*

M. Bruti, & Ciceronis fiduciæ erga eundem, non ob-
scura significatione. Hoc uerò exordiendi genus non
necessarium fuit Ciceroni: præsertim ad Brutum. Sed
tamen fuit honorarium, propter beneuolentiam. Sequi-
tur ipsa commendatio. Sed C. Nassenium municipem.)
Commendationis hæc est pars prima, ἀξίωσις. Sed nata
ex προλήψει assumptione cæterorum exemplorum: un-
de exorsus est epistolam. Sensus enim hic est: cum alios
multos tibi commendaui; & posthac necesse est: ut tibi
commendem: tum uerò hunc Nassennium, hoc in tem-
pore diligentißimè commendo. Hæc πρόσληψις tria
tempora complectitur, præteritum, futurum, & præ-
sens: quod est huius epistolæ, & negocij. Sed Nassen-
nium nunc commendo. Græci accommodationem, uel
adaptationem superiorum exemplorum ἐφάρμωσιν, καὶ
ἐφαρμογὴν nominant. Cretensi.) Subijcit narratiuncu-
lam: quæ causas commemorat, huius diligentis commen-
dationis. Hactenus laudatio Nassennij à patria, & ciui-
tate: item à rebus gestis, & à fortitudine: Bello, Metello)
Παρόμοιον, & tempus præteritum. Hoc tempore.)
Præsens. Cum Reipub.) Επεμβολὴ τῶν αἰτίων, inter-
iectio causarum impellentium, κατὰ συμπλοκὴν. Com-
motus.) Τὸ αἰτιατὸν, effectus. Vellet.) Est cupiditatis.
Per te.) A causa efficiente, καὶ ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ. Po-
stea.) Laudat nunc eum à re familiari: & studium etiam
suum declarat erga Brutum. Fortem.) Subijcit ipsam
σύστασιν, commendationem, & laudationem, à fortitu-
dine, frugalitate, & opulentia. Fortem uirum, frugi
homi-

hominem.) Elegantißima sunt epitheta, in quibus consideretur κυριολεξία, *proprietas uerborum.* Si quid.) ἐνδοίασις, *dubitatio.* Laus enim propriè non diuitijs, sed uirtutibus debetur. Pergratum.) Gratißimum. Est epilogus, cum amplificatione meriti ipsius Bruti.

DE IOCOSA Commendatione.

Diximus tripartitam esse rationem commendandi alterum alteri, directam, inflexam, & iocosam, hoc est, εὐτράπελον. Etenim Cicero in commendando sæpe iocatur, & sales aspergit, tanquam condimentum suauißimum. Huius tractationis exemplum extat insigne, lib. 3. famil. epist. 1. ualdè artificiosa illa quidem, sed tamen uaria, & multiplex.

ARGVMENTVM.

Totus est hic liber ad Appium P. Clodij fratrem, cum quo post inimicitias in gratiam redierat, in hac autem epistola scribit de duobus Appij libertis, Phania, & Cilice. interserit quædam de sua beneuolentia. in extremo commendat Valerium iurisconsultum cum ioco familiari. De Appij mort Val. Max. lib. 1. cap. 6.

M. Cicero S. D. Appio Pulcro imp.

SI ipsa respub. tibi narrare posset, quomodo sese haberet: non facilius ex ea cognoscere posses: quàm ex liberto tuo Phania: ita est homo non modò prudens, verum etiam, quod vidi, curiosus: quapropter ille tibi omnia explanabit, id enim mihi & ad

Appio gratificatur in liberti laude, et simul excusat breuitatem literarũ suarũ.

Possunt enim in alienas manus literæ peruenire.

brevitatem est aptius, & ad reliquas res providentius. De mea autem benevolentia erga te, etsi potes ex eodem Phania cognoscere: tamen videntur etiam aliquæ meæ partes. Sic enim tibi persuadeas: carissimum te mihi esse: cum propter multas suavitates ingenij, officij, humanitatis tuæ: tum quòd ex literis tuis, & ex multorum sermonibus intelligo: omnia, quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. Quod cum ita sit: perficiam profectò, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, & gratia, crebritate & magnitudine officiorum meorum sarciam. idq́ue me, quoniam tu ita vis, puto non invita Minerva, esse facturum. quam quidem ego, si forte de tuis sumsero, non solum Palladа, sed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, antea mihi minus fuit notus: sed, ut mihi reddidit à te literas, plenas & amoris, & officij: mirificè ipse suo sermone subsecutus est humanitatem literarum tuarum. iocunda mihi eius oratio fuit: cum, de animo tuo, cum de sermonibus: quos de me haberes quotidie, mihi narret, quid quæris? biduò factus est mihi familiaris: ita tamen, ut Phaniam valde sim desideraturus. quem cum Romā remittes: quod, ut putabamus, celeriter eras facturus: omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des velim. L. Valerium iurisconsultum valde tibi commendo: sed ita etiam, si

Cum uiuere P. Clodius, Appij frater, Ciceronis inimicus.

Πολύσιγμα.

Qui ei familiarior erat, quam Cilix. uide epist. 13. lib. 2.

Hic est, ad quem scribit epistolam ultimam lib. 1.

non

non eſt iuriſconſultultus, melius enim ei cavere volo: quàm ipſe aliis ſolet, valde hominem diligo, eſt ex meis domeſticis, atque intimis familiaribus, omnino tibi agit gratias: ſed idem ſcribit, meas literas maximum apud te pondus habituras, id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo. Vale.

Quod ipſ tua ſponte illum humaniſſime tractaris.

Si ipſa reſpub. tibi narrare poſſet.) Scripta eſt epiſtola ad Appium Pulchrum Imperatorem : qui Publij Clodij frater fuerat . partes epiſtolæ huius mixtæ ſunt plures. Prima enim pars exordij loco poſita, habet ἀπόφασιν, negationem : quæ ponitur loco excuſationis in ſcribendo breuitatis. Habet enim ἀπολογίαν τῆς συντομίας. Loqui,) πλάσιν ῥητορικὴν, fictionem Rhetoricam inſtituit. Si ipſa reſpubl. tibi narrare poſſet, quomodo ſeſe haberet. Altera pars continet σύστασιν, commendationem ſuæ perſonæ, à pollicitatione ſuæ beneuolentiæ: ne Appius Pulcher, in animo ſuo reſidere putet aliquas ſcintillas ſuperioris ſimultatis ſuſceptæ, propter P. Clodij fratrem. Initium huius eſt : De mea autem beneuolentia, &c. Quod cum ita.) Pars tertia continet ὑπόσχεσιν, pollicitationem amplam ſuorum officiorum. Tertia pars ſequitur, quæ habet ἔπαινον, laudationem duorum libertorum Appij Pulchri. Primum enim commendat Cilicem. Deinde illum ipſum Phaniam, à quo orſus fuit epiſtolam. Quem cum.) Altera pars laudationis continet ipſius Phaniæ commendatiorem. Breuis eſt in Phania laudando, quem ſupra pluribus laudauerat:

Cilix libertus.

quòd prudens: quòd æquus: quòd curiosus: ubi usus fuit comparatione ὑπερβολικῇ, quæ pars fuit προκαταρκτική: cuius πρότασις est; Phania tibi omnia, quæ scire cupis de Repub. exponet. Ratio est: facilius enim ex eo poteris ea intelligere: quàm si ipsa Respub. loqueretur. Incepit à κατασκευῇ; eiq; subiecit ἐπικατασκευήν. Ita est homo, &c. Non modo—uerum etiam.) Ἐξ ἀναιρέσεως συμπλοκή. Quod uidi.) A suo testimonio. Sequitur ἀπόδοσις, quæ est ipsa propositio. Quapropter, &c. Cui subiecta est αἰτιολογία bipartita. Huic addit partem epistolæ secundam; quæ non habet σιώπησιν, ut illa, & constat propositione, ratione , eiusq; confirmatione ἐπιδεικτικῇ, κατὰ συμπλοκήν, & conclusione, in qua est ὑπόσχεσις, & πεποίθησις iocosa. Itaq; pars hæc est φιλική. Erat autem Phania Ciceroni familiarior: quam iste Cilix: eamq; ob causam, ostendit suum desiderium erga absentem. Omnibus.) ἀξίωσις. Petit enim, ut si Phaniam domum, seu Romam sit remissurus, per eum omnia diligenter ad se perscribat, etiam mandata. L. Valerium.) Postrema pars, quæ nostri instituti est, est breuis commendatio, σύστασις. Sed cum urbanitate, & lepore coniuncta. Nam Appio Pulchro commendat L. Valerium Iureconsultum excellentem. Sed ita, etiamsi non est.) Hactenus propositio. Sed ita.) Secunda pars propositionis. Melius enim.) Sequitur ratio ualdè iocosa. Valde hominem diligo.) Altera pars commendationis est laudatio Iurisconsulti. Est ex.) Propositionem hanc confirmat ratione subiecta ex locis personarum, quare

ipsum

ipſum ualde diligat. A neceßitudine, quæ ei eſt cum ipſo. Eſt ex meis domeſticis, atq; intimis familiaribus. Ergo ualde illum diligo, omnino.) Alia ratio, omnino agit tibi gratias. Ergo ualde tibi ipſum commendo. In quo latet ὑπόσχεσις propter animi grati ſignificationem. Sed idem.) Tertia cauſa. Scribit meas apud te maximum pondus habituras. Ergo ualde tibi eum commendo. A ſpe L. Valerij. Id eum.) Concluſio continet ἀξίωσιν, rogationem.

Aliud exemplum.

Extat libro IX. familiarium epiſtolarum elegantißimum exemplum commendationis: cui iocoſum initium antepoſitum eſt: idq; ἀντεπισταλτικὸν. Poſtquam autem Cicero iocatus eſt: incipit σύστασιν, commendationem ſeriam, & accuratam: cuius partes ſunt: ἀφήγησις ἐπιδεικτική, narratio cauſarum: cur M. Fabium Pæto commendet. Itaq; ἐγκατάσκευος eſt: & exornatione conſtat perſonæ. Eſtq; prolixior. Altera pars eſt ἀξίωσις, petitio: tertia ὑπόσχεσις.

Iocatur cum Pæto, quòd de re militari præcepta quædam ad eum ſcripſerit: deinde commendat M. Fabium quendam: qui cum fratre controuerſiam habebat: petitq; ut litem illam ſopiat, ne diſcordia inter eos gliſcat.

M. T. Cicero Papirio Pæto S. D. Ἀντεπισταλτική.

SVmmum me ducem literæ tuæ reddiderunt. Plane neſciebam, te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros,

& Cineæ, video lectitasse. Itaq; obtemperare cogito præceptis tuis. Hoc amplius: naviculárum habere aliquid in ora maritima, contra equitem Parthum, negant ullam armaturam meliorem inveniri posse. Sed quid ludimus? nescis quo cum Imperatore tibi negocium sit? Κύρου παιδείαν, quam contriveram legendo, totam, in hoc imperio, explicavi. Sed iocabimur aliàs coràm: &, ut spero, brevi. Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius. Sic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio, quod te scire arbitror, summus mihi est usus: valdè que eum diligo, quum propter summã probitatem eius, ac singularem modestiam: tùm, quód in his controversijs, quas habeo cũ tuis combibonibus Epicureis, optima opera eius uti soleo. Is quùm ad me Laodiceam venisset: mecumq; eum ego esse vellem: repente percussus est atrocissimis literis: in quibus scriptum erat: fundum Herculanensem à Qu. Fabio fratre proscriptum esse: qui fundus cum eo communis esset, M. Fabius pergraviter tulit: existimavitq; fratrem suum hominem non sapientem, impulsu inimicorum suorum, eo progressum esse. Nunc, si me amas, mi Pæte: negocium totum suscipe: molestia Fabium libera. Autoritate tua nobis opus est, & consilio, & etiam gratia. Noli pati, litigare fratres: & iudicijs turpibus conflictari. Mathonem, & Pollionem inimicos habet Fabius. Quid mul-

A ioco exorditur.

I. institutionẽ Cyri. commendat Pæto M. Fabium.

ta? nõ, me Hercule, perſcribere poſſum: quàm mihi gratum feceris, ſi ocioſum Fabium reddideris. Id ille in te poſitum eſſe putat, mihique perſuadet. Vale.

Cum M. *Fabio.)* Propoſitio bipartita. *Quod te.)* Επεμβολὴ, à Pæti teſtimonio *Summus mihi eſt uſus.) una cauſa.* Valdeq;.) *Altera. Cum.)* Αιτιολογία proximæ partis tripartita, κατὰ συμπλοκὴν. *Is cum.)* Hactenus de perſona: nunc de re, atq; cauſa: & ἀφήγησις altera nõ προσωπικὴ, ſed πραγματικὴ.

Περιστάσεις.

- *Quis?* M. Fabius.
- *Quid?* Repente percuſſus eſt atrociſsimis literis.
- *Quamobrem?* In his enim erat ſcriptum: fundum Herculanenſem, à Q. Fabio fratre proſcriptum eſſe; qui fundus cum eo communis eſſet.
- *Quid conſecutum?* Id M. Fabius pergrauiter tulit.
- *Quando?* Cum ad me ueniſſet.
- *Quò?* Laodiceam.

Repente percuſſus.) Τὸ πρᾶγμα, res ipſa. *In quibus.)* ἀνάγνωσις partis iſtarum literarum. *Id M. Fabius.* Τὸ συμβάν. *Exiſtimauit.)* Τὸ αἴτιον, cauſa præſcriptionis fundi communis, στοχαστικῶς. *Non ſapientem, impulſu inimicorum.)* Διαβολὴ. *Nunc.)* Κατάστασις, propoſitio, & petitio. *Autoritate.)* Confirmatio, κατασκευὴ, prima

ratio, à persona Papirij: & argumentum, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ. Noli.) Altera, à fratrum personis, & argumentum ἐκ τοῦ αἰσχροῦ, à turpi. Mathonem, &.) Tertia, à personis aduersariorum. Quid multa?) Abrumpit confirmationem, & cõcludit epistolam ὑποσχέσει, promißione, quæ informata est ὁρκισμῷ, religiosa affirmatione. Id ille.) Clausula, à spe M. Fabij, & postremum argumentum.

Commendatio accuratißima, in qua est digreßio, & παραπλοκὴ τῶν μέτρων, ἱκολήσει; & post hanc παρέκβασιν, ἐπάνοδος ἐπὶ τὴν σύστασιν.

ARG. *Præcilium adolescentem, patre natum Cæsari amicißimo, commendat.*

Cicero S. D. Cæsari Imp.

Propositio, cum ratione. *Cõmendatio.* PRæcilium tibi commendo vnicè: tui necessarij, mei familiarissimi, viri optimi filium. quem cum adolescentẽ ipsum propter eius modestiam, humanitatem, animum, & amorem erga me singularem mirificè diligo: tum patrem eius, re doctus, intellexi, & didici, mihi fuisse semper amicissimum. en hic

Excursus. ille est, de illis maximè, qui irridere, atque obiurgare me solitus est: quòd me non tecum, præsertim cum abs te honorificentissime inuitarer, coniungerem.

ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν.

audie

audiebam enim nostros proceres clamitantes,

ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ,

ὣς φάτο, τὸν δὲ ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

ſed tamen, Al. ĳdem me conſolantur: idem me *Correctio.*
conſolatur. etiam, hominem peruſtum, etiam-
num gloria volũt incẽdere: atq; ita loquũtur:

μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

ſed me minus iã mouẽt, vt vides: itaque ab Ho
meri magniloquẽtia cõfero me ad vera p̃cepta
Ευριπίδου;

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. *Hic uerſus nõ inuenitur in Euripide.*

quem verſum ſenex Præcilius laudat egregiè:
& ait poſſe eundem & ἅμα πρόσω, καὶ ὀπίσω
videre, & tamen nihilominus,

αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Sed, vt redeam ad id, vnde cœpi: vehementer *Υπόσχεσις.*
mihi gratum feceris: ſi hunc adoleſcentem hu-
manitate tua, quæ eſt ſingularis, comprehen-
deris: & ad id, quod ipſorum Præciliorũ cau-
ſa, te velle arbitror, addideris cumulum com-
mendationis meæ. Genere nouo ſum literarũ
ad te vſus: vt intelligeres, non vulgarem eſſe *Ob interpoſitos græcos uerſus.*
commendationem. Vale.

Præcilium.) Πρότασις, *ipſaq; commendatio.* *Tui.*) Κατασκευή, ratio. *Filium.*) *Vna cauſa, & laus à patre, eiuſdem laudatio. Quem cum.) Altera, & laus à uirtutibus.* En hic.) *Tertia, & digreßio ab ipſa cõmendatione.* Ἀλλ' ἐμὸν.) *Prima* παραπλοκή. Αὐτολέξει. *Sed meũ nun*

Quatuor cõmendationis cauſæ.

quam animum in pectoribus ſuadendo induxit. Sed nullis animum potuit mihi flectere dictis, ſcil. ut me tecum coniungerem. Homer. Odyß. η. Ἀλκιμ☉.) Altera παραπλονή. Vt te poſteritas commendet, ſtrenuus eſto. Sic ſatur, uerùm hic curis immergitur atris. Αὐτολεξεὶ fortis eſto: ut aliquis te & poſterorum laudet. Carmen eſt παραινετικὸν, & ἐνθυμηματικὸν, à fine, à laude, & gloria. Odyſſ. ᾶ.8. & γ,12. ὡς νεφέλη.) Sic nebula texit nigra. Odyſſ. ω. 209. Sic ego imprudens Pompeium ſecutus ſum. Ἀλλ᾽ ἄγε.) Tertia κόλλησις. Aſt age, quid furis? decet haud ſine gloria, obire: ſed mage fac olim tua fortia facta probentur. Sed me minus.) Correctio, ſignificat autem, ſe pœnitere: quod conſilium Præcilij non eſt ſecutus. Itaq;.) Tranſitio. Homeri magniloquentia.) μεγαλοῤῥημοσύνη. Εὐριπίδου.) Quarta. Euripidis. Odi ſapientem, qui ſibi non ſapit. Vide Ennianum carmen, Epiſt. 6. lib. 7. Odi. igitur iſtos Pompeianos ſapientes; qui ſibi, cũ tecum adhuc pugnent, non ſapiunt. Quem uerſum.) Ἐπίκρισις ſenis Præcilij. Ἅμα πρόσω) Quinta. Simul antrorſum, atq; retrorſum: ſimul ante & poſt. Iliad. 8. & Odyß. υ,212. Αἰὲν ἀριστεύειν.) Sexta. Rem gerere, & claris alios excellere factis. Vel, ut uerbum uerbo reddatur: ſemper optimè ſe gerere: & principem eſſe aliorũ.

Sed, ut ad rem redeam.) Ἐπάνοδ☉, reditus ad commendationem. Eſtq; ὑπόσχεσις. Genere nouo literarum.) Epilogus ἐνθυμηματικός: cur hoc genere epiſtolarum uſus ſit. Quidam libri παρῳδίαν habent: ἀλλ᾽ ἄγε, πῶς μέμονας, ὃ δεῖ γε, καὶ ἀκλειῶς ἀπολέσθαι; ἀλλὰ μέγα ῥέξαι τι,

ξαι τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Sed age quid moratus es?

Non oportet quidem & sine gloria perire. Sed magnum facere aliquid, & posteris audiendum. Παραμυθία.

Sunt enim hi, apud Homerum, uersus.

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε, καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην;
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Ilia. x. 244.

COMMENDATIO, *non commendatio, sed testimonium, μαρτυρία: & formula generalis dandi alicui studioso honorificum testimonium.*

ARG. *Apolonium, P. Crassi libertum Cæsari, bellum in Hispania contra Pompeij liberos gerenti, commendat.* *Qui cum M. Crasso patre à Parthis est interfectus.*

CICERO S. D. *Cæsari imp.*

P. Crassum, ex omni nobilitate, adolescentem dilexi plurimum: &, ex eo cum ab ineunte eius ætate, bene sperauissem, tũ optime existimare cœpi ex ijs iudicijs, quæ de eo feceram, cognitis: eius libertum Apollonium iam tum equidem, cum ille uiueret, & magnifaciebam, & probabam. erat enim & studiosus Crassi, & ad eius optima studia uehementer aptus: itaque ab eo admodũ diligebatur. post mortem autem Crassi, eo mihi etiam dignior uisus est: quem in fidem, atq; amicitiam meam reciperem: quòd eos à se obseruan-

Σύστασις καὶ μαρτυρία.

Epist. 17. li. 7. dixit, conferre se in fidẽ, & amicitiam

seruandos, & colendos putabat: quos ille dilexisset: & quibus charus fuisset. Itaque & ad me in Ciliciã venit: multisq; in rebus mihi magno vsui fuit: & fides eius, & prudentia: &, vt opinor, tibi in Alexandrino bello, quantũ studio, & fidelitate consequi potuit, non defuit. quod cum speraret te quoq; ita existimare: in Hispaniam ad te maxime ille quidem suo cõsilio, sed etiam me auctore est profectus. cui ego cõmendationem non sum pollicitus: non quin eã valituram apud te arbitrarer: sed neq; mihi egere commendatione videbatur: qui & in bello tecum fuisset: & propter memoriã Crassi de tuis vnus esset: &, si vti commendationibus vellet: etiam per alios eum videbam id consequi posse. testimonium meum de eo iudicij, quod & ipse magni æstimabat, & ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. doctũ igitur hominem cognoui: & studijs optimis deditum, idq; à puero. nam domi meæ cũ Diodoro Stoico, homine, meo iudicio, eruditissimo, multũ à puero fuit. nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas literis græcis mandare cupiebat. posse arbitror: valet ingenio: habet vsum: iam pridem in eo genere studij, literarũq; versatur: satisfacere immortalitati laudum tuarũ mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ testimonium: sed tu hoc facilius multo, pro tua singulari prudentia, iudicabis. & tamen, quod negaueram, commendo tibi eum. quidquid ei commenda-

Nam P. Crassus in Gallia Cæsaris legatus fuerat.

Μαρτυρία.

Vide epist. 4. lib. 9.

mendaueris, erit mihi maiorem in modũ gratum. Vale.

P.Craſſum.) Ἀφήγησις ἐπιδεικτική, καὶ αἰτιώδης, *narratio, & perſonæ exornatio, & cauſæ commendationis. Craſſum.*) Τόποι ἐγκωμιαστικοί. Nomen *Fuit autem M.Filius, qui cum patre interfectus eſt à Parthis. Epiſt.8.lib.5. Ex omni nobil.*) *Genus. Adoleſcent.*) *Aetas. Dilexi.*) *Virtutum eius ſigna: Bona de eo Ciceronis ſpes, exiſtimatio, iudicia. Cum–tum.*) Μερισμός. *Hactenus Craßi patroni laus: ſequitur liberti illius, cuius commendationem uult eſſe teſtimonium. Ergo eius laus à perſona ſui patroni ducta eſt. Ac obſeruanda ſunt* πρόσωπα τὰ πρός τι.

Libertum.) *Fortuna, & conditio. Apollonium.*) *Nomen. Iam tum.*) *Tempus. Et magnificiebam, & probabam.*) *A ſuo indicio, & Apollonij autoritate. Erat enim.*) Αἰτιολογία, *& cauſa ſui de liberto iudicij: & laus à uirtute, & ſtudijs. Itaq;.*) *Effectus cauſæ. Poſt mortem autem.*) *Aliud tempus, & propoſitio. Dignus fuit, quẽ in fidem, & amicitiam reciperem. Laus à uirtute; quæ amicitiæ cauſa eſt, & à iudicio Ciceronis. Quòd.*) αἰτιολογία, *ratio. Eſt enim* ἀφήγησις ἐγκατάσκευος. *Eſtq;* ἐνθύμημα, *& argumentum ab honeſto.*

Quos Craſſus patronus dilexit: & à quibus charus fuit: eos Appollonius libertus obſeruandos, & colendos putauit.

Itaq;.) *A factis eiuſdem. Et fides.*) *Laus à fide, & prudentia. Et, opinor.*) *A ſtudio, & fidelitate in Cæſarem.*

Quod

Quod cum te.) Postrema narrationis pars. profectus est
postea ad te, bellum gerentem aduersus Pompeij filios,
in Hispaniam. Suo.) Causæ impellentes. pertinet hæc
sententia ut superior, ad conciliandũ ipsum Cæsari. Cui
ego.) Ἀφήγησιν sequitur propositio τῆς πλαγίας συστά-
σεως, commendationis obliquæ: κατάστασις autem bipar
tita est: & ex ἄρσει, θέσις. Negatio est: non sum illi polli-
citus commendationem; affirmatio est: sed testimonium
mei de eo iudicij libenter ei dedi. Cui ego) Ἀπόφασις.
Non.) κατασκευὴ, ratio, κατὰ προκατάληψιν, occupa-
tione. Non quin.) Ἄρσις Sed.) θέσις, & λογισμὸς, consi-
lium. Non enim eget commendatione. Qui &.) Ἐπικα-
τασκευή. Dum autem negat, se illi dare commendatio nẽ:
interim eum diligenter commendat. Et si uti) Post ἄρσιν
σιν, negationem, sequitur ἀντιπαράστασις. Non eget cõ-
mendatione, &, si aliqua uti u lt: eam ab alijs consequi
poterit. Testimonium.) Altera propositionis pars κατ-
φατική: ut epistola μαρτυρική esse uideatur. Propositio
uerò ista ἐγκατάσκευος, ratione munita est, κατ' ἐπεμβο
λὴν, periodo simplici. Testimonium.) Ἀρχὴ, principiũ,
& inchoatio sententiæ. Quòd &.) κατάπλοκη, inter-
positio causarum, κατὰ συμπλοκὴν. Ei libenter.) Ὑπο-
στροφὴ, καὶ ἀπαρτισμὸς. Doctum igitur.) Post hanc κα-
τάστασιν, sequitur ista μαρτυρία συστατική; cuius est μι-
κρὴ ista πρότασις. Prima laus Apollonij, à doctrina, &
studijs. Nam domi.) Αἰτιολογία, ratio. Cum Diodoro.)
Al. Diodoto. Ep. 4. l. 9. Argumentum est ἔνδοξον, proba
bile, ex loco adiunctorum. Fuit multùm, à puero, cũ Dio

doro-

doro. Ergo ſtudijs optimis fuit deditus à puero. Perſonæ ſunt διδασκάλου, καὶ μαθητοῦ. Simili utitur in præfatione offic. l. 1 Cratippum Athenis annum audiuiſti. abundas igitur præceptis inſtitutisq; Philoſophiæ. Nunc autem.) Alia laus, à ſtudio ſcribendi Græcè de rebus à Iulio Cæſare geſtis. Poſſe arbitror.) Επίκρισις, iudicium Ciceronis adiectum, à facultate: nam cupiditas, & ſtudium ſunt uoluntatis. Eſtq; noua propoſitio στοχαστική: itaq; arbitror, inquit, eum poſſe. Valet ingenio) Κατασκευὴ, ratio tripartita.

A natura. Valet ingenio.

Ab experientia. Habet uſum.

A ſtudio. Iam pridem, in eo genere ſtudij, literarumq; uerſatur. Ergo poteſt res tuas Græcis literis mandare.

Satis facere.) Redit ad uoluntatem, βούλησιν. Cupit laudum tuarum immortalitati ſatisfacere. Habes.) Επίλογος teſtimonij ſuæ opinionis, & iudicij. Sed tu.) Επίτροπη, permiſsio. Et tamen.) Poſt teſtimonium, præter expectationem, ſubijcit ad extremum σύστασιν, commendationem, loco rogationis. Quicquid) Υπόσχεσις, promiſsio, ἐπιφωνηματικῶς.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΡΟΣΦΩΝΗτική.

CAPVT. XXIIII.

COMMENDATIONI ſubijcitur, mea quidem ſententia, προσφωνητικὴ ἐπιστολὴ, quam

nostri uocant Dedicatoriam. *Græci, ut est apud Ciceronem, tales uel appellationes, uel dedicationes, nominant* προσφωνήσεις : Latini *præfationes: & alij* Græcos *secuti, &* Ciceronem, προλεγόμενα. *Cuiusmodi sunt epistolæ, uel quæ harum speciem quandam habent,* προθέσεις, *principia, atq; uestibula librorum: quos scriptores ad aliquos tanquam* Mecœnates, *atq; patronos mittere consueuerunt: & in eorum ipsorum apparere uolunt nomine. Talis, inter alias,* προσφώνησις M. *Tullij, ad Filium est, proposita libris officiorum:* προσφωνοῦμεν, *inquit,* περὶ τοῦ καθήκοντος. *Sed huius generis, quod omnibus est usitatissimum scriptoribus artificium longius patet: quàm ut hoc tempore queat explicari. Dabitur fortassis,* Christo *uolente, & adiuuante hæc nostra qualiacunq; studia, occasio, peculiarem de* Nuncupatorijs, *ut hodie loquuntur, epistolis, librum conficiendi. Partes præcipuas earum, breuissimo* Diagrammate *comprehendemus. Cætera dabimus obseruationi.* Aristides Adrianæus ἀναθετικὴν *uidetur hanc formam cognominasse. Cuius præclara est sententia:* τοὺς μὲν νεὼς τοῖς θεοῖς προσήκει καθιεροῦν ; τοὺς δὲ ἄνδρας τοὺς ἐλλογίμους τῇ τῶν βιβλίων ἀναθέσει τιμᾶν. *Vt enim conuenit* DEO *templa dicare, & consecrare: sic uiros claros, atq; illustres par est librorum dedicatione honorare.*

Ad Attic. lib. 16.

Ad eundem l. 13. cui (Brute) προσφωνῶ.

Σχη-

Σχηματισμός.

Προσφώνησις ergo sumitur tum à

- Re,
  - Aliena, ἐκ τῶν πρεσβυτέρων, quæ tamen ad nostram causam, μετὰ τὴν ἀπόστασιν, aptè potest accommodari.
  - Propria, nulla re longius aliundè accersita: hæc ἐπίδειξιν, & σύστασιν, laudationem, & commendationem habet, sed & ueram, & uerecundam: non θρασονικήν.
- Persona,
  - Nostra, quæ cõstat præcipuè
    - Καταστάσει τῆς ἀναθέσεως, propositione dedicationis, & commendationis.
    - Αἰτιολογίᾳ rationũ, & causarum: Nuncupationis illius expositione.
    - Ἀξιώσει, rogatione.
    - Ὑποσχέσει, pollicitatione.
  - Eius sub cuius nomine uolumus nostra apparere
    - Non κολακείᾳ, adulatione: qua multi nunc Gnathones utuntur.
    - Sed ἐπαίνῳ, laude uera quam etiam non ambitiosus laude dignißimus, sine offensione potest admittere.

AD COMMENDATIONEM
respondendi ratio.

QVI *ad commendatitias respondent literas: ij si commendationes diligenter obseruant, initiò paucis repetunt illarum sententiam ; deinde promittunt, se facturos, quod ille petierat.* Inter*dum etiam addunt laudationem commendati.* Partes igi*tur ἀντιγραφῆς πρὸς τὴν σύστασιν, præcipuæ sunt: ἡ ἐπανάληψις, & ἡ ὑπόσχεσις, tertia est accersita, ἡ ἐπίδειξις, laudatio personæ, quæ fuit commendata.*

Cicero, ad Atticum.

Ἀποδοχή. Numestium libenter accepi in amicitiam: & hominem gravem, & prudentem: & dignū tua commendatione cognovi.

Hic *nulla est ὑπόσχεσις, sed ἀφήγησις, ἢ ἔνδειξις effectus commendationis, commendatum abs te libenter accepi in amiciti.* Huic propositioni *subijcit κατασκευήν, à laudatione* Numestij,

Aliud exemplum.
lib. 9. fam. ep. 5.

Mixta est epistola. Primum *autem à Pæto commendatum, ait sibi curæ etiam atq; etiam fore.* Deinde *monet, ut omninò ad cœnas, & conuictum amicorum redeat.* De*mum concludit seriò; nihil* Repub. *sibi esse antiquius.*

M.T.

M. T. Cicero Papirio S. D.

RVfum iſtum, amicum tuum, de quo iterum iam ad me ſcribis, adiuvarē quantum poſſem: etiamſi ab eo læſus eſſem. quum te tantoperé viderem eius cauſa laborare. Quum veró & ex tuis literis, & ex illius ad me miſsis intelligam, & iudicem: magnæ curæ ei ſalutem meam fuiſſe: non poſſum ei non amicus eſſe: neq; ſolum tua commendatione, quæ apud me, ut debet, valet plurimū: ſed etiam voluntate, ac iudicio meo. Volo enim te ſcire, mi Pæte: initium mihi ſuſpicionis, & cautionis, & diligentiæ, fuiſſe literas tuas: quibus literis congruentes fuerunt aliæ poſtea multorum. Nam & Aquini, & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me: quæ te video inaudiſſe: & quaſi divinarent, quàm his moleſtus eſſem futurus: nihil aliud egerunt: niſi me, ut opprimerent. Quod egó non ſuſpicans incautior fuiſſem: niſi à te admonitus eſſem. Quamobrem iſte tuus amicus apud me commendatione non eget. Vtinam ea fortuna Reip. ſit: ut ille me quàm gratiſſimum poſſit cognoſcere. Sed hæc hactenus. Te ad cœnas ire deſiſſe moleſté fero. Magna enim te delectatione & voluptate privaſti. Deinde etiam vereor (licet enim verum dicere) ne, neſcio quid illud, quod ſolebas, dediſcas: & obliviv-

ſcare cœnulas facere. Nam ſi tum, quum habebas quos imitarere, non multùm proficiebas: quid nunc te facturum putem? Spurina quidem, quum ei rem demonſtraſſem: & vitam tuam ſuperiorem expoſuiſſem: magnum periculum ſummæ Reipub. demonſtrabat: niſi ad ſuperiorem conſuetudinem, tum, quum favonius flaret, revertiſſes: hoc tempore ferri poſſe: ſi forte tu frigus ferre non poſſes. Sed me Hercule, mi Pæte, extra iocum, moneo te: quod pertinere ad beatè vivendum arbitror: ut cum viris bonis, iucundis, amantibus tui vivas. Nihil eſt aptius vitæ: nihil ad beatè vivendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero: ſed ad communitatem vitæ, atq; victus, remiſſionemque animorum; quæ maximè ſermone efficitur familiari: qui eſt in conviviis dulciſſimus: ut ſapientius noſtri, quàm Græci illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes, aut concœnationes, nos convivia, quòd tum maxime ſimul vivitur. Vides, ut te philoſophando revocare coner ad cœnas? Cura, ut valeas. id foris cœnitando faciliмè conſequere. Sed cave, ſi me amas, exiſtimes: me, quòd iocoſius ſcribam, abieciſſe curam Reipub. Sic tibi, mi Pæte, perſuade: me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare niſi ut mei cives ſalvi, liberiq; ſint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, providendi. Hoc
denique

denique animo ſum: ut, ſi in hac cura, atque adminiſtratione, uita mihi ponenda ſit: præclarè actum mecum putem. Vale.

*Eſt ἀντιγραφή, ad συστατικὴν, & ἐπαγγελτικὴν, & ſubijcit προτροπικὴν εὐτράπελον. Reſpondet enim ad commendatitias Pæti, & eiuſdem nunciationem: qua ſignificauerat Ciceroni: ſe deſijſſe foris cœnare. Deinde hortatur Tullius Papirium: ut hanc intermiſſam, & relictam foris cœnandi conſuetudinem redintegret: & animi relaxandi gratia, concœnationes, atq; conuiuia celebret. Rufum.) Propoſitio una, ἠθική. Cum te tantopere) Ratio. Cum uerò.) Altera propoſitio utrinq; munita, & primũ ἀπὸ τοῦ πρώτου, cauſas exponit cur Rufum ualde commendatum habere debeat. Quia magnæ curæ ſalus ſua illi fuerit. Non poſſum non.) Ipſa propoſitio: quæ continet ὑπόσχεσιν, promiſsionẽ officij. Cogor ei amicus eſſe. Neq; ſolum.) κατασκευή, ἐκ τοῦ τρίτου, συμπλοκῆ ἐξ ἀναιρέσεως. Copulat enim duas cauſas: commendationem Pæti, & ſuam uoluntatem, atq; iudicium. Valet plurimum.) Idem, epiſt. 19. l. 2. Volo enim te ſcire.) Ἐπικατασκευή, rationis cõfirmatio, et ἀφήγησις, narratio Pæti in Ciceronem officiorum. Loquitur autem de Catilinæ temporibus. Nam &.) αἰτιολογία, qua explanat quod dixit. Aquini, & Fabrariæ.) Oppida ſunt Italiæ. Conſilia inita contra me.) Inſidiæ poſitæ. Inaudiſſe.) Inaudire de rebus occultis dicitur. Quamobrem iſte tuus.)

Conclusio Vtinam.) Addit εὐχὴν, uotum. Ea fortuna) Quia suas uires amiserat Respub. ciuilibus bellis afflicta. Sed hæc hactenus.) Transitus ad alteram partem. Te ad cœnas.) Propositio. Itare.) Frequentare. Magna enim.) Ratio, ἀπὸ τοῦ ἀνικήτου. Deinde.) Altera est ratio, ἐκ τοῦ ἀνωφελοῦς. Licet enim.) Προεπίπληξις, & ἐνδείξεις. Et obliuisc.) Ερμηνεία, interpretatio. Nam.) Ratio à minore, καθ' ὑπόθεσιν. Imitarere.) Cum scilicet eorum cœnas uideres. Est autem iocatio in illa dehortatiuncula. Spurina.) Augur. Est confirmatio instituti ioci, κατ' ἀφήγησιν, narratiuncula iocosa. Ferri—Ferre.) Similitudo uerborum, qua ludit, & iocatur. Sed me Hercule.) Προτροπὴ, hortatur enim Pætum seriò, ad hilariorem uitæ consuetudinem: ut cum uiris bonis uiuat. Bonis,) Ep. 21. l. 5. Nihil est.) Αἰτιολογία, ratio, per comparationem ἀποφατικὴν τὴν καθόλου. Nec id.) Κατασκευὴ, κατὰ πρόληψιν, confirmatio per occupationem. Locus est communis, ab utili, & iucundo. Communit.) Ad comitatem. Vt sapientius) Notatio & interpretatio uerborum. Vides.) Clausula iocosa. Philosophando.) Argumentando: quia usus est rationibus multis. Cura ut ualeas.) Valedictio. Id.) A facili. Sed caue.) Προσθήκη, κατὰ πρόληψιν: à ioco autem ad seria se conuertit. Propositio. Non abieci curam Reipublicæ. Sic tibi.) Ratio, ualde ἠθικὴ, & πολιτικὴ, à fine τοῦ πολιτευομένου, ut ciues sint liberi, & salui.

A natura hominis: qui est ζῶον πολιτικὸν Aristoteli.

Nullum locum.) Αὔξησις, amplificat enim hanc suã curam, & sollicitudinem. Atq; hæc tria in optimo gubernatore,

bernatore, & ciue requiruntur. Hoc deniq;.) Ἐπιφώνημα. Extant respondendi ad commendationem elegantiß. exempla: Famil. lib. 5. epist. 11. Grata tibi esse officia mea, &c. item, lib. 15 epist. 14. M. Fabium, quòd, &c. sed ea mixta est, & uaria.

ALIVD EXEMPLVM.

C. Plinius Tacito suo S. lib. 1.

COmmēdas mihi Iulium Nasonem Candidatum. Nasonem mihi? Quid si meipsum? Fero tamen, & ignosco. Eundem enim commendassem tibi: si te, Romę morante, ipse abfuissem. Habet hoc solicitudo: quòd omnia necessaria putat. Tu tamen censeo, alios roges. Ego precum tuarum minister, adiutor, particeps ero. Vale.

Commendas.) Ἐπανάληψις, qua paucis repetit præcipuam partem Taciti literarum. Nasonem mihi.) Θαύμασις, admiratio loco τῆς ὑποσχέσεως, pollicitationis. Quid, si.) Ergo commendatißimus mihi erit. Eundem enim.) Ratio. Ac ostendit, non solum magnum pondus apud se habuisse Taciti commendationem: uerum non fuisse tam diligenti scriptione opus. propterea quòd antea hic Iulius Naso commendatißimus sit. & ita commendatus: ut si Iulius uoluerit, se commendari Plinio: ipse sua sponte eum fuerit de meliore nota commendaturus; &, ut in prouerbio est, tanquam de manu sua, in il-

lius manum traditurus. Habet hoc.) Αἰτιολογία *ratio* θετικὴ, *infinita, à causa impellente. Tu tamen.) Conclusio. Alios roga: me rogare noli. Ego.)* Ὑπόσχεσις, *pollicitatio.*

Aliud eiusdem Plinij, superiore illustrius.

C. PLINIVS, SABINO SVO. S.

ROgas, vt agam Firmanorum publicam causam. Quod ego, quanquam pluribus occupationibus distentus, adnitar. Cupio enim, & ornatissimam Coloniã, aduocationis officio, & te grauissimo tibi munere, obstringere. Nam cum familiaritatem nostram, vt soles prædicare, ad præsidium, ornamentũq; sumpseris: nihil est, quod negare debeam: præsertim pro patria petenti. Quid enim precib. aut honestius pijs, aut efficacius amantis? Proinde Firmanis tuis, ac iam potius nostris, obligo fidem meam. quos laborare, & studio meo dignos: cum splendor ipsorum, tum hoc maximè pollicetur: quòd credibile est: optimos esse: inter quos tu talis extiteris. Vale.

Rogas, ut.) Ἐπανάληψις, *repetitio argumenti literarum Sabini. Quod ego.) Respondet liberaliter,* καθ᾽ ὑπόσχεσιν. *Cupio enim.)* Κατασκευὴ, *ratio. Est enim argumentosa pollicitatio, &* ἠθικὴ, *à sua, Firmanorum, & Sabini persona. Nam cum)* Ἐπικατασκευὴ, *confirmatio ex eodem loco. estq; laus Sabini. Quid enim.)* Ἐπεξεργασία, *exornatio,* γνωμολογία *sententia generali, per*

inter-

rogationem:ab honesto,& utili. Proinde.) Epilogus, cum obligatione, & pollicitatione. Potius.) Ἐπανόρθωσις, correctio. Quos.) Αἰτιολογία, ratio à persona commendatorum, eorumq́; ampla sanè laus: quam cum Sabino communicat.

Hactenus epistolæ dispositio. Sed non solum partes epistolarum considerandæ sunt. Cuiusmodi sunt, ἐπανάληψις, repetitio petitionis Sabini, commendantis causam Firmanorum: & ὑπόσχεσις, pollicitatio, uel delatio sui officij argumentosa, & postea conclusa iteratione pollicitationis, & quasi sponsionis: uerum oportet etiam genus compositionis diligenter intueri. Nam si non incisim, aut membratim loquimur in epistolis: certè periodis utendum est. Sed illæ debent breuiores esse: quàm in orationibus ciuilibus. Ergo Plinius incipit à tribus periodis, tanquam membris: sed posterioribus circumductis: aut propter ἐπεμβολὴν, uerborum, & sententiarum, aut propter incisionem, ut in primo circuitu. Ex quo apparet, quàm rotundus sit in Epistolis suis hic C. Plinius. Iam tertia periodus est superioribus magis dilatata: ita ut duorum membrorum esse uideatur, propter uerbi ad clausulam traiectionem. Quod si usus fuisset uerbo idem significante: aut μεσοζεύγματι: omninò duorum membrorum fuisset conuersio. Deinceps, post periodos simplices, sed ueluti gradatim dilatatas, & explicatas, sequitur nouum compositionis genus; scilicet δίκωλον duorum membrorum. Nam πρότασις, propositio bimembris circuitus est dilatata, ἐπεμβολῇ, interiectione

lau-

laudationis Sabini. Sequitur ἀπόδοσις breuior, & decurtata. Sed hanc decurtationem, aut βραχυκωλίαν, aut μυουρίαν, correxit Plinius, κατὰ τὴν ἐπισύναψιν, adiectione alterius membri, præſertim pro patria petenti. Subijcit continenter ἐπιφώνημα, acclamationem κατ' ἐρώτησιν, per interrogationem fiduciæ cauſa. Quid enim precibus, aut honeſtius pijs, aut efficacius amantis? Eſtq; δίκωλος περίοδος. Epilogi uice ſubijcit ampliſsimam pollicitationem, & ueluti ſponſionem. Græci uocant μεγαλοπρεπῆ ὑπόσχεσιν. Proinde Firmanis tuis.) Sequitur conuerſio ſimplex: cui κατὰ πρόσαψιν, quatuor membrorum ambitum adiungit. in quo ſunt cauſæ: quamobrē Plinij labore & ſtudio digni eſſe uideantur. Earum cauſarum altera uera eſt, altera uériſimilis: id quod ἐνθύμημα στοχαστικὸν demonſtrat. Studioſorum eloquentiæ eſt: has Plinij cum Ciceronis componere, atq; conferre.

ALIA RATIO, AC VIA RESPONdendi, uel ad ἀντεπισταλτικὴν commendatitiarum, uel ad præſtita à nobis commendato, officia.

CAPVT XXV.

Conſtat hæc ratio duabus præcipuè partibus: εὐχαριστίᾳ, καὶ ὑποσχέσει, gratiarum actione, & pollicitatione. Quanquam ſæpe ἡ δευτέρα σύστασις, altera commendatio additur. Sed tota tractatio ex ſubiectis exemplis optimè poterit cognoſci.

ARG.

ARG. Primum agit gratias Sulpitio, quòd Lysonis commendationem acceperit: & quod se totũ Lysoni remiserit: deinde rogat, ut eundem omnibus officijs, omniq; liberalitate complectatur.

Cicero S. D. Sulpicio.

CVm antea capiebam ex officio meo voluptatem: quòd memineram, quàm tibi diligenter Lysonem, hospitem, & familiarem meum commendassem: tum verò, postea quàm ex literis eius cognoui: tibi eũ falsò suspectum fuisse: vehementissime lætatus sum: me tam diligentem in eo commendando fuisse. ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationẽ maximo adiumento fuisse: quòd ad te delatum diceret, sese cõtra dignitatem tuã Romæ de te loqui solitum esse. de quo, etsi pro tua facilitate, & humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamen primùm, vt debeo, tibi maximas gratias ago: cum tantum literæ meæ potuerunt: vt, ijs lectis, omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone magis, quàm pro omnibus, scribere: hominem esse neminem: qui vnquam mentionem tui, sine tua summa laude fecerit. Lyso verò cum mecum propè quotidie esset, vnaq; viueret: non solũ, quia me libenter audire arbitrabatur: sed quia libentius ipse loquebatur: omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. quapropter, etsi à te ita tra-

Propositio. Gratias tibi ago: quod Lysonem receperis.
Ratio.
Κατασκευὴ στοχαστική.
Nihil cõtra te deliquit Lyso

Est'q; comparatio: & testimonium. tractatur: vt iam non desideret commendationem meam: vnisq; se literis meis omnia consecutum putet: tamen à te peto maiorem in modum, vt eum etiam atque etiam tuis officijs, liberalitate complectare. *Epilogus & repetitio commendationis.* scriberem ad te, qualis vir esset: vt superioribus literis feceram: nisi eũ iam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer. Vale.

Cum.) Πρόσληψις, & πάθος. *Gaudebam antea: nunc magis gaudeo.* Officio.) *Cum eum commendauit. Epist. 19.* Officijs, liber.) Ἔλλειψις, *omissa* συμπλοκῇ, *copula, ut epist. 28. & lib 5. epist. 17. & 1. Acad. Sermones Socr. perscripti uariè, copiose, &c.*

ALIVD EXEMPLVM.

ARG. *Gratias agit Sulpicio, quòd Aemilium Auianum liberaliter, honorificeq; tractasset: eundemq; denuo commendat. laudat in extremo Seruium filium.*

Cicero S. D. Sulpitio.

Εὐχαριστική. Exordij πρότασις ab occupatione. Licet, eodem exẽplo sœpius tibi huius generis literas mittam: cum gratias agam: quod meas commẽdationes tam diligenter obserues: quod feci in alijs: & faciam, vt video, sæpius: sed tamen non parcam operæ: & vt vos in vestris formulis, sic ego in epistolis, de eadem re alio modo. C. Auianus igi- *Narratio. De quo epist. 2.*

tur

tur Ammonius incredibiles mihi gratias per literas egit: & suo, & Aemilij Auiani, patroni sui, nomine: nec liberalius, nec honorificẽtius potuisse tractari: nec se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. id mihi cum iocundum est eorum causa: quos ego tibi, summa necessitudine, & summa coniunctione adductus, commendaueram: quòd M. Aemilius vnus est ex meis familiarissimis, atque intimis maximè necessarius: homo & magnis meis beneficijs deuinctus: & prope omnium, qui mihi aliquid debere videntur, gratissimus: tum multo iocundius: te esse in me tali volũtate: vt plus prosis amicis meis: quàm ego præsens fortasse prodessem. credo, quòd magis ego dubitarẽ: quid illorum causa facerẽ: quàm tu, quid mea. sed hoc non dubito, quin existimes mihi esse gratum: illud te rogo: vt illos quoque gratos homines esse putes: quod ita esse tibi promitto, atque confirmo. quare velim, quidquid habent negocij, des operam, quod cõmodo tuo fiat, vt te obtinente Achaiam conficiant. Ego cum Seruio iocundissimè, coniunctissimeq; viuo: magnamq; cum ex ingenio eius, singularique studio, tum ex virtute, & probitate voluptatem capio. Vale.

Ευχαριστία.

Επίδειξις.

Αξίωσις.

Epist. 26.

Pars ἐπαγγελτικὴ, καὶ ἐπαινετική.

Etiam lib. 4. epist. 4. disiungit uirtutem à doctrina.

ARG. Agit gratias de Meßinio humanißimè tractato, rogatq; ut sua in eum beneficia, quibus rebus poßit, augeat. commendat etiam Lacedæmonios.

Cicero

Cicero S. D. Sulpitio.

Πρότασις συ-χαριστική.

ETsi libenter petere â te soleo: si quid opus est meorum cuipiam: tamen multò libentius gratias tibi ago: cùm fecisti aliquid commẽdatione mea: quod semper facis.

Κατασκευή.

Incredibile est enim: quas mihi gratias omnes agant: etiam mediocriter à me tibi commendati. quę mihi omnia grata: sed de L. Messinio gratissimum. sic enim est mecũ locutus: te, vt meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia: multò verò plura, & maiora fecisse. Id igitur (puto enim etiam atque etiã mihi dicendum esse) velim existimes: mihi te fecisse gratissimum. quod quidem hoc vehementius lætor: quòd ex ipso Messinio te video magnam capturum voluptatem. est enim in eo cũ virtus, & probitas, & summum officium, summaq́ obseruantia: tum studia illa nostra, quib. antea delectabamur, nunc etiam viuimus.

Ευχαριστία, συγκρίσει. Αιτιολογία, ἀφηγήσει. Επιφορά, αὐξήσει. Επίλεξις. Epist. 2 lib. 9. à quibus antea delectationem modo petebamus, nũc vero etiam salutem.

Αξίωσις.

Quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus: quę te erunt dignæ, sed duo, quæ te nominatim rogo: primùm, vt, si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non petitur, cures, vt satis detur fide mea: deinde cum ferè consistat hæreditas in ĳs rebus, quas auertit Oppia: quæ vxor Mindĳ fuit, adiuues: ineasq́ rationem: quemadmodum ea mulier Romam perducatur. quod si putarit illa fore: vt opinio nostra est, negotium conficiemus.

hoc

hoc, ut assequamur, te vehementer etiam atq; etiam rogo. Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo, in meq; recipio: te ea, quæ fecisti Messinij causa, quæq; feceris, ita bene collocaturum: ut ipse iudices, homini te gratissimo, iocundissimo benigne fecisse. volo enim ad id, quod mea causa fecisti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipsi sua, maiorumq; suorum auctoritate satis commendati sint fidei, & iustitiæ tuæ: & ego qui te optime novissem, non dubitavi, quin tibi notissima & iura, et merita populorum essent. itaq;, cum à me peteret Philippus Lacedæmonius: ut tibi civitatem commendarem: etsi memineram me ei civitati omnia debere: tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere, itaque sic velim existimes: me omnes Achaiæ civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices: quod tu ijs præsis: eundemq; me ita iudicare: te, quod unus optimè nosses non nostra solū, sed etiam Græciæ monumenta omnia, tua sponte amicum Lacedæmonijs & esse & fore. Quare tantum à te peto, ut, cum ea facies Lacedæmoniorum causa, quæ tua fides, amplitudo, iustitia postulat: his, si tibi videbitur, significes, te non molestè ferre, quòd intelligas, ea, quæ facias, mihi quoque grata esse. pertinet enim ad officium meū: eos existimare, curæ mihi suas res esse, hoc te vehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

Sic loc. Tusc. 1. & l. 1. de nat.

Ὑπόσχεσις.

Omissa copula, ut ep. 24.

Forte, initium epistolæ fuit.

Σύστασις.

Ep. 2. l. 6. dixit pro malis temporum: et, ut in malis, ep. 2. l. 12. & ep 16. lib. 11. ad Att.

Ἀξίωσις.

Pro dignitate.

Ὑπόσχεσις.

Ἐπαξίωσις.

ARG. Gratias agit & suo, & Pompeij nomine de Lucceio benignißime tractato, eundemq; denuo commendat.

Cicero S. D. L. Culleolo.

Quæ fecisti L. Luccei causa: scire te plane volo: te homini gratissima commodasse, & cum ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotiescunque me videt, (videt autem sæpissime) gratias tibi agit singulares. addo etiam illud: quod tibi iocundissimum esse certò scio: me ipsum, ex tua erga Lucceium benignitate, maxima voluptate affici. Quod superest, quanquam mihi nō est dubium, quin cum antea nostra causa, nunc iam etiam tuæ constantiæ gratia mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto: ut ea, quæ initio ostendisti, deindeque fecisti, etiam ad exitum augeri, & cumulari per te velis: id & Lucceio, & Pompeio valde gratum fore, reque apud eos præclare positurum, cōfirmo & spondeo. De rep. deque his negotijs, cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter, paucis ante diebus: easque literas dederam pueris tuis. Vale.

Εὐχαριστία, gratiarum actio. Ep. 2. 3. & 5. l. 6.

[illegible]λησις συ- [illegible].

Ὑπόσχεσις.

Προκαταλή- ψει abrumpit epistolam.

ARG. Primum agit gratias Thermo, quòd Marcilium liberalißimè tractauerit: deinde petit, operam det, ne socrus Marcilij rea fiat.

Cicero

Cicero S. D. *Thermo propræt.*

CVm mihi multa grata sunt: quæ tu, adductus mea commendatione, fecisti: tũ in primis, quòd M. Marcilium, amici, atq; interpretis mei filium, liberalissimè tractavisti. venit enim Laodiceam: & tibi apud me, mihiq; propter te, gratias maximas egit. Quare, quod reliquum est, à te peto: quando apud gratos homines beneficium ponis: ut eò libentius his commodes: operamq; des: quoad fides tua patietur: ut socrus adolescentis rea ne fiat. ego cum antea studiose commendabam Marcilium: tum multò nunc studiosius: quòd in longa apparitione singularem, & prope incredilem patris Marcilij fidem, abstinentiam, modestiamq; cognovi. Vale.

Εὐχαριστία προσλήψει.

Quæ erat in imperio Ciceronis. ep. 5. lib. 1.

Ἀξίωσις.

Σύστασις.

Interpretes igitur præibant in prouincia pro consulibus.

DE RATIONE ALTERVM *per literas consolandi, siue de epistola consolatoria.*

CAPVT. XXVI.

HANC *epistolæ formam Græci* παραμυθητικὴν, *&* τύπον παραμυθητικὸν *nominant: consolantem scilicet mœrentem, eiusq; dolorem leuantem, aut omnino tollentem.* Cicero *ad* T. P. *Atticum literas consolatorias appellat, lib.* 13. *Quidam sic definit:* παραμυθητική ἐστι, δι' ἧς πα-

ραμυθούμεθά τινα, ἐπὶ τοῖς συμβᾶσιν αὐτῷ λυπηροῖς. Hac enim alterius animum afflictum, & affectum aduerso, tristiq; casu, erigere, & confirmare conamur. Itaq; alius isto modo describit: Παραμυθητικὸς τύπος ἐστὶν, ὁ γραφόμενος τοῖς ἐπὶ λύπαις καθεστηκόσι. Scribitur enim ad eos, qui ob aduersam fortunam, & calamitatem, miserias, atq; ærumnas, in grauissimo luctu sunt constituti. Græci igitur consolationem nominant παραμυθίαν, παρηγορίαν, καὶ παράκλησιν, & παραμύθιον solatium non paruum, quod affertur malorum omnium, οὐ μικρὰν παραμυθίαν τῶν ἁπάντων δεινῶν. Ergo consolatio τὸ πρός τι, est alicuius consolandi consolatio. Est enim eius fundamentum, & τὸ ἀντιστρέφον est, consolandus, seu persona dolens, mœrens, lugens aduersum casum. Terminus est, ut sit huius mali solamen: ut dolorem leuet: mœrorem minuat: leniat desiderium. Et consolantis est, consolationem adhibere, solatium præbere, consolatione aliquem sustentare: dolorem, aut fletum abstergere: quod propriè uerbis, & oratione fit, aut etiam scripto. De quo nunc agimus. Ex quibus perspicuum est, proprium istarum literarum munus, & scribentis peculiare officium esse: alterum fortuna aduersa laborantem, aut penè oppressum consolari, eius mœrorem minuere, si tollere nequeat: eumq; in spem meliorem erigere. Sed causæ, quæ impellunt scribentem, sunt τὰ συμβάντα λυπηρά, tristis aliquis casus: qui & frangit animum eius: qui fortunæ aduersæ penè succumbere uidetur: & perpessus est casum aduersum:

Παρηγορητική, καὶ παρακλητικὴ ἐπιστολή.

&,

& simul etiam amicum scribentem incitat, atq; impellit ad mittendam consolationem. Sequuntur exempla ἀόριστα, Generalia, quæ extant apud Græcos. Sed facile accommodari, & applicari possunt ad causas, & personas finitas, & certas.

PRIMVM EXEMPLVM.

Συμφοραῖς πυθόμενός σε περιπεπτωκυῖαν μεγίσταις: συνήλγησα μὲν, καὶ συναλγῶ σοι σφόδρα, διὰ τὸν τῆς φιλίας ὅρον. παρακαλῶ δὲ πάνυ σε λύπῃ διὰ τὸ τῶν δεινῶν πένθος καταβαπτίζεσθαι.

Quorum uerborum sensus est: Intellexi, te in maximas calamitates incidisse. Quamobrem, ut uehementer dolui: sic tecum ualdè adhuc doleo. Hactenus propositio consolationis, quam orditur à breui narratiuncula causarum, & effectorum. Causa est, amici aduersus, & tristis casus. Effectus est ἡ συμπάθεια, non tantum πάθος, ἢ λύπη, communis dolor. Hæc συμπάθεια ad amici mœrorem minuendum, & leuandum dolorem, magnum adfert momentum. Continenter subijcit rationem, κατασκευὴν, huic propositioni. Quæ ratio sumitur à mutua beneuolentia, quæ amicitiæ quasi terminis est circumscripta. Tertia, & postrema pars, est παρακλητικὴ. Habet enim non tam consolationem, quàm cohortationem: qua animum illius mœstum erigit, atq; confirmat. Veruntamen te etiam atq; etiam hortor: ne totum angoribus te conficias: neq; committas: ut dolore casus

aduersi succubuisse, & quasi submersus esse uidearis.

Ex hoc Rhetorico, & Scholastico exemplo Græcorum, præcipuæ consolationis partes facile animaduerti possunt: cuiusmodi sunt: Breuis narratiuncula, casus aduersi nostri amici, ad quem scribimus: ἔνδειξις τῆς συμπαθείας, significatio communis doloris: Qua in parte, ad dolorem sedandum, uehementer est efficax, & magni momenti, commemoratio nostræ amicitiæ; multis beneficijs iam olim confirmatæ. Vt enim amicus amici uicem in aduersa fortuna ualdè dolet: sic etiam eius rebus secundis uehementer gaudet: quin etiam maiori afficitur uoluptate; si amico melior aspiret fortuna.

ALIVD EXEMPLVM.

ALterius Græci cuiusdam est productius paulò exemplũ: sed ualdè Rhetoricum: Ἀκούσας τὰ δεινὰ τῆς ἀχαρίστου σοῦ τύχης ἀπηγγελμένα, καθ' ὑπερβολὴν ἤλγησα. Hactenus propositio, quæ, ut illa, habet causam, & effectũ in eadem periodo coniuncta. Nam postea quam mihi, inquit, significatum est, de tuo aduerso casu: & fortuna tibi inimica: maximũ sanè ex ea recepi dolorem. Subijcit κατασκευὴν, rationem. νομίσας οὐ σοὶ μᾶλλον, ἢ ἐμοὶ συμβεβηκέναι τὸ γεγονὸς, propterea quòd existimaui, non tam tibi, quàm mihi hunc aduersum casum accidisse. Mox subijcit ea, quæ accommodatißima, & efficacißima sunt ad consolandũ. Post proximam sententiam, quæ habuit κοινότητα, communitatem,

nitatem, doloris utriusq; ueluti societatem; sequitur argumentatio consolationis plena: ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν ἅπαντα ἰδὼν τὰ πρὸς τὸν βίον ἐστῶτα συνεφώρασον A l συνέφερον.) Primum argumentum est ductũ ex communi loco, & communitate sortis omnium mortalium. Itaq; eo die, inquit, animo perlustrans communẽ omnium mortaliũ statũ: reperi uitam hominum omniũ his communibus naturæ casibus, & euentibus esse expositam. Aliam deinceps subijcit rationem: νενοηκὼς δὲ, ὅτι τὰ τοιαῦτα, πᾶσιν ἐστὶν ὑποκείμενα τῆς φύσεως: οὔτε χρόνον, οὔτε ἡλικίαν ὑφισταμένης, καθ' ἣν δεῖ τι πάσχειν: ἀλλ' ἀδήλως μετὰ σκαιότητος οὐκ ἀξίως πολλάκις ἀπαντώσης. ἐπεὶ μὴ παρὼν τετύχηκα, παρακαλεῖν σε διὰ ἐπιστολῆς ἔκρινα, τοῦτο ποιῆσαι. Ergo post argumentationem, sub cuius finem grauiter fortunam accusauit, quæ neq; temporis, neq; ætatis, aduersorũ casuum ferendorũ ullam rationem ducat: sed plerunq; indignis modis, præter meritum, afflictos, ueluti ex improuiso, & propterea inscios, conetur opprimere. Hinc ipsa κατάστασις, propositio consolationis. Quoniam, inquit, abes: cõstitui ad te hæc perscribere: ut eadẽ cogitares, atq; meditareris. Sequitur cohortatio ad patientiam, & animi magnitudinẽ. Φέρε γοῦν τὸ γεγονὸς, ὡς δυνῇ κουφότατα. Tollera igitur animo magno id, quod accidit: tibi aduersum, ac fortiter, uim ipsius fortunæ sustine. Ratio seqtur huius cohortationis, Ciceroni admodũ familiaris: καὶ καθὼς ἄλλῳ παρῄνεσας, σαυτῷ παραίνεσον. Quemadmodũ enim alios cum laude hactenus cohortatus es, ad tolerantiã eorũ, et

patientiam in rebus afflictis: sic te ipsum nunc, tuo in casu aduerso, fac ut confirmes, & consoleris. Concludit deinceps, rationis confirmatione subiecta: ἐπίσταται γὰρ, ὅτι τὸ μέλλον χρόνῳ κουφιεῖν σε, τοῦτο ὁ λόγος σὺ μαρέστερον ποιήσει. Non enim te fugit id, quod à tempore molliendum, & leniendum est, literis facilius animos mœrore afflictos eodem deduci, id est, ut dolorem mitigent. Ergo sententiæ in hoc genere, aliæ sunt προκατάσκευοι: id est, quæ pertinent ad confirmandum; cum scilicet rationibus, & argumentis lenire dolorem alterius conamur. Aliæ sententiæ, & propinquæ his, sunt ἀνασκευαστικαὶ, refellentes id, quod is, quem consolari cupimus, potest nobis opponere. Postremæ sententiæ sunt ἐπιλογικαὶ, propriæ conclusionis; cuiusmodi sunt παραινετικαὶ, cohortantes illum ipsum ad pristinam uirtutem ἀρετὴν, id est, ad animi magnitudinem, & μάθησιν, doctrinam, & propterea ad tolerantiam, ὑπομονὴν: quæ maximè cernitur in rebus aduersis. Itaq; hæc pars rectè appellatur à Græcis παραθαῤῥυντική, qua confirmamus alterius animum, & ueluti iacentem erigimus; imò animum addimus ei, qui iam uidebatur animo succubuisse. Sed huic etiam solet Cicero generi sententiarum plærunq; subijcere pollicitationem. Ergo & nos illi deferemus, quem consolari uolumus, & ipsius liberis, omnibusq; eius amicis, & necessarijs, omnem operam, ac studium, atq; officium. Hæc igitur ἐπιλογικὰ sunt. Sed antequam ad alias partes huius generis transeamus; & ut idea, & forma consolatoriæ epistolæ, id est, consolationem

Sententiarũ in consolatione genera præcipua.

1. Προκατάσκευοι.

2. Ἀνασκευαστικαὶ.

3. Ἐπιλογικαὶ.

Προτροπή

παραθαῤῥυντική.

Μεγαλοψυχία.

Μάθησις.

Ὑπομονή.

Dolor in metu est: qui tollitur, aut lenitur contrario motu, scilicet fiduciæ: quæ cum spe est coniuncta.

nem

nem ſcribentibus, animo obuerſetur noſtro: diligenter, inter cæteras περιστάσεις, & attributiones, ſpectari debent perſonæ, & ipſæ res, uel cauſa impellēs nos ad ſcribendum, quæ Græcis προκαταρκτικὸν αἴτιον dicitur.

Attributiones in hoc genere conſiderandæ.

Perſonarum alia eſt, quæ conſolatur, id eſt, ſcribit epiſtolam παραμυθητικὴν, & παρακλητικήν: alia eſt perſona, quam nominamus conſolandam: cuius dolorem ſtudemus lenire literis noſtris, & illius mederi ægritudini.

Perſonæ.

Sed res, ſeu cauſæ impellentes nos ad illud genus literarum mittendum, ſunt propè infinitæ: propter innumeros caſus humanos: quibus calamitatibus mortalium genus ſemper fuit expoſitum, atque ſubiectum. Sed cum omnium calamitatum extremus finis tantùm mors ſit: ultima ſcilicet, ut Poetæ uerbis utar, rerum linea: & tamē uideatur eſſe omnium ærumnarum hæc ipſa mors eſſe maxima; idcirco adhibetur frequenter hoc genus literarum tum, cum obitum alterius, uel parentum, uel liberorum, uel etiam neceſſariorum conſolamur. Ergo orbitas impellit ſæpè nos, ut ad amicos ſcribamus dolentes.

Res.

Τὰ λυπηρὰ παραμυθίας δεόμενα.

Quanquam præter mortem, plurimæ ſunt aliæ res: quæ afferunt hominibus moleſtiam, dolorem, ac mœrorē: cuiuſmodi ſunt morbi corporis, ualetudo non ita firma, & ſenectus, quæ ipſa morbus eſt. Huc pertinent peſtilentia, lues graſſans: item calamitates, & uaſtationes, populationesq; agrorum, per tempus, aut bella. Maximum etiā dolorem afferunt: exilium, paupertas res caſu ereptæ, item matrimonium infœlix, liberi improbi, conditio, ſtatusq; uitæ humilis, & quicquid eſt huiuſmodi rerum.

Τὰ τῆς μικροψυχίας, ἀτυχίας, καὶ δυστυχίας.

Ex quibus perſpicuum eſt: quicquid eſt amico dolorificum, & triſte. illud ipſum eſſe cauſam huiuſmodi ſcriptionis inter amicos. Solent enim amicis amici συμπάσχειν, aut nõ minori dolore affici, ex eorum fortuna aduerſa, triſtiq́; caſu. Vt autem conſolemur amicum, hoc eſt, eius dolorem leniamus: rationes quædam ſunt congerendæ: qua medicinam faciamus huic ægritudini. Partes in confirmando, & argumentando, in hoc genere conſolationis, duæ ſunt præcipuæ: una μείωσις, τοῦ κακοῦ παρόντος, extenuatio eius mali, quod præſens eſt. Altera illi ſuperiori contraria eſt, μείωσις τοῦ ἀγαθοῦ ἀπηλλαγμένου, eleuatio boni amiſſi. Etenim quemadmodum eſt quoddam malum: in quod aliquis incidit: ſic è contra bonum: unde quis excidit, aut unde ſaltem excidiſſe uidetur. Vtrumq́; extenuandum eſt, & imminuendum oratione. Ergo in hoc conſolandi genere, principem locum occupant ἔννοιαι μειωτικαὶ, ſententiæ imminuentes grauitatem præſentis incommodi, & amiſſi boni magnitudinem. Hactenus de ſententijs huius literarum generis. Sed quoniam conſolantes epiſtolæ tripartitam habẽt rationem tractandi, unam ſimplicem, & apertam, ἁπλῆν, καὶ ἀπευθυσμένην, alteram ἀντεστραμμένην, inflexã: quæ ſemper continet ἔφοδον, inſinuationem: tertiã, quæ tamen apud Cicer. rarior eſt, iocoſam, atq; familiarem: quæ à Græcis εὐτράπελος dicitur: idcircò omninò conſiderandum eſt: quibus utamur, in conſolando, ſententiarum generibus, et qua ratione tractandi. Nam quemadmodum ſententiæ per uniuerſam epiſtolam comme-

Ἐπιχειρήματα παραμυθητικά.

Loci conſolationis.

Triplex ratio tractandi conſolationem.

ant:ita etiam tractatio omnis habet hinc inde locum mira collocatione dispersum. Ergo, ut ad rem ipsam accedamus, simplex illa tractandi ratio protinus sumit quod uult; non esse tantopere dolendum: idq; argumentis ostendit. Addita θέσει, & loco illo communi; qui amplificationis est: sapienti nihil accidere posse triste; præter infamiam. At quæ per insinuationem consolatio fit; ea duplici ueluti ductu, & uia ingreditur. Sed hic personarum diligens obseruanda est uarietas. Nam in omni insinuatione, qua paulatim irrepimus quasi in animum eius, quem consolari literis constituimus, aut animus illius est consternatus, propter recentem dolorem; qui propterea etiam est acerbior; quam ut directa, & simplici ratione, sibi patiatur medicinam facere: aut est illius animus alacrior, erectior, fortior: ita ut non cupiat sibi mitti consolatorias epistolas. propter has personas diuersas eruditißimi uiri longo usu, & multa lectione Ciceronis, animaduerterunt quædam præcepta, epistolis, etiam cum oratoribus aut declamatoribus esse communia; sed magis tamen epistolico generi peculiaria. Etenim, in Cicerone, prudenter animaduerterunt, quantum ad μείωσιν, extenuationem præsentis incommodi pertinet, hos locos præcipuè considerandos esse: si malum illud non sit πολυχρόνιον, diuturnum: ut utamur quadam ueluti coniectura, de futuro tempore. Cicero nominat in epistolis ad Atticum προθεασισμόν. Nam ostendemus hoc malum minimè diuturnum fore, sed breui finem consecuturũ. Sed hæc ipsa pars cõtinet ὑπόχεσιν,

Εργασία ἡ ἐπ' εὐθείας.

Ciceronis locus cõmunis.

Ὁλοποίησις πλαγία διττή.

Animus consolandi infirmior.

Eiusdem animus erectior.

Loci præsentis mali extenuationis.

1. Προθεασισμὸς, εἰκασμῷ.

polli-

pollicitationem, fortunæ melioris, commutationis: quæ dicitur ab Aristotele περιπέτεια. Deinde sequetur in ista extenuatione mali, ἀπόδειξις, noua demõstratio. quæ & ipsa continet ὑπόσχεσιν στοχαστικήν. Nam ostendemus, hanc calamitatem, compensari posse, quemadmodum confidimus, plurimorum, & maiorum commodorum expectatione. qui locus est τῆς ἐκβάσεως, consecutionis, & euentus. Accedit huc, apud Ciceronem, sed rarius, κολακεία, assentatio quædam: eam prudẽter interseremus suis locis. id quod non solum Seruius Sulpitius facit, uerumetiam ipse Cicero. Quod si malum illud diuturnius ac longioris tẽporis esse uidebitur: quod à Græcis πολυχρονιώτερον κακὸν nominatur: tum alia utemur arte, & præceptione. Ergo loci huius tractationis sunt: ἔνστασις, negatio: ἀντιπαράστασις, inficiationi respondens, & opposita refutatio, ex quadam circumstantia: αὔξησις, amplificatio τοῦ παρόντος ἀγαθοῦ, præsentis boni: ἄρνησις, altera inficiatio: ὑπόσχεσις, promißio: πίστις παραδειγματώδης, confirmatio facta exemplis: ἀπόδειξις λογική, confirmatio rebus, & argumentis confecta: cui etiam θετική, & παραδειγματική solet à Cicerone non raró subijci. Primum igitur dicemus, non esse malum: Deinde utemur ἀντιπαραστάσει. etiamsi enim concedamus, esse incommodum, quo ipse conflictetur: tamen extenuando dicemus, non esse tam graue, quàm ipsi esse uideatur. Itaque & ista ἀντιπαράστασις, habet μείωσιν τοῦ κακοῦ παρόντος. Sequitur αὔξησις, qua ostendimus, exaggerando, in hoc ipso fortunæ aduerso casu, si re-

1. Ἀπόδειξις.
2. Ὑπόσχεσις.
3. Κολακεία.

Ratio extenuandi πολυχρονιώτερον κακόν.
1. Ἔνστασις.
2. Ἀντιπαράστασις.
3. Αὔξησις.
4. Ἄρνησις ἢ δευτέρα.
5. Ὑπόσχεσις.
6. Πίστις παραδειγματώδης.
7. Ἀπόδειξις λογική.

si rectè uelimus considerare, multum inesse incommodi. Sunt præterea partes aliæ in consolando non inefficaces: cuiusmodi est ἄρνησις, negatio, qua ostendimus, nullum malum esse putandum, quod citra culpam nostram, nobis obtigerit. Huc accedit illa ὑπόσχεσις pollicitatio: quæ sumitur ἀπὸ τοῦ καλοῦ, ab honesto, & ἡδέος, à iucũdo: apud Hermogenem sunt τὰ ἐκβάντα. Ergo demonstrabimus, iucundã fore illi hanc incommodorum recordationem: imò coniunctam fore cum honesta illius fama, atq; existimatione hanc ipsam calamitatem. Iam uerò Cicero plærunq; solet intertexere γνωμολογίας, sententias generales: quæ ab Hermogene appellantur θέσεις. Talis est ille communis locus, & κοινὴ ποιότης: summam uirtutem, & maximam fœlicitatem plerunque sua ducere initia, ab eo genere rerum, quod maximè arduum est: & quod posset nos statim sua ui ab honestißimo instituto depellere. Ad hunc locum etiam apud Ciceronem plerunque aggregatur πίστις παραδειγματώδης probatio facta exemplis: quæ iam est ὑποθετική, finitæ quæstionis, & certarum personarum: ut superior fuit θετική, infinitæ quæstionis, & rerum, non personarum. Est & illud non prætereundum consolationis ueluti caput, quod habet μετάστασιν, ἀντεισαγωγήν, & θέσιν, & παραδειγματικὴν ἀπόδειξιν. Nam κατὰ τὴν μετάστασιν, translatione demõstrabimus, hanc calamitatem à Deo, sed propitio ipsi immissam esse. Ad hanc autem translationem, siue μετάστασιν, omnia referenda sunt, quæ apud Theologos eruditè disputantur, de humani generis afflictionibus,

Aliæ partes huius artificij

Ἄρνησις θέσιν

Malũ hoc nõ esse culpa nostra contractum.

Ὑπόσχεσις.

Γνωμολογία, θέσις, ἢ κοινὴ ποιότης.

Πίστις παραδειγματώδης.

Μετάστασις, ἀντεισαγωγή, καὶ παραδειγματικὴ πίστις.

bus, atq; ærumnis. Huc igitur pertinent causæ afflictionum generis humani, ἀντεισαγωγή, translationi resistit, & repugnat. propterea quòd ostendit diuinis oraculis, etsi ipsa θλῖψις, afflictio, ut exilium, aut mors uiolenta, atq; persecutio, à Tyrannis profecta, grauißima nobis, & nostris esse uideatur; tamen corporis, & fortunarũ aduersitatibus, ostendemus longè anteponendam esse animæ salutem, corporis etiam restitutionem, & uitam sempiternam; & propterea etiam poßeßionem hæreditatis, & regni æterni; quod Christus Dominus afflictis omnibus promisit. Hæc enim duo sunt in literis sacris coniuncta; τὸ συμπάσχειν, καὶ τὸ συμβασιλεύειν.

Locus Theologicus de cruce.

Ἐὰν συμπάσχωμεν καὶ συμβασιλεύσομεν.

Κοινωνία τοῦ κακοῦ.

Tertius locus etiam superioribus est aggregãdus, quanquam Ethnicus. Etenim hæc ratio ab ijs, qui Christianam religionem ignorarunt, frequenter fuit adhibita, & usurpata: eademq; ducta à communi humani generis conditione, atque fragilitate. Græci nominant κοινωνίαν τοῦ κακοῦ, communitatem mali: non esse hoc incommodum illi proprium, & peculiare: sed omnibus mortalibus propemodum commune: aut plerisque ijsque clarißimis, & optimis uiris. Postremus locus est exemplorum. Nam ex profanis historijs, & ex sacris literis, poßumus depromere exempla sanctorum uirorum patientiæ: præsertim Filij Dei. Deinde in illa uarietate exemplorum propter dißimilitudinẽ, diligenter oportet considerare: quæ imitabilia sint: & quæ non sint imitabilia. Quædam etiam interdum sunt similia, quantum pertinet ad afflictiones, quædam interdum sunt eadem: quæ artisiciose

Παραδειγματώδης ἀπόδειξις.

Exempla μιμητὰ, καὶ ἀμίμητα.

tificiosè sunt applicanda nostræ causæ. Sed tractatio etiam hic incidit. plerunque συγκριτική, quæ habet comparationem exemplorum. A maiore autem ad minus progredi solet in sacris literis. Si Christus, si Apostoli, si Martyres tam patienter pertulerunt impiorum hominum persecutiones: multò magis tu infracto animo, horum exempla secutus, aliquam fortunam aduersam, & hunc non tam indignum casum ferre debes. Ab Ethnicorum exemplis sic ratiocinamur: si gentiles eandem, aut maiorem calamitatem, in qua tu uersaris, summa cũ laude pertulerunt; quo animo tu Christianus homo, & maiora perpessus, ferre debebis? Hactenus, quæ præcipuæ partes diximus. sint in animo alterius, qui afflictus est, confirmando. Sed quoniam diximus de tractatione triplici huius epistolarum generis: non oportet præterire etiam rationem exordiendi huius generis epistolas.

Ἐργασία συγκριτική.

Ex Ciceronis autem epistolis facile possumus colligere aliquam methodum, & rationem certam exordiendi. Sed ista methodus plerunque habet insinuationem ἔφοδον: cuius partes præcipuæ suut, ἄρνησις, negatio; & huius comes, πρόληψις, occupatio; quam sequitur non rarò ἡ μετάστασις, translatio. Apud Ciceronem autem illa sunt τεχνικὰ μόρια, partes quæ pertinent ad collocationem, propositio, ratio, conclusio exordij: cum cæteris quibusdam partibus: quas oportet obseruare inter legendum: & propterea etiam inter scribendum imitari. Quantum igitur pertinet ad rationem exordiendi, præsertim eam, quam nominauimus ob-

De ratione exordiendi.

Partes insinuationis.
1. Ἄρνησις.
2. Πρόληψις.
3. Μετάστασις.

Τεχνικὰ μόρια, πρότασις, κατασκευή, ἀπόδοσις.

liquam:

liquam: quæ tractatur insinuatione; apud Ciceronem ui-
demus: ea omnia exordia dirigi ad beneuolentiæ conci-
liationem: quæ duobus modis fieri solet, ut est apud Rhe
tores: λύσει, refutatione eorum, quæ obstant; & συστάσει,
Λύσις. commendatione personæ scribentis. Quantum ad λύσιν
pertinet: ex Ciceronis epistolarum lectione, & obserua-
Ἄρνησις. tione constat, duas esse partes λυτικάς. Nam aut utitur
Πρόληψις. ἀρνήσει, negatione: sed quæ ratione subiecta est munita:
aut προλήψει, occupatione. Itaq; Ciceronis exemplo pri-
mò negabimus, nos consolandi causa scribere: & αἰτιο-
Αἰτιολογία ἐγκωμιαστική. λογίαν, rationem subijciemus, propterea quòd cognitã
illius habeamus sapientiam, atq; doctrinam, coniunctam
cum ipsius animi infracti magnitudine, atque altitudine,
quæ omnibus aduersæ fortunæ casibus sit longè superi-
or. Ex quo perspicuum est: hanc refutantem negationẽ,
λυτικὴν ἄρνησιν, habere ἐπίδειξιν personæ illius exor-
nationem, uel summam laudem maximarum illius uirtu-
tum: atq; hac laudatione, quæ non multum abest ab as-
sentatione, paulatim insinuando, id est, ῥητορικῶς, obrepi
mus eò: ut facilius admittat nostram quasi medicinam do
loris sui. Sed laus ista interdum apud Ciceronem tracta-
Vide Roterodamum. tur comparatione quadam. Deinde ad eandẽ λύσιν per-
tinet πρόληψις, occupatio: quæ habet συνδρομὴν: ut est
Συνδρομή. apud Hermog. concursionem concessionis, & compen
Ὁμολογία. sationis. Iam uerò ista ὁμολογία, concessio eiusmodi est:
ut fateamur libenter calamitatem amici esse tantam: ut
fortissimum quemq;, & maximo animo præditum, pos-
sit deijcere, & quasi opprimere. Sed post istam conces-

sionem

ſionem ualdè ἠθικὴν, moratam, debemus eiuſdem Ciceronis exemplo, opponere ἀντικατάλλαξιν, uel, ut Rhetores nominant, ἀντεισαγωγὴν. Quanquam enim fatebimur, eiuſmodi caſum eſſe: ut etiam illius infractum animum debilitare poſſe uideatur: tamen nos minimè dubitare: quin iſtam calamitatem patienter ſufferat. Atq; huic compenſationi, uel confeßionis correctioni, ſubijciemus rationes partim θετικὰς, partim ὑποθετικὰς. Ac θετικὴ illa eſt ſententia; ſed Stoica quam etiam Hieronymus ἄφυκτον, nominat, quaſi ineuitabilem. Eam enim eſſe communem humani generis legem; ut uitari nulla ratione poßit. Altera ὑποθετικὴ eſt, ſumpta à perſona illius, quem conſolamur; & ex demonſtratiuo genere, ut ſuperior illa ἐπίδειξις, demanat. Eſt enim tota ἐπαινετικὴ, & quaſi κολακευτικὴ. Ergo dicemus, quòd non ſolum rerum maximarum, ſed plurimarum quoq;, & propterea etiam aduerſarum longo uſu edoctus ſit; ut facile illi ſit, hunc caſum aduerſum tolerare. Etiam illam laudem apponemus, poſt φρόνησιν, prudentiam: quæ laus eſt doctrinæ, & diſciplinæ. Cum enim à pueris, & ut Græci loquuntur, à teneris unguiculis, ſit feciliter inſtitutus, præceptis ueræ Philoſophiæ: oſtendemus nos ſperare, eò facilius ipſam medicinam doloris ſui, tanquam uulneris recentis admiſſurum eſſe. Poſtrema pars eſt quæ habet ſententias μεταστατικὰς: ſed pertinent non ad refutandum, ſed ad conciliandum: & propterea apud Ciceronem ſæpè initio ponuntur. Transfert enim non rarò illius ipſius, quem conſolatur, mœrorē, in ſe ipſum:

Ἀντικατάλλαξις, ἢ ἀντεισαγωγὴ.

Rationes θετικαὶ, ὑποθετικαί.

Ratio ἄφυκτος.

Eraſmus addit ἀπόδοσιν.

Quatre ios illius fortitu-

diui potius gratulari, quàm dolori uelle mederi.

Μετάστασις.

Ἀποσημείωσις τῆς τεχνολογίας.

quemadmodum Seruius Sulpitius inchoat suam epistolam ad Ciceronem, de obitu Tulliæ. Hac enim ratione conciliatur beneuolentia; apparetq́;, mœstum libentius admittere consolationem: cum significamus nos dolori nostro, quem ex ipsius aduerso casu percepimus, magis obsequi uelle: quàm illius dolorem lenire nostra oratione. ac ualdè ἠθικὴ, ista ratio est, & significationem etiã habet condolentiæ, τῆς συμπαθείας: dum ostendimus, nõ solum alios, uerùm etiam, et cum primis nos eius uicem ita dolere: ac si nobis ipsis illud malum accidisset. Post istam notationem artis, quam obseruarunt doctißimi quiq́; uiri: omninò necessarium est: ut ea ipsa τεχνολογήματα annotentur in scriptis Ciceronis. Inter alias autem epistolas, quibus ille solet, uel alius ipsum consolari: si breuitatem spectemus, pulcherrimum exemplum extat lib. 4. famil. epistolarum, epistola cuius initium est: Accepi perbreues tuas literas, quibus id, quod scire cupiebam, cognoscere non potui, &c. Aliud exemplum est, sed superiore perfectius, quod est lib. 5. cuius epistolæ 9. exordium est: Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum: propterea, &c. Exempla autem apud Ciceronẽ quædam sunt prolixiora, & diligenter consideranda: cuiusmodi est epistolã. 3. lib. 7. cuius initium est: Persæpe mihi cogitanti de communibus miserijs, &c.

Talis etiam illa est, quæ numero est. 14. lib. 6. Etsi tali tuo tempore, me aut, &c. Item, illa, quæ lib. 5. interposita est. 16. epistola: Etsi unus ex omnibus, &c. Deniq; inter reliquas selectas epistolas huius generis non debet

præteriri

præteriri iſta: quæ eſt in.6. lib. epiſt.5. ad A. Cecinnam: Quotieſcunq; filium tuum uideo (uideo autem, &c.

Poſtremò perfectum eſt exemplum conſolationis, epiſt. 4. famil. lib. 6. Noui, quod ad te, &c. Sed in his eminet Seruij Sulpitij de obitu Tulliæ filiæ Ciceronis, omnibus numeris abſolutum exemplum. Hanc ob cauſam, Cicero reſpondit, eam ipſam epiſtolam maximum apud ſe pondus habuiſſe. Breuis epiſtola eſt, lib famil. 5. numero.19. Scripta autem eſt ad T. Fabium: qui tum erat in exilio. Iam in exilio eſſe, & patria carere, & natali ſolo, quo nihil uidetur eſſe antiquius, & charius, malum eſt, & uidetur magnum. Sed quoniam uidetur eſſe magnum, & graue: ut excruciat animum uehementer exulis; idcircò huic morbo, & ægritudini animi eſt afferendum remedium. Sed illa ratio medendi habet μείωσιν, imminutionem illius, quod uidetur eſſe tantum incommodum. Etſi egomet, qui te conſolari cupio, conſolandus ipſe ſum, propterea quòd, &c.

Contra exilium.

Hactenus exordium breuiſsimũ, quod conſtat προλήψει, occupatione. Nam initium hoc breuiuſculum eſt ἐφοδικόν. Exordium habet προαναφώνησιν;: ſed dilatata eſt anteoccupatione. Nam utitur συνδρομῇ. Concurrunt enim in hoc loco συγχώρησις, conceſsio, & ἀντικατάλλαξις, compenſatio. ἔννοια, ſententia eſt συμπαθητικὴ: qua oſtendit, ſe magis indigere conſolatione; quã Fabiũ exulantem. Propterea quòd.) Continenter ſubijcit rationem, ſuæ quaſi condolentiæ, idq; cõparatione; quod nullam unquam aduerſam fortunam grauius tulerit, quàm

ipſius Fabij exilium. Tamen te.) Seqitur ἀντικατάλλαξις, compenſatio, et ipſa προκάταρξις, initiũ conſolationis, ſed grauis, & ſeria, non ſolum propter ἀξίωσιν, petitionem: uerum etiam propter δέησιν, obteſtationem. Eſt etiam in illa propoſitione, παραίνεσις, cohortatio, & παράκλησις, ἢ δέησις, rogatio. Et Cicero has partes ipſe exprimit pulcherrimis uerbis, & inſigni ornamento: quod apud Hermog. appellatur σχῆμα συμπλεκτικὸν ἐξ ἀναιρέσεως figura, quæ copulationem duarum ſententiarum, & negationem τῆς ἐκκλειστικῆς propoſitionis in ſe complectitur. Et qua conditione.) Poſt iſtud exordium, & propoſitionem multiplicem: ſtatim ſequitur κατασκευὴ, confirmatio propoſitionis, ipſaq; conſolatio. Incipit autem à ratione, quam Hermog. nominat ἐπιχείρημα, quæ continet μείωσιν τοῦ κακοῦ, extenuationem exilij, à communitate, ἀπὸ τῆς κοινωνίας. Hanc enim conditionem eſſe omnium hominum: ut in exilium eijci poßint. Plus tibi.) Rationis confirmatio, quamobrem debeat leuißimè exilium ferre: propterea quod ſit malum exiguum. Plus tibi uirtus tua dedit, quàm fortuna abſtulit.) Hæc ratio pulcherrima, eſt bipartita. Habet enim ἀντεξέτασιν, contentionem bonorum animi, et fortunæ Ac oſtendit, Fabium adhuc poßidere illud bonorum genus, quod perpetuum, et præſtantißimum eſt: cuiuſmodi eſt uirtus. Alterum enim, ſcilicet exilium oſtendit eſſe incertum: propter ſpem reuocationis. Deinceps ſubijcit ἐργασίαν, copioſiorem tractationem ſuperioris rationis bipartitæ: ac utitur pulcherrimo hic ornamento,

namento, quod à Cicerone nominatur in distributis supposita ratio, προσαπόδοσις. *Propterea, quòd adeptus es, quod non multi homines noui: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. Atq; hic comparatio non solum est ex contrarijs facta: uerumetiam exaggerata exemplis; id quod pertinet ad illam* μείωσιν, *extenuationem boni amissi à communitate. Non enim ostendit, Fabium solũ exulem esse, uerum etiam alios solum uertere, & patria carere, eosq; plurimos, & homines etiam nobilissimos. Quamobrem sic ratiocinatur, à maiore ad minus: si plurimi, & hi quidem nobilissimi homines forti animo exilium pertulerunt: multò magis tu, ad tempus, patienter ferre tuum istud non diuturnum exilium debebis. Iam subijcit alterius membri diuisionis confirmationem. Hactenus enim extenuauit malum. Deinceps extenuat bonum amissum.*

Ea deniq; uidetur conditio impendere legum iudiciorum.) Ista ratio habet quandam ἔκπληξιν, *increpationem, cum quadam diuinatione coniunctam, per* ἔκβασιν, *id est, euentus consequentis denunciationem. Sed iterũ comparatione utitur, cum laudatione Fabij, à præsentibus bonis,* ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παρόντων. *Tu uerò, qui & fortunas & bona habeas.) Hic instituit* ἀντεισαγωγὴν, *qua opponit uni malo, id est, exilio, plura commoda:* εὐτυχίαν, *fortunas;* πολυτεκνίαν, *multitudinem liberorum: &* πολυφιλίαν, *amicitiam multorum, sed compositio* πνευματική, *multorum est membrorum; & continet spem melioris fortunæ: qua ipsum excitat atq; con-*

firmat: Quiq; magnam facult.) Υπόσχεσις, pollicitatio reditus in patriam, qua caret. Tandem concludit, reditu facto ad conclusionem: ut Epilogus sit παραθαῤῥυντικὸς, animum Fabij erigens. Meus animus.) Ad extremũ addit clausulam tanquam ἐπισφραγισμὸν, id est, obsignationem epistolæ, uidelicet ὑπόσχεσιν δευτέραν, secundã pollicitationem. Hactenus enim spem fecit reditus: nunc absenti ante reditum, sua omnia liberaliter defert officia. Aliud puræ, seu periodicæ consolationis exemplũ. lib. 5. famil. epist. 16. scripta est epistola ad Titium.

Contra orbitatem.

Etsi unus ex omnibus minimè sum ad te consolandum.)

Hæc epistola superiore prolixior est; sed tamen arte etiam superior: cohortatur autem Titium: ut magno animo, atq; forti, suorum liberorum obitum ferat. Exordium cum superiore est propè idem, quod constat occupatione, nominaturq; προληπτικόν. Ac ostendit etiam suã συμπάθειαν, quasi condolentiam, quòd ex molestijs Titij tantum dolorem acceperit; ut ipsemet egeat consolatione. Etsi.) ἠθικῶς suam personam extenuat, concessione. Quòd) αἰτιολογία, ratio, ὑποστάσει, tantum, ut. Ab effectu molestiarum Titij. Tamen cum.) Αντεισαγωγὴ ἐνθυμηματικὴ, & comparatio, uel discriminatio doloris utriusq;. Statui.) Κατάστασις propositio, rationibus interpositis. Non, sed.) Αρσις καὶ θέσις. Post exordium sequitur ipsa consolatio, & quam Græci Rhetores nominant τῆς καταστάσεως ἀπόδειξιν, propositionis con-

firmationem. Sed est ualdè artificiosa. Primum enim argumentum ductum est à consolatione peruulgata: quæ sententia est θετικὴ: infinitæ quæstionis, et loci communis, ἀπὸ τῆς κοινότητος, à communitate huius incommodi.

Est autem consolatio peruulgata quidem illa.) Hactenus σύστασις, commendatio huius consolationis peruulgatæ, grauißimis constans uerbis: huic subijcit illã ipsam θετικὴν ἔννοιαν. Homines nos esse, ut meminerimus.) In hac compositione est μέγεθος, καὶ σεμνότης: propter Philosophicam, uel Stoicam potius sententiam. Sed hanc grauitatem, & amplitudinem etiam περιβολὴ, circumductio adiuuat, propter longiorem uerborum, & sententiarum continuationem. Sic enim tanquam κατ' ἀναβολὴν, suspendit lectoris animum; ut non quiescat: donec sententia ad finem sit perducta. Neq; hæ.) Alterũ argumentum alia ratione tractat: ac initio, superiorem consolationem fatetur Cicero à sapientißimis uiris usurpatam esse; præterea etiam literis proditam. Nunc fatetur has ipsas consolationes non tantùm proficere apud P. Titium; sed maius momentum ad consolandum putat afferre posse statum Romanæ ciuitatis, id est, hanc perturbationem perditorum temporum. Ergo comparatione constat illa consolatio. Miserum est, liberos amittere & dolorificum. Sed longè miserius, & acerbius est, & propterea etiã intolerabilius, amittere rempubl. in eo statu, quo ante florebat. Ac communi rursus utitur loco, ex comparatione. Nihil uobis prius, & anti-

quius esse debere; quàm patriam, sed florentem sua libertate, & sua etiam pristina dignitate, atq; potentia. Iam, si exilium fortiter ferendum est: multò fortiore animo tolerari debet obitus liberorum: tanquàm minus incommodum. Cum beatissimi sint.) Tertium argumentū est, quod non solum habet extenuationem huius amißi boni: uerum etiam quandam ἐφαρμογὴν, accommodationem. Paulatim enim à superioribus infinitis sententijs, ad id, quod est in controuersia eiusq; statum descendit. Sic enim argumentatur Stoicè: Beatißimos esse, qui liberos non susceperunt. Addit deinde secundum gradū huius infelicis δυσδαιμονίας. Est enim genus hominum aliud, quod est εὔτεκνον, uel πολύτεκνον: quod suscepit liberos; sed cum ex eo numero amittit uel unum, uel plures; arbitratur se omnium hominum esse miserrimum. Itaq; remedium illud addit, & consolationem; quæ constat alia quadam comparatione: Minus, inquit, miseri sunt: qui his temporibus liberos amittunt. Quod si tuum te.) Quartum argumentum etiam habet μείωσιν, extenuationem liberorum. Estq; superiorum ἐπεξεργασία, expolitio, κατὰ τὸ πλαστὸν, καὶ δίλημμα, per fictionem, & complexionem. Non facile.) Concessio. Sin illa.) Altera sumptio. Vt ea non dicam.) Eius ἀφαίρεσις, κατ' ἀπόφασιν, ἢ παράλειψιν, præteritione: estq; renouatio pertinens ad superiorem philosophicam θέσιν, ostendit enim se legisse, & audiuisse: nihil mali esse in morte: & addit rationes, in prima Tusculana quæstione tractatas. In qua.) Αἰτιολογία, & ὑποδίλημμα. Nam in altero

comple-

complexionis membro, nouum facit dilemma ex cõtrarijs. Si resid.) Primum lemma. Immortal.) Ἀφαίρεσις, & consequens. Si in morte remanet sensus: immortalitas ducenda est, non mors. Sin est.) Alterum lemma. Sin post mortem amissus est sensus: nulla censenda est miseria, quæ non sentitur. Hoc tamen.) Post præteritionem sequitur κατάφασις, affirmatio. Superiora enim fuerunt ὑποθετικῶς pronunciata: hæc δεικτικῶς, & asseueranter. Illa fuerunt Philosophica: hæc politica. Quid est enim.) Quintum argumentum est, quod habet αὔξησιν, amplificationem, non solum præsentium incommodorum, uerumetiam impendentium. Non, me hercule.) Deinceps subijcit exempla eorum, qui præceptis Philosophiæ melioris instituti, & ipsi leniter pertulerunt obitum liberorum, & cæteris in simili casu tanquam exemplo fuerunt. Sic autem argumentatur.

Quicunq; uel adolescens uel puer, hoc pestilentissimo post Cæsaris mortem anno, decessit; is à Deo immortali ex his miserijs est ereptus.

At tui liberi, hoc grauissimo anno, post Iulij mortem, decesserunt.

Ergo à Deo sunt ex his miserijs erepti, & liberati.

Argumentum istud μετάστασιν, translationem habet causæ obitus illorum in Deum. Quare si.) Sequitur conclusio. Nam repetit paucis uerbis illud argumentum.

Si tuis liberis nihil mali accidit: multum sanè ex tuo illo mœrore diminui debet.

At uerò tuis liberis nihil accidit mali. idque multis

προσυλλογιστικοῖς sententijs confirmauit.

Ergo de tuo illo mœrore permultum iam debet esse diminutum.

Ex quibus perspicuum est, nullum genus sententiarũ tam leuare dolorem posse, quàm illas, quæ nominantur μειωτικά; quæ extenuationem habent præsentis mali. Hactenus enim ostendit non solum malum istud esse exiguum: sed etiam esse nullum: his temporibus liberos amittere. Relinquetur.) Post incommodi extenuationem, aliud genus argumentorum sequitur: quod continet laudationem personæ eius, quem consolatur.

Quicunque grauitate, & sapientia est singulari: is non debet immoderatè ferre casus incommodorum suorum.

Tu autem grauitate, & sapientia es singulari.

Ergo non debes immoderatè ferre casus incommodorum tuorum.

In qua non est.) Minor, & conclusio. Etenim eum.) Minorem approbat ex loco adiunctorum, à rebus anteactis. Nam quod.) Addit occupationem, πρόληψιν: non esse expectandum tempus, quod soleat lenire dolorem, aut tollere. Seruius Sulpitius idem argumentum ad Cic. de Tulliæ obitu urget: sed argumentum illud tractat pulcherrima comparatione, à minore ad maius.

Nulla unquam fuit mulier tam imbecillo animo, quæ liberis suis orbata, non aliquando tandem finem lugendi fecerit.

Ergo multò magis tu, Titi. qui uir es, debes consilio, &

& sapientia, tolerare id, quod dies & tempus aliquando est allaturum.

Certè nos.) τὸ μεῖζον, πρωτοπροσώπως. mitigaturum, mutauit enim secundam personam, & quod ὑποθετικὸν est θετικῶς protulit. His ego literis.) Sequitur epilogus epistolæ huius: quo commendat suum officium, ὑποσχέσει, καὶ ἀξιώσει.

ALIVD EXEMPLVM.

Extat elegans consolatio A. Cecinnæ exulis, & patria carentis. lib fam.6. epist.5. Est autem mixta. Nam pars prima non pertinet ad consolationem. Est enim ἐπαγγελτική, nuncians, quæ constat breuibus narratiunculis. Quotiescunque filium tuum uideo (uideo autem quotidie.) prima ἀφήγησις, habet officij sui commendationem. Vtitur autem pulcherrima διαστολῇ, distinctione. Nam hic, sine ulla exceptione, defert ei omne studium, & operam laboris, occupationis, & temporis. Sed mox addit exceptionem, in hoc μορισμῷ, distributione. Polliceor filio tuo gratiam, & authoritatem, qua quidem hisce temporibus ualeo. Liber tuus.) Sequitur altera ἀφήγησις, narratiuncula, de libro Cecinnæ. Res, & fortunæ.) Deinceps sequitur altera pars, ipsa consolatio, per insinuationem. Sed tamen.) Propositio. Ea natura rerum est.) Initium confirmationis, & consolatio, à pollicitatione. Nam spem facit illi reditus maturi ab exilio: & argumentatur ad hunc modum, στοχαστικῶς, coniecturaliter, à conditione, & statu Reipub.

Ciuitas

Ciuitas non potest carere diutius præstantibus ciuibus. Ergo nec te carere potest. Quamobrem breui reuerteris ab exilio. Quare ad eam.) Alterum argumentum rursum petitum est à coniectura: sed à loco personarum, id est, à persona Cecinnæ doctißimi uiri. Hactenus enim malum extenuauit. Nunc ex communibus, & proprijs ornamentis Cecinnæ, & à Cæsaris clementia, & placabilitate rationes colligit. Cæsar eximio tuo ingenio, summæq; uirtuti multum tribuit. Ergo tibi bene sperandum est. A iudicio Cæsaris. Itaq;.) Πόρισμα, & argumentum καθ' ὑπόθεσιν. Si tuo ingenio Cæsarem non offendisses: ne punctum quidem temporis fuisses in exilio. Sed offendisti illum historia illorum temporum, in qua eum acerbè insectaris. Ergo adhuc in exilio hæres. Quod ipsum.) Correctio. Significauit.) Ratio, à signo. Hæc ipsa eius opinio de tuo ingenio tibi proderit. Id enim significarunt nobis ij, qui cum eo uiuunt. Quapropter.) Subijcit epilogum παραθαῤῥυντικὸν; quo animum confirmat exulantis: & hortatur, ut animo forti, magnoque sit. Ita enim.) Ratio, & laus Cecinnæ ex locis personarum. A me uerò.) Addit pollicitationem sui officij, non sine ratione subiecta. Est & præcedens ad A. Torquatum epistola mixta, & eiusdem generis, sed perfectum consolationis exemplum.

ΔΙΑΤΥΠΩΣΙΣ.

Μέθοδος, siue ratio tractandæ consolationis, triplex.

Vna simplex, & aperta, ἁπλῆ, καὶ φανερά. per quam ostendimus, non esse causam dolendi.	Altera per insinuationem, κατ' ἐπῳδὸν sumpta. Quoties animus illius, quem consolamur, est aut * Αἰτιολογία. Cum uiro sapienti nihil accidere poßit, præter culpam.	Tertia iocosa, & familiaris εὐτράπελος, καὶ ἀστεῖα.

*Infirmior, aut dolor recẽtior, & acerbior, quam ut apertè patiatur sibi medicinam facere. A.	Erectior, quàm ut uideri uelit opus habere consolatore. B.

ΤΑ ΠΡΟΟΙΜΙΑΣΤΙΚΑ.

Qua ratione instituenda sit insinuatio: cum animus illius est erectior. B.

Hæc ratio λύσει constat. Nam paulatim

- Ἄρνησις. Negabimus enim, nos consolandi causa scribere.
- Αἰτιολογία ἐπιδεικτική. Nam habere nos illius eximiam sapientiam perspectam: & infractam eius animi magnitudinem, omnibus fortunæ tanquam procellis maiorem.

a

arte quadam obrepimus. cuius partes ferè sunt:

a Πρόληψις, occupatio, κατὰ συνδρομήν.
- Ὁμολογία. Fatebimur enim, casum esse eiusmodi: ut alium quemlibet facile posit deijcere.

Ἀντεισαγωγή.
- Πρότασις. Non dubitare tamẽ nos: quin fortiter ferat: quod ex communi mortalium conditione uitari nõ potest.

Κατασκευὴ ἐγκωμιαστική.
- Quòd à pueris, ueræ sit philosophiæ præceptis institutus.
- Quòd longo rerum usu edoctus sit.

Ἀπόδοσις. Quare nos illius fortitudini potius uelle gratulari: quam dolori ipsius consolando mederi.

Μετάστασις. Hac enim mœrorem illius, in nos transferemus: ut nostro dolori magis obsequi, quàm ipsius ægritudinem mitigare uelle uideamur.

Hac ratione Cicero, initio Milonianæ, metum in se transfert: ut iudicum animis timorem eximat. Concilia-

ta igitur beneuolentia, amicus admittet nostram consolationem.

A.

Alterum tempus, quando animus illius, quem consolari uolumus, est infirmior; ut nondum admittat consolationem.

Loci huius tractationis praecipui sunt:

- Ἐλάττωσις.
  - Πρότασις. Dicemus enim, nos ipsos ad consolandum esse parũ idoneos.
  - Κατασκευή. Quòd non minus angamur animo: quàm is ipse quem confirmare studemus.
- Αὔξησις. Amplificabimus etiã mœroris causas,
  - A re ipsa.
  - Ab eius, qui patitur, indignitate, cum illius laude.
- Συμπάθεια. Dicemus itaq; iniuriam illi factã non tantum nos, sed quamplurimos alios uiros bonos dolere.

ΤΑ ΤΗΣ Ἀποδείξεως, quae sunt contentionis.

- Μείωσις τοῦ ἀπηλλαγμένου ἀγαθοῦ, extenuatio amißi commodi. Etenim bonum unde is excidit, extenuandum est.

a

Hæc

Hæc pars est magna ex parte, ἀνασκευαστική. Colligenda autē sunt diligenter, quæ dolorem lenire posse uideantur. Horū κεφάλαια sunt.

a — Μείωσις τοῦ κακοῦ παρόντος. Eleuandum enim malū est, in quod incidit. Est autem uel

b — Ὀλιγοχρόνιον.

- Πρότασις. Ostendemus minimè diuturnum fore: sed breui tempore finem habiturum.
- Ἀπόδειξις. Nam demonstrabimus istud incommodum secuturam spem melioris boni. Et huic assentationem, si res feret, admiscebimus.

Μετάληψις.

- Ἔνστασις. Non esse incommodum.
- Ἀντιπαράστασις. Non esse tam graue, quàm uideatur.

c —

Αὔξησις. Dicemus enim in eo multum inesse commodi: idq; amplificabimus.

Ἄρνησις. Ac negabimus ipsius culpa esse contractum. Negabimus etiam ullum esse Malum putandum: quod citra culpam homini obtingit.

a b c

Ἡδύ.

A B C

Πολυχρόνιον. Tu decem utemur locis: qui sunt

Ἐκβάσεις, ὅτι

- Ἡδύ. Iucundam malorum recordationem; quæ cum honesta fama coniuncta sunt.
- Ἔνδοξον. Hanc calamitatem famæ illius profuturam.
- Χρήσιμον. Gradum quendam iactum esse ad maxima commoda.

Θέσις. Solere namq; summam uirtutem, summamq; felicitatem, à durißimis initijs plerunq; proficisci.

Πίστις παραδειγματώδης. Exemplis etiam illud interdum approbabimus.

Μετάστασις. A Deo propitio hanc calamitatem dicemus immissam. Hic non Stoicæ rationes afferri debent; sed Theologicæ, de causis ærumnarum, & utilitatibus.

Ἀντεισαγωγή. Corpori, & fortunæ illas quidem aduersas esse: uerum animæ ipsius fore salutares.

A

B Θέσις ἄλλη, & κοινωνία. Illud malum sibi esse commune cum uniuersis hominibus, aut certè pluribus, aut clarißimis, atq; optimis uiris. Nihil autem æquè leuat dolorem.

Πίστις παραδειγματώδης ἡ δευτέρα. Accumulabimus etiam aliquando uirorum illustrium exempla: qui eadem, aut similia magno animo, summaq; cum laude pertulerunt.

ΕΠΙΛΟΓΙΚΑ.

Epilogus habet plerunq;
- Παραίνεσιν παραθαῤῥυντικήν. Veniemus enim ad extremum ad exhortationem, qua ipsum reuocabimus ad pristinam
  - Animi tolerantiam, ὑπομονήν.
  - Animi magnitudinem, μεγαλοψυχίαν.
  - Sapientiam, σοφίαν.
  - Doctrinam, μάθησιν.
- Ὑπόσχεσιν. Deferemus enim illi, & liberis,
  - Studium.
  - Operam.

A B

Omni-

A omnibusq; ei B
└us necessarijs └Diligentiam nostram.

Præcepta ἀποφαντικά.

1. In consolando non oportet præcipere, ἐπιτάττειν; nisi is nobis uehementer sit familiaris.

2. Nihil etiam de nostra felicitate est commemorandum. Societas enim leuat miseriam: alienæ uerò incolumitatis recordatio dolorem auget.

3. Neq; uerò iocandum est: nisi tum, cum incommodum ita leue est: ut amicus ioco queat exhilarari; & si idem blanditijs capi solet. Sed ueræ consolationes cum iocis interdum permiscendæ sunt.

Διατύπωσις Responsionis ad consolationem.

Partes in respondēdo sunt, si consolatio
- Profuit.
  - Ευχαριστία, qua gratias agimus amico pro humanitatis officio.
  - Επαινος. Laudabimus enim illius ingenium: quòd ad leniendum animi dolorem nihil adduci potuerit: quod ille summa dicendi facultate non attulerit.
  - Ευδαξις. Dicemus enim illius orationem eruditam, prudentem, & grauem, magnam par-

A B

A — B tem mœrois, aut dolorem omnem ademisse.

Non profuit:
- Ἔπαινος. Laudabimus tamen eius
  - Ingeniũ:
  - Animum ac studiũ.
- Ὀδυρμός. Sed eius hac arte, qua tanquam bonus, & peritus medicus omne genus remediorum adhibuerit, maius esse malum, in quo uersemur.

Imperioso consolatori respondebimus, ut ille apud Terentium: facile cum ualemus, recta consilia ægrotis damus: Tu si hic sis, aliter sentias.

Exempla τῆς ἀντιγραφῆς πρὸς τὴν παραμυθίαν sunt illustria: Fam. lib. 4. Ego uerò, Serui, uellem, &c. & lib. 5. Quanquam ipsa consolatio, &c. Et ad T. Pomp. Att. Vtinam illum diem uideam: quo me uiuere coëgisti, &c. In quibus illæ partes, & aliæ, earumq; tractatio consideretur. Sed & nos illa in nostris in selectas epistolas commentarijs demonstrauimus: & in paradigmaticis libris plura ostendemus.

Ratio

Ratio ad consolationem respondendi breuis.

ANτεπιστaλτικὴ ἐπιστολὴ πρὸς τὴν παραμυθητικὴν, uel παρακλητικὴν, qua alter consolatur alterum, in duplici genere uersatur: idq; propter consecutionem, & euentum. Etenim uel proficimus aliquid consolando, uel nihil efficimus. Cum igitur duo sunt tempora huius rationis: etiam bipartita in respondendo est nobis proposita uia, atq; ratio. Etenim si literæ consolatoriæ nostræ magnū pondus habuerunt, apud amicum: sic ille nobis respondebit: ut duobus sententiarum generibus sit usurus. Nam & gratias nobis aget pro officio humanitatis: & laudabit non animum & studium tantum nostrum: uerum etiam ingenium, & artem. Sed duplici ratione subiecta. Vna à persona consolantis, nihil ab eo potuisse afferri argumentorum ad tolerandum animi dolorem, uel saltem leuandum: quod ipse pro sui ingenij præstantia, et dicendi admirabili facultate in differendo non attulerit. Altera ratio est τῆς ἐκβάσεως, euentus. Dicet enim, quem consolati sumus, se ita recreatum nostris literis: ut sui mœroris magnam partem deposuerit, uel omninò nostræ consolationi acquieuerit: & se his allatis rationibus collegerit. eamq; ob causam huiusmodi responsionis partes præcipuæ sunt, εὐχαριστία, quæ sententias continet ἠθικὰς, moratas. Boni enim uiri est, alterius officium, & beneficium

& beneficium agnoscere, illudq; ipsum prædicare: addita pollicitatione remunerationis: & ἔπαινος, personæ collaudatio, non ab animo tantum, & studio profecta: sed etiam ab ingenio acuto, & prudenti: quo opus est, præsertim in consolando: sed κατασκευὴ pulcherrima est, eaq; bipartita. Prior enim est προσωπικὴ, sumpta ex loco adiunctorum. Nam ingenui, & animi est, non uelle tantum, sed etiam posse alterius leuare dolorem: quod uoluerit, studij illud est: quod potuerit, illius ingenij, & facultatis in scribendo. Altera ratio τῆς ἐκβάσεως est, & αὐξητικὴ, quæ habet quandam amplificationem. Nam ostendet ille, nostram epistolam apud se habuisse non exiguum momentum: quòd fuerit tanquam ἰατρευτικὴ, quòd medicinam suo dolori attulerit non paruam: et omnem luctum, omnesq; lachrymas quasi abstersit. Alterum tempus est, cum nihil uidentur nostræ literæ profuisse. Igitur is, qui adhuc est infirmior, quò minus admitteret consolationem; utetur primum laudatione, deinde querela. Sed duo sunt laudationum genera hic consideranda: unum personæ: alterum ipsius rei. Quantum ad personam consolantis pertinet, laudabimus animum, & studium illius: qui in spem nos erigere melioris fortunæ conatus fuit: interdum etiam adhibebimus pulcherrimam comparationem Etenim dicemus eum, qui nos consolatur, præstitisse officium boni, atq; periti cuiusdam medici, qui omnia genera remediorum in hoc sanando dolore, & recenti uulnere obligando adhibuerit, & applicarit. A re autem ducemus laudem: cum rationes,

tiones, & argumenta prudenter, & ingeniosè dicemus esse excogitata: ut etiam in summo uersantem luctu possent recreare. Sed his ἔννοιαι ὀδυρτικαὶ, καὶ λυπητικαὶ opponi solent: id est, sententiæ querulæ, lamentatoriæ, plenæ doloris, & quasi recrudescentis uulneris; cum dicimus, non esse tam malum exiguum, ut ipse arbitretur: sed malum esse maximum; imò tantam calamitatẽ: ut nullo ingenio, nulla arte, seu consolatione, uel per literas, uel coràm facta, imminui, extenuariq; uideatur. Ergo in responsione ad consolationem, parum efficacẽ, etiam ἀντεισαγωγὴ locum habet; quæ est ἀνασκευαστική, refutans illius μείωσιν, extenuationem mali præsentis, et αὔξησιν habens præsentis calamitatis, atq; casus.

DE ADMONENDI genere.

CAPVT. XXVII.

SEQVITVR apud Græcos alud literarum genus, quod admonitionis est; & ab illis νουθετικὸς τύπος appellatur: in scholis nominant monitoriã Epistolã: quæ huiusce est formæ. Definitur autẽ ad istum modum: νουθετικὸς τύπος ἐστὶ, ὃς καὶ διὰ τῆς ὀνομασίας ὁποῖος ἐστι δηλοῖ. τὸ γὰρ νουθετεῖν ἐστι νοῦν ἐντιθέναι νουθετουμένῳ, καὶ διδάσκειν, τι πρακτέον, καὶ μή. Rectè, & eleganter Græci definitionem huius epistolæ ex uerbi notatione eruerunt. Etenim uerbum νουθετεῖν, nihil aliud est, quàm in animum illius, quẽ admonemus, ponere, & ingerere, quid factum oporteat, aut quid deinceps agendum sit, id est, illum ad rationem meliorẽ,

& consilium melius reuocare. Quem enim Græci uocant νουθετούμενον, id est, admonendum, uel commonefaciendum: is prorsus uidetur ἄνους, quasi mente, & ratione, & propterea consilio carere. Itaq; νουθεσία uel νουθέτησις hæc, non caret obiurgatione, & castigatione, quam Græci nominant ἔλεγχον, & παίδευσιν, nec caret exhortatione, quam ijdem, ut supra diximus, προτροπὴν appellant: & propterea ἀνατρεπτική est, duobus præcipuè locis, τοῦ κινδυνώδους, καὶ τοῦ ἀδόξου, καὶ αἰσχροῦ, periculi, & infamiæ constans. Ergo nihil aliud est hæc epistola: quàm à mala quadam ratione, & malo consilio uitiosæ actionis, alterum absterrens, atq; dehortans, meliore, & saniore consilio subiecto: quo edocemus, quid illi agendum, quid prætermittendum esse uideatur. Etenim, ut exempla ostendunt, duæ præcipuæ partes huius generis animaduertuntur: quarum una est, ἐπιτιμητική, ἐλεγκτική, καὶ παιδευτική, constans quadam reprehensione illius ipsius uitij, & tanquam morbi, quo noster amicus, uel per ætatem, uel per imprudentiam, se ignorat laborare. Est igitur quadam arte utendum: ut quod ignorat, nostra admonitione, sed amica, & prudente, ab eo emendetur: & uitium in uirtutem commutetur, id est, morbus in sanitatem. Altera deinde pars est, νουθέτησις, à qua epistola suum nomen accepit. Sed illa est διδακτική, & συμβουλευτική. Docemus enim alterũ, suasorijs locis, in utramq; partem, quid illi agendum sit, uel quid ei sit uitandum, & fugiendum. Ex hac uerò descriptione epistolæ, non solùm apparet perso-

nas eſſe conſiderandas: uerum etiam res, atq; ſententias. Ergo hic duo ſunt genera perſonarum; unum quod eſt τοῦ νουθετοῦντος, id eſt, commonentis; alterum eius perſonæ, quæ dicitur νουθετουμένη, id eſt, illa ad quam ſcribimus, illius ipſius monendi gratia, amici ſcilicet, ac neceſſarij. Res autē, ſunt primùm cauſa, deinde effectus. Quantum ad cauſam pertinet: quæ nos impellit, ut amicum officij ſui admoneamus, reprehendendo eum pro noſtra libertate, & reuocando in meliorem uiam: multæ, & uariæ quidem ſunt; & tot numero ſunt: quot ſunt uitiorum etiam genera, & horum omnium peßimi fructus. Semper enim duplicatus eſt uitiorum numerus uirtutum cō ſiderata enumeratione. Cum enim uirtus in medio ſit collocata: neceſſe eſt, ut habeat duo extrema uitia. Quo circa, ſi capitales uirtutes quatuor ſunt: quas Cicero honeſti partes appellat: neceſſe eſt, ut uitiorum capita ſint octo. Itaq; ſolemus interdum epiſtolam ſcribere monitoriam ad amicum. quòd prodigalior ſit: ſed is nondum intelligit eſſe uitium, iſtam ſuarum facultatum profuſionē: idq; uel propter ætatem, uel propter ſodalitates. Ergo, ut monendo hunc ab iſto uitio auocemus ad frugalitatē: initiò quidem ipſius animum laudabimus: quòd non abhorreat à liberalitate, quæ nimium, & parum ſtudioſè uitat. Atq; hæc & ſimilis, eſt non poſtrema cauſa huius generis epiſtolarum: quas mittimus ad noſtros. Scribimus etiam ſæpè ad amicum, qui eſt natura ſimplicioris ingenij: et omnia ſuis adulatoribus credit. Sed illud nondum didicit, quia adoleſcens eſt, & uſu rerum adhuc nō

Ὁ νουθετῶν cō ſulens.

Ὁ νουθετούμενος, reprehēſus.

consecutus est, μέμνησο ἀπιστεῖν; in quo artus, & nerui sunt, ut Cicero scribit, sapientiæ. Ergo monemus illum: ne temere amicis falsis, & assentatoribus, aures præbeat, fidemq; habeat. Sæpe etiam monemus amicum: qui se nimijs, & intempestiuis studijs, atq; uigilijs, & lucubrationibus, propè conficit: ut ualetudini parcat: ut, ne quid nimis: sed ut modus sit in rebus omnibus. Quidam etiam ex amicis nostris, sunt interdum linguæ liberioris: qua alios grauiter offendunt: hos monemus diligẽter, ut cautè, & circumspectè loquantur. Non enim omnia quæ dicuntur à nobis eodem uel sensu, uel candore excipiuntur ab omnibus. Sed tales causas alias, quæ nobis themata, id est, argumenta suppeditant huius scriptionis, Erasmus indicat: & quotidianus usus nobis suppeditat. Hactenus de causis impellentibus nos ad scribendum huius generis admonendi epistolas.

EXEMPLVM SCHOLASTICVM apud Græcos.

Καλῶς ἐποίησας, οὕτω χρησάμενος ἀνδρὶ καλῶς συγγεγραμμένῳ, καὶ κατὰ λόγον βεβιωκότι, καὶ τὸ ὅλον μηδὲν ἄτοπον εἴς σε πεποιηκότι. Παραιτήσεως οὖν ἀξίωσον τὸ πρᾶγμα. καὶ γὰρ σὺ πάλιν ὑπ᾽ ἄλλου παθὼν ῥᾳδίως ἂν ἤνεγκας. τὸ δ᾽ ἐπὶ σαυτὸν δικαιῶν, μὴ δοκεῖ οὖν μήτε γονέων, μήτε ἀγωγῆς τετυχηκέναι: μήτε τὸ πᾶν ἔσχατον συγγενῆ τινα, ἢ φίλον ἔχειν τὸν ἐπιτιμήσοντα τοῖς ἁμαρτήμασιν. Epistolæ huius partes præcipuæ sunt, ἐπιτίμησις: reprehensio: & νουθεσία, commonitio. Initium est ἐνθυμημα-

θυμηματικὸν; & πρότασις. Malè fecisti: & propositionis ratio: quòd abusus es illo uiro. Eiusdem confirmatio tripartita; ab eius laudatione. Nam & honestè tecum uersatus est; & rationi rectæ congruenter uixit: nec in te unquam deliquit. Καλῶς) Propositio. οὕτω χρησάμ.) Κατασκευή. Καλῶς.) Ἐπικατασκευή, confirmatio, & laus una; τῆς καλῆς συναναστροφῆς. καὶ κατὰ λόγον.) Alter τοῦ κατὰ λόγον βίου. καὶ τὸ ὅλον.) Tertia, ἀπὸ τῆς ἀβλαβείας, ab innocentia. Παραιτήσεως.) II pars νουθετικὴ, & post ἐπιτίμησιν, παραίνεσις. Quare cogitandum tibi est, ut factum istud excuses. καὶ γάρ.) Ἀπόδειξις, probatio ab exemplo eius ad quem scribit. Est παράδειγμα οἰκεῖον, sed δευτεροπρόσωπον. Nam & tu, si indignis ab altero modis tractatus esses, facilius sanè ferres iniuriam excusatam. Τὸ δὲ ἐπὶ.) Altera sequitur ἐπιτίμησις. Quod uerò etiam tibi patrocinaris; id neq; tuorum parentum naturæ, ingenij, & morum, neque educationis, institutionisq; liberalis tuæ significationem habet. Μήτε τὸ πᾶν.) Pars ἐπιλογικὴ, atque conclusionis, continet ἔκπληξιν, καὶ ἔκβασιν, καθ' ὑπόθεσιν, denunciationem euentus. Nisi enim culpam deprecetur: fore dicit: ut neque propinquum, neque amicum sit reperturus: qui uelit illum errorum commonere. Deinceps de ratione tractandi hoc genus monitorium est explicandum: sed ea potissimum intelligi potest ex diuersis generibus sententiarum, quarum una est ἐπιτιμητικὴ: altera διδακτικὴ: Tertia θεραπευτικὴ: ex quibus perspicuũ est, tres omninò esse ueluti ꝑpetuas partes monẽtis officij: ἐπιτίμησιν,

reprehensionem, δίδαξιν, doctrinam, quæ ipsa est νουθεσία, commonitio, & ἐπιθεραπείαν, liberioris, & acrioris monitionis quandam mitigationem. Prima pars ostendit, sed artificiosè, ueluti per quandam insinuationem, nos dolere de illius errato, & uitio: quod cupiamus primo quoq; tempore ab illo emendari, & corrigi. Altera pars, quæ διδακτικὴ est, qua monstramus diligenter, & pluribus argumentis, τὰ πρακτέα, ἢ τὰ πραχθησόμενα, quæ nobis, illi agenda esse uideantur. Pars tertia copiosior est, propterea quòd illæ superiores partes, reprǣhēsio, & libera monitio, plerunq; habent aliquid acrimoniæ, & asperitatis. Fit etiam sæpe, cum reprehendimus uitium alterius, quem commonemus: ut illius ipsius animus, uel ira, uel metu commoueatur: & dum ostendimus quid illi ipsi faciendum deinceps, commutata uitæ ratione, esse uideatur: dum in meliorem uiam illum conamur deducere: uix etiam illud fieri potest, absq; illius quadā offensione. Quocirca alia quadam uia, & arte est opus: quæ nominatur θεραπευτική, tanquam medicinam afferens superiori proximo dolori. Iam uerò, apud Ciceronem hoc literarum genus plerunq; à reprehensione, sed moderata incipit. Desinit deinde in commonitione liberiore. Verùm ista θεραπεία uariam habet collocationē, reprehensioni artificiosæ temperatā. Sæpe enim intexitur τῇ διδαχῇ, qua docemus, quid agendum illi, quem monemus, esse uideatur. Cicero tamen Græcorum rationem secutus, interdum προθεραπείαν, instituit, id est, mitigationem asperioris orationis, commonitioni præpositam.

Pars μεμπτική.

Τῆς θεραπείας collocatio uaria.

ſitam: interdum ſubicijt poſt παῤῥησίαν, hanc ipſam mitigationem, qua lenit libertatem in reprehendendo; quã Hermog. nominat σφοδρότητα, καὶ τραχύτητα. In epiſtolis tamen, quadripartita omninò ratio eſt molliendi, id quod durius à nobis ſcriptum uidetur. Sed principale caput eſt ἔπαινος, laudatio eius, quem monemus. Ad hãc autem aggregantur reliqua κεφάλαια tanquam capita, ἄρνησις, negatio; μείωσις, extenuatio; μετάθεσις τῆς αἰτίας, cauſæ tranſpoſitio: & ἀξίωσις, poſtulatio. Ergo ἄρνησις eſt, qua dicemus, etiam interdum in ipſo exordio epiſtolæ; nos nequaquam ferre poſſe, ut ille, quem nos monemus, perſeueret in ſuo malo propoſito: ut alicuius uitij turpitudine obſcurentur cæteræ præclaræ uirtutes. Hoc enim nos in primis ſpectare: ut is ſine omni exceptione ab omnibus laudetur. Altera pars μείωσις eſt: ſed ita extenuamus turpitudinem illius uitij: ut argumenta primum ducantur, ex loco adiunctorum, id eſt, perſonæ illius attributionibus. Deinde ab exemplis, poſtremò à facultate. Nam, quantum ad perſonæ attributa pertinet, extenuabimus illud uitium, quod correctum eſſe cupimus, uel ab ætate, uel ab imprudentia, ἀπὸ τῆς ἡλικίας, καὶ ἀγνοίας.

Quadripartita ratio leniẽdi liberius dicta.

Τὰ κεφάλαια

Ἄρνησις.

Μείωσις.

Tertia quoq; ratio habet exempla, per communicationem, παραδείγματα κατὰ κοινωνίαν. Idem ſummis quoq; uiris oſtendemus commune fuiſſe; qui illud moniti correxerint quorum exempla debeat imitari. Hinc νος. κατάστασις; licet commune ſit, mutandum illud tamen eſſe. Huc accedit εἰκασμὸς: qui ſententias habet στοχαστικάς,

Παραδείγματα, ὅτι μὴ μό-

Cõiectura futuri temporis

Est τῆς συνελπιστίας, καὶ τῆς δυνάμεως Facile illud uitium mutari posse: si uel ab hac, uel illa uirtute ortum esse uideatur.

κὰς, coniecturales futuri temporis. Significabimus enim id quod desideramus in nostro amico, facile, & primo quoque tempore mutari posse; præsertim cum illud uitium sit admodum uicinum pulcherrimæ uirtuti, uerbi gratia: ut audacia fortitudini: sic prodigalitas liberalitati, atque parsimoniæ. Hactenus de extenuatione huius uitij, uel erroris. Sequitur huius mitigationis pars tertia, quæ habet μετάθεσιν τῆς αἰτίας, transpositionem causæ: & propterea omninò est προληπτική, καὶ αἰτιολογική, occupatione constans: qua causas exponimus, præsertim autem impellentes nos ad scribendum. Etenim indicabimus nos hæc scribere ad eum nulla alia de causa commotos, quàm singulari erga ipsum beneuolentia. Sed hæc occupatio πρόληψις, etsi in exordio habet sæpe locum peculiarem, tamen potest etiam in reliquo orationis cursu, adhiberi: ut in epilogo seu conclusione non rarò à Cicerone usurpatur ista quasi deprecatio liberioris uocis: quemadmodum etiam illa, quæ postrema fuit τῆς θαρσυντικῆς ἡ ἀξίωσις. Nam sub finem epistolæ, quæ tamen non caret delatione officij nostri, adijciemus petitionem iustam: ut eadem libertate in nobis commonendis ipse utatur: id quod amicitiæ leges requirant. Hactenus de tractatione, & generibus sententiarum eius admonitionis, quæ plærunque admixtam habet reprehensionem: sequitur altera ratio, & quasi forma, ἡ ἄνευ ἐπιτιμήσεως νουθεσία appellata: quæ caret uituperatione, & reprehensione. In hac sententiæ primum spectandæ sunt προοιμιαστικὰ, quæ exordij propriæ sunt: quanquam ad epilogum

Ἀξίωσις.

Ratio διδακτική: qua ostẽdimus quæ sint agenda.

epilogum etiam ab eruditis non raró transferuntur. Ergo προκαταρκτικαὶ ἔννοιαι, quibus exordimur: quæ tamen ut diximus, interdum etiam sunt ἐπιλογικαὶ. duplices omninò reperiuntur, in hoc genere monendi: quod ad docendum. & ueluti præcipiendum accommodatũ, & directum est, sententiæ, cum scilicet amico tanquam leges, atque præcepta damus, atque præscribimus: quid ipsi agendum esse uideatur. Priores sententiæ à Græcis nominantur ἀξιωματικαὶ, quibus nobis aliquam studemus comparare authoritatem. Nam ueluti præceptores sunt monitores, qui alios monent: eamq; ob causam ius quoddam sibi usurpant, erga illum, quem monent tanquam amicum, imò tanquã filium, aut etiam discipulum. Sed hic diligenter cauendum est, ne eam nobis arrogemus authoritatem, & quasi potestatem nobis sumamus: quæ ad alterius, quem docere uolumus, contumeliam spectet. Omnis enim νουθεσία, quamuis libera, debet carere contumelia, id est, non esse ὑβριστική. Iam authoritatem, uel ἀξίωμα, cum aliæ multæ res comparant monenti, & præcipienti, (cuiusmodi est officium parentum, & magistrorum, aut necessitudo propinquorum, atq; cognatorum.) tum uerò res illæ, quas Erasmus annotauit, ἡλικία, ætas, ἐμπειρία, plurimarum rerum usus, & πολυχρόνιον ἄσκησμα, diuturnum studium. Etenim qui alterum longè antecellunt, non ætate solum, sed etiam experientia tanta sunt: ut ille, qui monetur, per ætatem eam ipsam experientiam non potuerit sibi comparare, suo quodam iure, debent apud illum, in magna quadam constituti

Quæ res nobis authoritatem cõparent

Ἀξίωμα.

esse

esse autoritate. Sed illa etiam tertia causa, non minoris est monenti: cum significamus nos in eo studio, in quo illum confirmare conamur, multos per annos esse nõ negligenter uersatos; quod studium ille quidem nuper ingressus fuerit; sed ab eo malorum familiaritatibus retractus.

Ὑπόσχεσις.

Posteriores sententiæ dicuntur ἐπαγγελτικαί: quæ continent ὑπόσχεσιν, familiarem et amicam pollicitationem, ac pertinet ista ὑπόσχεσις ad promißionem epistolæ προοιμιαστικήν. Nam captata initio beneuolentia, & conciliata nobis authoritate; promittemus ei, ad quem commonendi gratia scribimus, nos consilium daturos amanter, & fideliter: non præcipiendi aut uituperandi, sed amantißimè, & fidelißimè commonendi gratia.

Κατασκευὴ confirmatio.

Restat ipsa κατασκευή, confirmatio. Nam deinceps demonstrabimus; qua quid ratione ab illo fieri oporteat. Sed illud fit duobus modis: aut enim sine rationibus, & argumentis ostendimus, quid, & quo modo quid fieri conueniat: aut adhibemus simul πυκνότητα, crebritatem, ubi res postulat, non tantum παραδειγμάτων, exemplorũ, uerum etiam χρειῶν celebrium dictorum grauißimorum uirorum, quorum authoritas apud illum debeat habere magnum pondus, atq; momentũ.

Epilogus νουθετικός.

De epilogo nihil præcipitur, propterea, quod talis epistola sæpe est ἀσυμπέραστος; sæpè etiam habet παραίνεσιν, breuem adhortationem. Deniq; non raro continet ὑπόσχεσιν, nostrorum officiorum delationem: aut pollicitationem; cum ostendimus, si dicto audiens esse uelit, non tantum ei fore laudabile, sed etiam iucundum.

Tertiũ admonendi genus

Hactenus de duabus primis rationi-

rationibus: iam eruditi & docti tertium etiam genus admonendi animaduerterunt, quod κρυπτικὸν est. Habet enim occultationem, neq; directum est, sed inflexum, propterea quod est κολακευτικόν. Constat enim occulta, sed quæ latenter uituperat, assentatione. Quo genere utimur ad eos, quos liberè non possumus monere: ut sunt superiores personæ, apud quas non possumus nobis autoritatem comparare. Ergo si Tyrannum aliquem uolumus monere sui officij, aut etiam instituere, in quem tamen non habemus ius præcipiendi: aut alium uirum quempiam principem, & qui est cum potestate, post insinuationem, laudabimus: eiusq; uirtutes prædicabimus, quas tamen nullas habuit: Sed dicemus tamen, nos ex relatione aliorum accepisse, quibus fidem habeamus, & ut illas uirtutes pergat porrò excolere, eum monebimus: Sed modestè, & cum omni animi submißione. Sic enim fiet, ut ille ipse Tyrannus, aut sui similes agnoscant, ex hac laudatione simulata, & ueluti assentatione, uitia sua uirtutibus contraria, eamq; ob causam se longè abesse ab his uirtutibus, quas ille celebrat, impulsus fama, & auditione, uel etiam aliorum assentatorum scriptorum lectione.

Ἐπιτιμητικὸν, sed κολακικά.

Κρυπτική.

Materia huius generis, seu ὑπόθεσις primi generis, quod habet obiurgationem, & reprehensionem, uersatur plærunq; in uitijs ingenij, & naturæ, uel cæteris animi uitijs, & moribus uitiosis, malis & studijs, & actionibus. Nam sunt quidam simplicioris ingenij, & minus cauti, hos monemus, ne nimium credant alijs, imò

Ὑποθέσεις ἢ θέματα primi generis apud Eras.

ut nihil omninò fidant amicis fucatis. Sunt item alij audaciores, qui reuocandi sunt monendo ad quandam modestiam, profusiores ad liberalitatem, & parsimoniam cohortandi: qui nimium deditus est aleæ, is monendus est, ut si omninò interdum uelit animum laxare, ad alios quosdam minus periculosos lusus se conferat. Sunt etiam ex nostro grege: qui nimium studijs liberalium artium sunt addicti, & lucubrationibus, & laboribus aßiduis propè se necant: eos monemus, ut modum studiorum teneant: horas distribuant, ualetudini parcant. Sunt deinde alijs uitijs præditi: à quibus eos cupimus abducere.

Hæc argumenta, sed ὑποθέσεις plerunq; admixtam habent obiurgationem.

Ergo, qui effrenatæ linguæ est: hunc coercebimus admonitione graui. Quam periculosum enim sit, ostendemus, esse linguæ apud quosuis, liberioris: & monebimus, ut loquatur prudenter, & circumspectè: ut uideat quid loquatur, quando, quo loco, & ad quem loquatur: & illud Pythagoræ de silentio meminerit, Digito compesce labellum: & illius, ἄκουε, καὶ γλωσσοκράτει. Plerique etiam sunt ualdè morosi, atque difficilles, hos monebimus, ut sint humaniores, & faciliores erga domesticos, erga ciues, erga propinquos, ut sint obsequentiores erga superiores: deniq; ut se ad hominum mores accommodent.

De mitiganda liberiore monitione.

Sed, ut supra diximus, quando liberior, & acrior est interdum eiusmodi hominum uel obiurgatio, uel repræhensio; lenire & mitigare oportet aßperitatem, & quasi orationis seueritatem. Extant autem apud Ciceronem exempla, & inter alia, huius mitigationis, seu θεραπείας, ualde insigne, ad Q. fratrem, de

admi-

administranda prouincia Asia, & de moderanda iracundia. Quæ autem monitio est διδακτικὴ, quæ præscibit agenda, plærunquæ uersatur in his propositis, quæ θέσεις dicuntur, πρακτικαὶ & θεωρητικαί. Quibus rationibus stilus exercendus esse uideatur? Quomodo legendi boni scriptores? Quomodo repetendæ lectiones? quæ ὑποθέσεις sunt θεωρητικαὶ, καὶ φιλοσοφικαί. Sed enim πρακτικαὶ sunt huiusmodi. Quæ nam sint officia uirorum principum? Regum, Imperatorum? quæ Pontificum, Episcoporum, Doctorum in Ecclesia? Quid agendum sit ei, qui in aulis cogitat uitam degere? Quomodo colendi sunt amici? Quomodo uitanda inuidia? Quibus rationibus educandi, instituendi, erudiendiq; liberi, pupilli, discipuli? Quid agendum præceptori, quid curatori? quid discipulo, quid pupillo? quid Patrono? quid clienti? Quid Maroni? quid Mecœnati? Nam hæ quæstiones sunt ἠθικαί, πολιτικαί, οἰκονομικαί.

Monitionis διδακτικῆς, καὶ παραγγελματικῆς, καὶ ἐπιτακτικῆς themata, quæ præceptionem continent, exhortationi non absimilem.

EXEMPLA *huius literarum generis.*

Illustria reperies, Fam. lib. 8. ep. 9. M. Cœlij: lib. 4. ep. 7. cuius initium est: Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, &c. Ad Atticum, lib. 10. Quæ locutus Furnius noster, &c. Pliniana, post Syluam Ciceronianam, plura Roterodamus annotauit. Sed mixtæ monitionis etiam illud accuratißimum exemplum citat, ad Q. Fratrem: cuius principium est: Et si non dubitabam: quin hanc epistolam, &c. cuius παραινετικὴν postremam partem supra disposuimus.

ΔΙΑΤΥΠΩΣΙΣ *superiorum, quæ sunt monitoriæ Epistolæ.*

Νουθετικὴ igitur Ἐπιστολὴ alia est

- Ἐπιτιμητικὴ, qua uitium, quod emendari uolumus, artificiosè indicamus.
- Διδακτικὴ, ἐπιστατικὴ, παραγγελματικὴ, qua ostendimus, quæ agenda nescienti, tanquam scienti esse uideantur.
- Ἐπιθεραπευτικὴ, qua reprehensionem acriorẽ lenimus, eiusq; mitigamus asperitatem, laudatione personæ.

Propter

- Ἐπιτίμησιν σφοδρὰν, καὶ τραχεῖαν.
- Ἐπίταξιν παραινετικήν.
- Ἐπιθεραπείαν, ἢ ἐπιθεραπεύουσαν, ἢ προθεραπείαν,

Suntque hæc aut

- Ἀμιγῆ, pura.
- Ἐμμιγῆ, mixta, et quasi contemperata.

ΚΕΦΑ-

ΚΕΦΑΛΑΙΑ *τῆς θεραπείας, ἢ παραμυθίας,*
loci mitigationis liberæ monitionis,
& reprehensionis.

Loci sunt præcipui sex:

- Ἄρνησις, negatio ἠθική.
- Μείωσις, extenuatio uitij.
- Παράδειξις, ἢ κοινωνία: quod etiam maximi quoq; uiri hoc uitio laborarint.
- Εἰκασμὸς: quod sit συμμετάβλητον. facile enim mutari posse.
- Μετάθεσις τῆς αἰτίας, προλήψει.
- Ἀξίωσις, petitio τῆς ἀμοιβαίας νουθετήσεως.

Referuntur ad κεφάλαια τελικά:

- Τὸ καλόν.
- Τὸ δυνατὸν, καὶ ῥᾴδιον.
- Τὸ ἐπιεικές.
- Τὸ χρήσιμον.
- Τὸ ἐκβησόμενον.

H ANEY Ἐπιτιμήσεως νουθεσία.

Huius tractationis partes ferè sunt:

- Πεποίθησις, fiducia.
- Ὑπόσχεσις.
- Παραίνεσις παραγγελτική.

Sententias habet:

- Ἀξιωματικὰς quibus authoritatem quandã nobis comparamus.
  1. Ab ætate, qua illum longè præcedimus.
  2. A multarũ rerum usu, qui in illo, quẽ monemus, per ætatẽ, nondũ tantus esse poßit.
  3. A diuturno studio, in quo nos simus plurimis annis uersati, illo nunc istud ingrediente.
- Καταστατικὰς, καὶ συννοϊκάς.
- Διδακτικὰς, καὶ ἐπιτακτικάς.

Superiora enim sunt προοιμιαστικὰ, hæc κατασκευαστικά: quibus ostendimus, quo quid fieri conueniat: idq́; oratione dilucida, breui, probabili, graui. Locum hic etiam habebunt παραδείγματα, et χρεῖαι. Vtemur itaq; nõ exem plis

plus ſolum, ubi res poſtulat, ſed etiam dictis probatorum authorum: maximè eorum: quorum authoritas grauis eſt, apud eum, ad quem ſcribimus. Refer huc τὴν ἔκβασιν: cum oſtendimus quid laudis, quid reprehenſionis hic, uel ille conſecutus ſit: uel ex uitij correctione, uel ex nimia pertinacia.

ΚΡΥΠΤΙΚΗ νουθέτησις, ex Roterodami obſeruationibus.

Habet occultatio iſta duo:
- Ἐπίδειξιν.
- Ἀρέσκευτικήν.

Cum enim
- Prædicamus multas in eo uirtutes; à quibus eſt alieniſſimus:
- Execramur in alijs quædam abominanda:

Ἔκβασις, tacitè, κρυπτικῶς admonemus, uitium illud agnoſcentem: quid mutare, quid ſequi debeat.

ΑΝΤΙΓΡΑΦΗ *πρὸς τὴν νουθετικὴν,*
respondendi ad monitionem
breuis ratio.

Qui recta monenti responsurus est: is & laudabit officium illius plenum humanitatis, amoris, & prudentiæ: & eidem aget gratias: & ut in simili causa, idem faciat in posterum, rogabit: & ei mutua sua deferet officia. Constabit ergo ἡ ἀντεπισταλτικὴ his partibus.

Ἐπαίνῳ, ἢ συφημίᾳ τοῦ νουθετοῦντος.

Εὐχαριστίᾳ.

Ἀξιώσει.

Ὑποσχέσει.

Exemplum breue Roterodamus subiecit: quod extat libro secundo Familiarium: Epistola est duodecima: mixta ex responsione ad commonitionem, et purgationem, in qua est excusatio φιλικὴ, significationem habens sui erga Appium, & M. Brutum amoris: quæ pars tota est ἐγκατάσκευος, & Argumentosa: quamobrem ualde diligat Appium: & Brutum amet.

PRINCIPIVM EST HVIVS GEneris *ἀντιγραφικόν.*

M. T. Cicero Imperator Cœlio Aedili Curuli. S. D.

RAras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur) sed suaves accipio literas: vel quas proximè acceperam: quàm pru-

prudentes? quam multi & officij, & consilij?

Etsi omnia sic constitueram mihi agenda: ut tu admonebas: tamen confirmantur nostra consilia: quum sentimus prudentibus, fideliterque suadentibus idem videri:

Raras) Πρότασις, propositio *κατὰ συνδρομὴν, καὶ μορισμόν. Quanquam raras tuas accipio literas: hactenus de raritate literarum Cœlij: quam* κατὰ παρένθεσιν *excusat: ne conqueri, aut accusare illum uideatur: sequitur* ἀντικατάλλαξις, *compensatio: tamen suaues accipio.* Sed.) Ανταπόδοσις τοῦ μορισμοῦ, *distinctionis sententiarum diuersarum, quæ fit particulis* ἀνταποδοτικαῖς: *Quidem—: Sed: ut apud Græcos,* μὲν, *&* δὲ. *Hactenus* πρόσληψις τοῦ ἀορίστου, *assumptio infiniti ad finitū. Vel quas proximè.)* Sequitur ratio, κατασκευὴ, ἐκ τοῦ ὡρισμένου, *tanquā ab exemplo,* ὡς τύπος, ἐκθέσει. *quales proximæ fuerunt.* Quàm prudentes.) Επικατασκευὴ, *confirmationem adijcit* ἐρωτήσει θαυμαστικῇ, *interrogatione, cum admiratione.* Estque εὐφημία, ἢ ἔπαινος τοῦ γράψαντος, *laudatio scribentis, à prudentia, & officijs humanitatis, ac beneuolentiæ. Et si omnia.)* Iam ἀποδοχὴν, *admittit enim consilium: cui se acquiescere uelle scribit. Constitui mihi agenda: ut admonuisti.* Hæc est κατάστασις, *propositio* ἐγκατάσκευος, *annexam habens rationē* νοηματικῶς. *Consilia nostra confirmantur tum: cum sentimus, prudentibus, fœliciterque suadentibus, idem uideri.* εὔνοια σεμνὴ, *& laus suadentis, seu monentis, à prudentia, & felici consilio.*

ALIVD EXEMPLVM, LIBRI VII. *Epist.* 25. M. T. *Cicero* M. *Fabio Gallo.* S. D.

I. *Locus* παραθαῤῥυντικός.
II. Αντεπισαλτικὸς πρὸς τὴν νουθεσίαν.
III. Εκ τοῦ ἀποῤῥήτου ἐπαγγελτικὸς τόπος.
IIII. Αποκριτικός, *ad aliud literarum M. Fabij.*
V. Αμοιβαία νουθέτησις.
Epilogus προτρεπτικός.
Ratio, et laus styli, ab effectu.
Επιφώνημα *à suo exemplo.*

QVòd epistolam conscissam doles: noli laborare.

Salua est domi: petes, cum libebit.

Quòd autem me mones: valde gratum est.

Idq́ue vt semper facias, rogo.

Videris enim mihi, vereri: nisi istum habuerimus: rideamus *γέλωτα σαρδώνιον.*

Sed heus tu, manū de tabula: Magister adest citius, quâm putaramus.

Vereor ne in Catonium, Catonos.

Mi Galle, caue putes, quicquam melius, quā epistolæ tuæ partē, ab eo loco: cætera labūtur. *καὶ τὰ λοιπά.*

Secretò hoc audi tecum habeto: ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris: præter duo nos, loquitur isto modo nemo, benè, maleve, videro. Sed, quicquid est, nostrum est.

Vrgeo igitur, nec transuersum vnguē (quod aiunt) à stylo.

Is enim est DICENDI opifex.

Atque equidem aliquantum iam etiam noctis assumo. Vale.

Vident lectores uariam esse hanc Epistolam: uidelicet ex diuersis generibus mixtam; sed κεκρυμμένην, καὶ οἱονεὶ ὡς ἐπὶ πλεῖστον αἰνιγματώδη, non solum propter

ἐλλείψεις καὶ σιωπώμενα; ſed etiam propter diuerſas παροιμίας. Locus primus non eſt huius argumenti; ſed θαῤῥυντικὸς, quaſi conſolatorius; ut bono ſit animo Fabius Gallus. ob conſciſſam epiſtolam.

Ἀποσημείωσις huius loci.

Partes eius ſunt:
- Ἐπανάληψις, quaſi ὑποφορὰ, & ἀπαίτησις. Quòd epiſtolam conſciſſam doles.
- Ἀντίθεσις, reſponſio
  - Propoſitio. Noli laborare.
  - Ratio. Salua eſt domi.
  - Confirmatio. Petes, cũ licebit.

Διατύπωσις loci ſecundi.

Huius partes ſunt:
- Πρότασις, ἐπαναλήψει. Quod autem me mones.
- Ἀπόκρισις:
  - Εὐχαριστία. Valde gratum eſt.
  - Ἀξίωσις. Idq́;, ut ſemper facias, rogo.
  - Κατασκευή. Videris enim mihi uereri: niſi iſtum C. Cæſarem habeamus: rideamus γέλωτα σαρδώνιον.
- Ἐπιφορά. Sed heus tu, manum de tabula. Magiſter adeſt citius, quàm putaramus.

Γέλωτες

Γέλωτα σαρδώνιον.) Risum Sardonium, primũ prouerbium Erasmus in Adagijs. & Cæl. Antiq. lect. lib. 7. cap. 17. Sed heus tu) Abrumpit hunc locum ἐκπληκτικῶς, nunciando de Cæsaris reditu, ab Africano, uel Hispaniensi bello, ἐκ τοῦ κινδυνώδους. Non tutum esse in hoc tempore de laudibus Catonis inimici C. Cæsaris scribere, qui dictator, magisterúe populi: uel Censor, cui delata à Senatu erat censura morum. ludit παροιμιακῶς in uerbo ambiguo, Magister. Alterum prouerbium. Vide Erasmum. Ne in Catonium.) Al. Ne in Catonem, Cato in nos. Vt Pauli Manutij codex habet. Mi Galle.) Αποστροφῇ transit ad alium locum responsionis, laudatione, per comparationem. Ab eo loco.) Ενδειξις, indicatio capitis illius literarum. Cætera labuntur.) Μιμητικῶς, ἡ ἀνάγνωσις, allegat enim, & recitat quædam uerba ἐπισταλτικῶν literarum. Secretò hæc audi.) Locus V. mutua νουθεσία, à tuto, de silentio præstando. Præter duo.) Σολοικοφανές. Comparatio κατ' ἐξαίρεσιν sui & Galli. Benc.) Απορία, dubitatio. Sed.) Επιδιόρθωσις, correctio, qua redit ad exceptionem, præter nos duos, &c. Vrgeo.) Al. Vrge. Epilogus. Stylus tamen est exercendus, sed hoc tempore, in alia ὑποθέσει, non ista odiosa, nobisque exitiosa. Ne transuersum unguem.) Tertia παροιμία. Vide Erasmi Chiliad. Hactenus propositio. Vrgendus stylus. Is enim.) Ratio, & σύστασις, commendatio huius exercitationis, ab effectu, seu utili. Est enim dicendi effector, ac magister. Atq; etiam.) Clausula, à suo exemplo. Ego urgeo. Ergo & tu urgebis: & ad me sæpissimè

ſimè ſcribes. Atque hæc de monendi alterum genere. Pergamus ad cætera.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΑΠΟΦΑΝΤΙΚΗ.

CAPVT XXVIII.

GRæci huic generi νουθετικῷ ſubijciunt Epiſtolã, quam ἀποφαντικὴν nominant: eamq́; ad hunc modum definiunt: ἀποφαντική ἐστι δι᾽ ἧς ἀποφαινόμεθα, καὶ ἀπότομον κρίσιν ἐκφέρομεν κατά τινος. Hæc enim formaliterarum, eſt qua enunciamus, id eſt, breuem ſententiam proferimus noſtram, contra alterum. ij Græci hanc epiſtolam etiam ἀπαγορευτικὴν, uetantem, & prohibentem appellant. Eſt igitur τὸ πρόστι, denuncians epiſtola, rei, id eſt, ſentẽtiæ noſtræ denuntiatio. Τὸ ἀντιστρέφον ergo, & fundamentum, eſt ſententia definitiua, qua decidimus aliquid, & ut Græci dicũt, κρίσις ἀπότομος, breue contra aliquem iudicium, lataq́; de ſupplicio ſumendo de illo conſilium, & ſententia. Terminus eſt, ut ſit ἀπόφανσις, ἢ ἐκφορὰ τῆς ἀποτόμου ἢ μετρίας κρίσεως, ἢ βουλῆς. Sed eſt coniuncta cum ἀπαγορεύσει, qua dehortando, quaſi alterum ab interceßione, aut deprecatione grauibus uerbis deterremus monẽdo.

EXEMPLVM GRAECORVM.

Τὸν ἐμὸν οἰκέτην ἐβουλευσάμην τιμωρήσασθαι, δι᾽ ἧς μοι κατεσκεύασεν ἐπιβουλήν. ὅθεν μή μοι παρακλήσεις προσάγειν περὶ αὐτοῦ πειρῶ. ἀδύνατον γάρ ἐστι, μὴ τὴν

ἐμαυτοῦ βουλὴν, εἰς ὥρας ἥξειν· καὶ τούτων παύτῃ τε, καὶ πάντως κολάσαι.

Exemplum ſcholaſticum quidem iſtud eſt, ſed monitionis cum denunciatione coniunctæ, non imperfectum. Prima enim eius pars breuiſsima ἀφήγησις, narratiuncula eſt, quæ ponitur loco propoſitionis: & habet λογισμὸν, conſilium ſcribētis. Statueram, inquit, de ſeruo meo domeſtico iuſtum ſupplicium ſumere. Confeſtim ſubdit κατασκευὴν, rationem. Eò quòd mihi ante illud tempus inſidias ſtruxit. Altera pars deinde eius epiſtolæ, eſt ἀπαγορευτικὴ, uetans & prohibens; eiuſq; πρότασις, propoſitio. Itaq; ne tentes, inquit, pro eo precibus, apud me intercedere; quod eſt παρακλήσεις προσάγειν περὶ αὐτοῦ. mox αἰτιολογίαν, rationem ſubijcit, ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, ab impoſsibili. Fieri enim inquit, non poteſt, quin inſtitutum meum exequar: & eum inſidiatorem uitæ meæ, quemadmodum iuſtum eſt, ubique, & modis omnibus, puniam.

DE EPISTOLA, QVA MANDAmus quippiam alicui.

AD ſuperiores deliberatiui generis formas etiam ea pertinet: quam Græci προσταντικὴν, & ἐπιτακτικὴν ſolent appellare. Sed hoc genus ualdè ſimplex eſt, & uniuſmodi, μονοειδὲς, καὶ ἁπλοῦν. Eſt enim hominum plerunque, qui ius imperandi habent: et propterea eiuſmodi epiſtolæ nominantur à Græcis ἐπιστατικαὶ, πατρικαὶ, δεσποτικαὶ, & ἀρχικαὶ, καὶ βασιλικαί.

Num

Num ut apud Comicos, herus seruis suis imperat: Vos isthæc intrò auferte: abite. Sosia, ades dum: Sic parentes liberos iubent: magistri discipulis præcipiunt: magistratus ciuibus mandant: reges populis imperant: & tyranni subiectis insultant: Sic uolo, sic iubeo. Sit pro ratione, uoluntas. Ex quibus perspicuum est, hanc simplicissimam epistolæ formam etiam simplicissima ratione, & plerunque uulgari, atq; populari constare. Veruntamen obseruandæ sunt in eiusmodi epistolis, dicendi propriæ figuræ, atque formæ, ἡ συντομία, sermonis breuitas, καὶ ἡ σαφήνεια, orationis elegantia, atq; perspicuitas. Exempla cum alia multa apud Cic. huius generis extant: tum uerò illustria sunt illa ex multis. Exempla.

Primum istud, quod est lib.16. Famil. epist.16 ad Tironem: Expecto tuas literas de multis rebus; te ipsum multò magis. Demetrium redde nostrum; & aliud, si quid putes boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor: scio tibi curæ esse: sed confice. Et, si ob eam rem, moraris, accipio causam. Si te id tenet, aduola. Literas tuas ualde expecto. Vale.

SVPERIORE LONGIOR.

M. T. Cicero Tironi S.D.

QVid igitur? non sic oportet? equidem censeo, sic addendum, SVO. Sed, si placet, inuidia uitetur: quam quidem ego sæpe contempsi. Ἀπολογία. Sic.). s. Tullius, Tullio, Tironi suo.

Tibi διαφόρησιν gaudeo profuisse. Si uerò etiã Tusculanũ, Dij boni, quãtò mihi illud erit amabilius? Εὐχαριστία.

Sed,

Sed, ſi me amas (quod quidem aut facis: aut perbellè ſimulas: quod tamen in modũ procedit) ſed ut ut eſt: INDVLGE ualetudini tuæ: cui quidem adhuc, dum mihi deſeruis, ſeruiſti non ſatis, ea quid poſtulet, non ignoras: πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον σύμμετρον, τρῖψιν, εὐλυσίαν κοιλίας.

Ἐπιτάττει. Ἀφορισμὸς.

Fac bellus reuertare: non modo te, ſed etiam Tuſculanum noſtrum plus amem.

Epiſt. 20. Paredrum excita: ut hortum ipſe conducat: ſic olitorem ipſum commouebis.

LL. S. CIↃ. Ἀγανακτικῶς. Helluo nequiſsimus ſeſtertia CC. dabat, nullo aprico horto, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa. Iſte nos tanta impenſa derideat?

Aqua in Tuſculano. Calſace hominem: ut ego M. Othonem. Itaq; abutor coronis. De Crabra, quid agatur, etſi nunc quidem etiam nimium eſt aquæ, tamen uelim ſcire.

Horologium mittam, & librum: ſi erit ſudum.

Ἐρωτηματικῶς. Ἐπιτακτικῶς. Sed tu nullos ne tecum libellos? An pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat.

Ἐπαγγελτικῶς. A. Ligurius, Cæſaris familiaris, mortuus eſt, bonus homo, & nobis amicus. Te quando expectemus, fac ut ſciam. Cura te diligenter. Vale.

Διαφόρησιν.) Digeſtionem, aut migrationem ex urbe in Tuſculanum Al. διαφώνησιν, declamationem: quæ etiam ſtomacho prodeſt. Πέψιν.) Digeſtionem. ἀλυπίαν.) iucunditatem. Al. ἀκοπίαν, à magnis laboribus quandam quietem. περίπατον.) Deambulationem moderatam, delectationem, purgationem uentris.

Huius

Huius generis est & quarta libri eiusdem: cuius initium est: Andricus postridie ad me uenit, &c. Et ista ad Atticum;

Pætus, ut antea de te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donauit. Hoc illius munus in tua diligentia positum est. Ἀφήγησις.

Si me amas, cura ut conseruentur: & ad me proferantur. Ἐντολή.

Hoc mihi nihil potest esse gratius.

Et tum Græcos, tum Latinos diligenter ut conserues uelim. Ὑπόσχεσις. Ἐντολή.

Tuum hoc munusculum esse putabo.

Sed hæc exempla seriæ iußionis sunt: iocosæ autem extat apud Horatium exemplum. Ὑπόσχεσις.

Vt proficiscentem monui te, sœpe diuque, &c.

Διάκρισις.

Προςακτικὴ non multum differt à παρακλητικῇ. Sed hoc distant: quòd mandamus cum autoritate: petimus autem ab ijs, in quos nobis mandandi ius non est. Hæc Erasmus.

ΑΠΟΜΝΗΣΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

HVIC generi literarum Græci subijciunt formam cognatam, & affinem: quam nominant ἀπομνηστικὴν, quasi dicas, submonitoriam, uel aliquid in memoriam, & mentem reuocantem,

atq; reducentem. Etenim ad istum modum hanc definiunt epistolam: Ἀπομνηστικὴ δ᾽ ἐστὶ, δι᾽ ἧς δοκοῦμέν τινα τοῦ ζητουμένου πράγματος ἡμῖν ὑπομιμνήσκειν, τὸν σκοπὸν ἡμῶν ἐν αὐτῇ χαράττοντες. Ex qua descriptione non solum officium, sed finis etiam harum literarum potest facile animaduerti. primum enim munus est huius epistolæ, monere alterum breuiter eius rei, quæ apud nos non est amplius in controuersia, sed iam definita, & quasi statuta. Alterum officium est, nostris consilijs tanquam modum quempiam, & ut Græci loquuntur, σκοπὸν præfigurare, seu paucis uerbis rei uniuersæ summam complecti. Exemplum huius generis, quod iussionem habet & mandatum, Græci in scholis breuissimū proposuerunt. Παραγενόμενος ἐν τῷ δε τῷ τόπῳ, καὶ ἀνερευνήσας τὸν τιμιώτατον ἄνδρα τὸν δεῖνα, λέξον, ἐξ ἐμοῦ τῷδε τάδε. Ex quibus perspicuum est, principales partes huius generis esse, ἀφήγησιν τοῦ χρόνου καὶ τόπου, temporis & loci breuem notationem. ut in hoc exemplo. Vbi & quando ueneris illuc, atq; incideris forte in ornatissimum illum uirum, &c.

Altera pars, est ὑπόμνησις, ut in definitione continetur, eadem potest appellari ἀπομνηστία, propterea quòd epistola nominatur ἀπομνηστική, qua rogamus, ut huius, uel illius rei non obliuiscatur. Sic enim non tam rogando, quàm monendo, & iubendo (inquit Græcus ille Sophista.) Dicas meo nomine illi, post salutem, hæc, uel illa. Hoc genus epistolarum usitatissimum est; & necessarium quoq; habet usum sæpenumero, quando non uacat

ἵνα καὶ ἀπομνηστῇ, ne obliuiscatur mandati.

cat

cat nobis scribere. Tum enim tabellario, ut amico solemus mandare: ut ipse tanquam uiua epistola, hæc, uel illa negotia, nostro nomine, alteri committat, neq; horum obliuiscatur.

Germanis est ain dencke zedel, si est ἔγγραφος.

DE RATIONE CONCILIANDI, quæ προσαντικὴ nominatur.

CAPVT. XXIX.

SEquitur aliud genus epistolarum, quod non solum conciliationem habet, uerum etiam complectitur sub se duas formas epistolarum, apud Græcos frequentatas, φιλικὴν, amicã, & ἐρωτικὴν, amatoriã. In qbus præcepta insinuationũ, quæ extant apud Rhetores, diligenter sunt obseruanda. Sed primũ de conciliandi ratione. Græci nõ habent uerbũ, quod Latino admodũ respondeat; nec illi de hoc genere quicquam præceperunt. Veruntamen aptè potest appellari huiusmodi epistola προμνηστικὴ, & θεραπευτικὴ; quemadmodum etiam officiosa epistola θεραπευτικὴ dicitur à Græcis, quam huic ueluti classi attribuimus. Primum autem διάκρισις, seu discriminatio debet obseruari inter conciliationem, & commendationem. Deindè ἡ διαίρεσις, partitio huius conciliandi rationis. Sic enim facilius definitionem τῆς προσαντικῆς ἐπιστολῆς reperiemus. Quantum igitur ad discrimem pertinet conciliationis, & commendationis, sciendum est: commendatitijs epistolis nos beneuolentiam conciliare ALIIS, non nobis, apud amicos nostros. Conciliatorijs epistolis studemus NO-

Quid conciliatio à commendatione differat.

BIS uirorum magnorum animos, & beneuolentiam conciliare atq; comparare. Quanquam uero hoc præcipuum est: ut qui longo interuallo locorum sunt disiuncti, sese ueluti prouocent ad colendam amicitiam missione literarum aßidua, qua non solum appetunt illorũ amicitiam, sed etiam eandem cupiunt crebritate literarum confirmare: sæpè tamen locum etiam habet hæc conciliandi ratio tum, cum alios, id est, nostros amicos alijs conciliamus.

Quid sit concilians epistola.

Ex hac autem discriminatione, breuis potest ista definitio conciliantis epistolæ colligi. Conciliatoria epistola est, qua conamur uel nobis cõciliare uiros magnos, cum quibus antea nulla nobis interceßit amicitia : uel qua alios inter se studemus conciliare. Et quanquam laudationem personæ continet hæc scribendi ratio : ut ad demonstratiuum genus causarum referri posse uideatur, tamen propter pleraq; argumenta, rectius deliberatiuo subijcitur. Vtriusq; generis sunt diuersæ sententiæ, octo nimirum generum. Sed, ut apud scriptores animaduertitur, uariè inter se temperantur, & permiscentur. Conciliatio itaq; est τὸ πρός τι: eiusq; fundamentum, & τὸ ἀντιστρέφον, est persona concilianda nobis, uel etiam amico. τὸ πρόσωπον autem καταλλακτόν est persona absens, nulla ante hac noticia, uel amicitia coniuncta. Terminus est, ut sit conciliatio, seu nouæ amicitiæ, qua cum illo ueluti conglutinemur, comparatio. Est igitur epistola concilians: qua nos in alterius amicitiam antea ignoti artificiosè insinuamus; uel etiam alios inter se conciliamus.

Sententiarũ conciliantiũ genera.

liamus. Primum autem sententiarum genus est præcipuum, quocunq; illud loco ponatur, quod à Græcis appellatur ἐπιδεικτικὸν, uel ἐπαινετικόν. Ergo in conciliando nobis amico antea ignoto, sententias ducemus, uel à persona illius, cuius nos amicitiam, licet absentis, per literas ambimus; uel à nostra etiam persona interdum trahitur sententia ad laudationem pertinens, uel potius ad commendationem nostri. Sed quoniam præcipua laus petitur à persona illius, in cuius amicorum album cupimus inscribi; cautio diligens adhibenda est in illo ipso laudando, ne aut fingere aliquid, aut nostrum negocium agere, aut ei adulari, uel insidiari uelle uideamur. Sunt ergo in hoc genere sententiarum diligenter fugiendæ κολακεῖαι, assentationes; πλάσεις, uel ὑποκρίσεις, ficta & simulata amicitiæ species: ἐπιβουλαὶ, insidiæ, quæ superiores duas solent plerunq; comitari. Deniq; ἴδιον πρᾶγμα, proprium negocium & priuata utilitas. Ergo superioribus illis sententijs propter suspicionem, & admirationem quasi nouitatis, in amicitia magni alicuius uiri nobis concilianda, occurret, & meditabitur facilè ἡ πρόληψις, ratio anteoccupandi, & huiusmodi suspiciones amoliendi. Quantum ad nostram personam attinet: in literarum istarum cursu, & tanquam in transitu, per occasionem, laudabimus etiam nos, tanquam non omninò indignos illius ipsius amicitia. Sed & hic est cautio adhibenda: ut σύστασις, commendatio nostri procul absit ab omni arrogantia, & ostentatione: quæ elationis animi est certißimum documentum. Vt enim

1. Ἐπαινετικὴ, & propè κολακευτικὴ.

Absit πλάσις, πλεονεξία, κολακεία, ἐπιβουλή.

Πρόληψις, anteoccupatio. Ad quæ ἀξιωματικὴ, ἢ λυτικὴ ἔννοιαι pertinent: quibus deprecamur, et amolimur assentationis suspicionem.

Κολακία. κολακεία, assentatio odium parit, sic nobis etiam ipsa φιλαυτία, non tantum odium conciliat, sed etiam inuidiam, pro beneuolentia, & gratia conflat. Studiosè igitur ἡ ἀλαζονεία est fugienda in nostrarum uirtutum prædicatione, aut cæterarum nostrarum rerum laudatione aut exornatione. Sequuntur deinceps sententiæ αἰτιολογικαί. Pertinent autem ad occupationem: & locum propè obtinent proprium in exordio. Etenim causas exponemus, quibus impellamur, non ad amandum tantum illum, sed etiam ad eum ipsum in tempore scribendum. Sed quatuor præcipuæ causæ sunt conciliatrices amicitiæ inter absentes: tametsi nec certum ordinem habent: nec omnes in omni epistola possunt commemorari. Nã & aliæ adduci possunt: præsertim apud alios, ut illiteratos homines. Sed inter eruditos, doctrinaq; præstantes, multisq; præclaris uirtutibus eximios, quatuor plerunque solemus, si possumus, in una epistola, uel pauciores recensere: cuiusmodi sunt monumenta ingenij illius: quæ sunt testimonium publicum eius studiorum, industriæ, ac doctrinæ. Huc etiam pertinet laudatio illius, profecta à clarissimis, & laudatissimis uiris: quæ priuata est commendatio futuri amici. Item, rumor publicus: qui increbuit etiam apud uulgus, de singulari illius pietate, eruditione, atq; uirtute. His tribus sententiarum generibus, boni scriptores quartum solent aggregare: quod ex illis proximis colligunt, quasi in dubia coniectura. ut est, quam Cicero similitudinem ingeniorum, animorum, & morum nominat, quæ mater est ueluti amicitiæ inter

Ἀλαζονεία.

2. Ἔννοιαι αἰτιολογικαὶ προκαταρκτικαί, ἢ προοιμιαστικαί.

Scripta.

Prædicatio laudatissimorum uirorũ.

Fama.

similes

ſimiles conglutinandæ. Tertium genus ſententiarum à Græcis dicitur μειωτικὸν, quod ad noſtram pertinet perſonam. Modeſtè enim in nobis, ſi quid eſt uel ingenij, uel doctrinæ, uel alterius cuiuſpiam rei, quam Ariſtoteles in Ethicis nominat φιλητὸν πρᾶγμα, attenuabimus oratione. Eſtq; ualde ἠθικὸν hoc genus, & σὐννοϊκὸν, & φιλοποιητικὸν: & ab excellentibus ſcriptoribus plerunq; tractatur comparatione, συγκρίσει: non raró etiam προκαταλήψει, anteoccupatione. Nam fatebimur, nos ab illius excellenti ingenio, eximiaq; doctrina, ac egregijs uirtutibus, longo gradu abeſſe, ab eo his omnibus naturæ, et induſtriæ dotibus ſuperari: admiratione tamen tantarum rerũ in illo, hucuſq; nos tanquam ſingulare exemplum conatos fuiſſe imitari; etiamſi nos aſſequi poſſe diffideremus.

Similitudo conciliatrix amicitiæ, ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φίλον.

3. Μειωτικαὶ ἔννοιαι.

Quartum genus ſententiarum ſuperiori eſt contrarium. Nam ἔννοιαι ſunt αὐξητικαί. Quemadmodũ enim comparatione, ἠθικῶς extenuabimus noſtra ſtudia, ingenium, & quæ ſunt eiuſmodi: ſic è regione, aliud genus rerum, quod noſtrum eſt, amplificabimus; ueruntamen breuiter, & modeſtè. Ergo non ſolum noſtrum animum, atq; beneuolentiã, ne de noſtra uoluntate dubitet, ampliſsimis uerbis offeremus: ſed etiã ſtudiũ, atq; operã noſtrã illi deferemus: ut officioſa non ſolum, ſed etiã familiaris et amica noſtra epiſtola eſſe uideatur.

4. Ἔννοιαι αὐξητικαί; quibus exaggeramus noſtrum animum, ſtudium, φιλοκαλίαν, &c.

Reſtant tria adhuc ſententiarum, in hac conciliandi ratione, genera. Ergo ad epilogum, & concluſionem referentur propriè δέησις, obteſtatio: παράκλησις, rogatio: et ὑπόσχεσις, pollicitatio. Δεητικαὶ ſententiæ ſunt, qui-

Ἐπιλογικαὶ ἔννοιαι.

5. Δεητικαί.

bus futuri amici obtestamur uirtutem, humanitatem atq; modestiam: ut nostro flagranti erga ipsum amori uelit ignoscere: cui resistere non possimus; addita παρομολογίας ἐπαινετικῆς: scire nos, eum suarum uirtutum prædicatione offendi. Παρακλητικαὶ autem sunt ipsius status, quibus etiam atq; etiam petimus: ut nos in suam amicitiam recipiat, & in suorum amicorum numerum asscribat. Ὑποσχετικαὶ sententiæ sunt: quibus promittimus mutuam beneuolentiam. sed cum quadam ὑπερβολῇ. Nos primum, si in eius amicorum album asscripti fuerimus, daturos operam: ut nulli etiam ex ueteribus ipsius amicis cedere uideamur, mutua beneuolentia, seu ἀντιφιλήσει: pari aut etiam maiore fide, ac studio. Deinde altera ὑπόσχεσις est superiori adiungenda: qua amico futuro, ut speramus, non tantum nos & facultates nostras deferimus, uerum etiam omne id, quod à nobis præstari potest, & debet. Superiores sententias omnes possumus astringere ad tria earum genera. Omnes enim conciliantes sententiæ, aut sunt αἰτιολογικαὶ, aut λυτικαὶ, aut sunt συστατικαί. Sed duo illa priora genera tractantur ferè occupatione. Ergo sententia quæ habet αἰτιολογίαν, ducitur à persona illius, in cuius beneuolentiam nos antea ignotos, conamur insinuare. Nam exponemus uerisimiliter causas: quibus impulsi simus, ad illius amicitiam appetendam. λυτικαὶ ἔννοιαι sunt à nostra persona petitæ, quibus à nobis studemus omnem suspicionē assentationis, idq; accurata ratione, amouere. Reliquæ sententiæ, quæ dicuntur συστατικαί, ex nostra persona

tra-

6. Παρακλητικαί, ἢ ἀξιωτικαί.

Epilogus, & σύλληψις omnium superiorum.

trahuntur. Habent autem nostri modestam, id est, ab arrogantia longè remotam commendationem. Nam ut mutuus quæritur amor: ut mutua quæritur beneuolentia utriusq; ignotis: ita duo genera causarum, quæ conciliatrices sunt, oportet adducere. Ergo in superioribus, ostendimus causas nos prouocantes ad ambiendam illius amicitiam. In hoc autem sententiarum genere, quod breuius tractandum est, & uerecundius, significamus ἠθικῶς, & modestè, quod in nobis amabile esse uidetur: quod scilicet illum ipsum ad quem scribimus, ad nos mutuò amandos prouocare debeat. Atque hæc de ratione conciliandi. Cum autem alios inter se conciliamus: nihil ab altero petimus officij, ut in commendando: sed tantum operam damus: ut conglutinemus inter eos mutuam beneuolentiam.

EPISTOLA AMICA, ET FAMILIARIS. In qua ueteris beneuolentiæ duntaxat mentio fit.

Proximo superiori generi admodum uicina est: quã
Græci nominant φιλικὴν ἐπιστολὴν. Ad hunc autem mo- Quid sit?
dum istam formam definiunt: φιλικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι' ἧς φι-
λίαν ψιλὴν ἐμφαίνομεν * μόνον. Hac enim non solam *Al. μόνην.
amicitiam, & nostram beneuolentiam, sed ueterem, nu-
dè, & breuiter commemoramus. Alij sic definiendo ex-
plicant: φιλικὸς (τύπος.) ἐστὶν, ὁ δοκῶν ὑπὸ φίλου γράφε-
σθαι πρὸς φίλον. Videtur enim plerunq; ab amico mitti. Ο πρὸς φίλον
Sed quoniam amicitia propriè inter æquales constitui- γραφόμενος.

tur: rectè, quicunq; iste author fuit, addidit, ὁ δουκῶν. Propterea quòd genus istud literarum, etsi proprium locum habet inter amicos, qui uidentur dignitate, & fortunæ splendore pares: tamen etiam eo sæpius erga inferiores utuntur ij, qui sunt cum aliqua potestate, atq; imperio: οἱ ἐν ὑπεροχαῖς κείμενοι. Sic Imperator cum alijs militũ præfectis interdum agit per literas familiarius: aut regius procurator scribit diœcetæ etiam ignoto. Ex qua definitione licet nõ solum animaduertere; quodnam proprium eius munus sit, & officium: uerum etiam, quomodo à superiore proxima forma distet. Etenim superior scribitur ab ignoto ad ignotum, constituendæ amicitiæ gratia. Hæc uerò plerunque mittitur à noto ad familiarem: constitutæ amicitiæ iam pridem confirmandæ caussa. Item, superiori genere sæpenumero alios quoq; inuicem solemus conciliare, hoc est, amicos eos efficere. Sed hac ratione φιλικῇ nos tantùm pro nostra præcipuè parte cupimus renouare amicitiam: quæ uidetur fortaßis intermißione longi temporis literarum facta esse remißior. Exemplùm breuißimum & scholasticum huius generis apud Græcos est tale: Γνησίων εὐπορήσας γραμματοφόρων, ἐσπούδασα τὴν σὴν ἀγχίνοιαν προσειπεῖν. ὅσιον γὰρ ὑπάρχει, τοὺς γνησίους φίλους παρόντας μὲν τιμᾶν, ἀπόντας ἢ προσφρεῖν. Pulcherrimum exemplum constat ἀφηγήσει τοῦ λογισμοῦ, breui expositione consilij, & salutationis, uel compellationis factæ per literas. Habet propositionem, non sine occasionis significatione. Cum idoneos nactus essem tabellarios, eosque numero plures: etiam

Quid à superiore distet.

etiam atque etiam studui, te hominem singulari prudentia, atque solertia, ueterem amicum, per literas salutare. Sequitur deinde κατασκευή, sumpta ex loco communi, id est, ex morali philosophia, seu præcepto Ethico, quod proprium est amicitiæ, quæ sancta esse debet, & inuiolabilis. Estque γνωμολογία, sententia. Pium enim, & sanctum officium est: præsentes amicos obseruantia colere: absentes uerò literarum mißione compellare. Alterum exemplum Græcorum paulò prolixius est: sed et illud paucis consideremus.

EI KAI πολύ σου διάστημα τυγχάνω κεχωρισμένος, τῷ σώματι μόνον τοῦτο πάσχω. Hactenus exordij propositio, tractata occupatione. Quanquam longo interuallo locorum disiuncti sumus: tamen id moderatius fero: quòd non animis sumus, sed corporibus tantum absentes. Sequitur κατασκευή, ratio plena amoris, & beneuolentiæ: σοῦ γὰρ οὐδέποτε δυνατὸν ἐπιλαθέσθαι: οὐδὲ τῆς γεγονυίας ἡμῖν ἐκ παιδίων ἀνεγκλήτου συναναστροφῆς. Ostendit enim, se illius nunquam posse deponere memoriam: nunquam etiam obliuisci posse inde usque à pueris, quæ reprehendi non poßit, educationis. Transit ad ἀξίωσιν, petitionem, per quandam artificiosam insinuationem Εἰδὼς δ' ἐμαυτὸν τὰ πρός σε γνησίως διακείμενον, καὶ πάντοτε τὸ σοι συμφέρον, ἀπροφασίστως ὑπηρετήσαντα, τὴν αὐτὴν ὑπείληφα, καὶ σὲ περὶ ἐμοῦ ἔχοντα γνώμην, κατὰ μηδὲν ἀντερεῖν πρός με. Sed quoniam, inquit, mihi probè conscius sum: quomodo erga te, nimirum optimè affectus sim: & de omnibus, Ἀνέγκλητος συναναστροφή.

quæ ad tua commoda spectare uidentur, sine exceptione uelle procurare: spero ego eandem te, erga me uoluntatem constanter seruare, uidelicet ut omnes animi nostri sensus congruant. Sequitur conclusio, cum alia petitione officij, & pollicitatione grati animi. καλῶς οὖν ποιήσεις· πυκνότερον ἐπισκοπῶν τοὺς ἐν οἴκῳ· μή τινος ἔχουσι χρείαν, καὶ συμπαριστάμενος ἐν οἷς ἂν δέωνται, καὶ γράφων ἡμῖν, περὶ ὧν αἱρῇ. Pergratum igitur, inquit, mihi feceris. si res domesticas meas, crebrius inuiseris: operamq; dederis, ne mei rebus necessarijs destituantur: sed suppeditaueris ijs, quibus maximè erit opus; deniq; ad me scripseris interdum: de quibus uidebitur tibi ad me esse scribendum. Hæc amoris plena est epistola.

ΕΡΩΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Græci superioribus etiam adijciunt ἐρωτικήν; quam sic definiunt: ἐρωτικὴ δ' ἐστὶν, δι' ἧς ἐρωτικοὺς πρὸς τὰς ἐρωμένας προσφερόμεθα λόγους. Hac enim forma literarũ conferimus sermones amatorios, cum illis: quos amore complectimur: aut amore nobis deuincire studemus. Exemplum breuißimum apud Græcos est istud amatoriũ: ἐρῶ, ἐρῶ, νὴ τοὺς θεοὺς, τῆς σῆς εὐπρεποῦς τε, καὶ ἐρωτικῆς μορφῆς, καὶ ἐρῶν οὐκ αἰσχύνομαι. τὸ γὰρ εὐπρεπὲς ἐρᾷν, οὐκ αἰσχρὸν. εἰ δέ γε καὶ ψέξειέ τις ὅλως ἐρῶντα, πάλιν ὡς καλῆς ἐφιέμενον ἐπαινέσειε. Pulchrum est istud exemplum, & omninò παθητικὸν, id est, ad amorem conciliandum accommodatum: qui sanè animi motus est uehementißimus, & impotentißimus. Partes habet duas: primum

mūm ὁμολογίαν, confeßionem. Fatetur enim se amare illum: & utitur ἐπιζεύξει, ac κατομώσει, uerbi geminatione, & iuramento: causam ardentis amoris προκαταρκτικὴν, seu impellentem annectit; εὐπρεπῆ, καὶ ἐρωτικὴν μορφὴν, decentem, & amabilem animi & corporis formam, atq; pulchritudinem. Deinde αἰτιολογίαν habet, et argumentationem. Καὶ ἐρῶν οὐκ αἰσχύνομαι.) Propositio. Non uerecundor. Τὸ γὰρ.) Ratio ab honesto amore. Honestè enim alterum, &, ut decet, amare, nequaquam turpe ducendum est. Τὸ γὰρ εὐπρεπὲς, quia τῶν ἀρετῶν, honestum est. Apud Cic. etiam sunt multæ epistolæ plenæ amoris, sed ueri; qui causa est amicitiæ. Vnde etiam suum nomen accepit; sed à uirtute, & honestate illa proficiscitur. Amatoriæ partitionem Erasmus tradit. Est enim quædam honesta: quædā turpis. Honestus amor, & Christianus, & coniugalis est: ut Theologi loquuntur; cum aliquis adolescens pius, iam adulta ætate, sequens regulā Apostoli Pauli, mauult ducere uxorem, quam illicitis flāmis cupiditatum uri: ibi locum aliquem habet interdum epistola ἐρωτική, sed casta, & uerecunda. Præsertim, quando præcedit suasoria epistola missa à cognatis, & necessarijs: ut genus uitæ hoc deligat. Ergo tum habet locum genus hoc literarum. Nam spurciciem, obscœnitatemque sermonis Græcorum, meritò odimus, & detestamur. Iam poetæ etiam turpe genus habēt: apud quos extant epistolæ amatoriæ: in quibus puellæ alicuius animū ad mutuum aliquis amorem solicitat. Tales sunt quædam Heroidum apud P. Ouidium Nasonem. Harum methodus

Artificiū Heroidum epistolarum.

dus est bipartita. Pars prior est ἐπιδεικτική, constans laude illius personæ, quam ille deperit. Posterior est ἐλεοποιητική, mouens commiserationem. Natura enim sic comparatum est: ut etiam misericordiam erga supplices comitetur amor & beneuolentia. Quantum ad partem priorem attinet, ex superiore proximo Græco exemplo, apparet laudari formam corporis. Laus igitur ex coniunctorum loco, id est, ab attributionibus personæ, ducitur: cuiusmodi sunt, εἶδος, ἡ μορφή, ἡλικία, τὰ ἤθη, τὸ γένος. Denique τὸ ἔνδυμα, habitus, atque cultus corporis. Græcus igitur iste, qui breuissimo hoc epistolio testatur suum erga illam personam impatientem amorem, utitur laudatione, & excusatione. Laudatio ducitur à pulchritudine, & eximia ipsius forma, atque specie, statim in exordio, κατ' ἐξομολόγησιν, ut diximus, profectam ex amoris impatientia, ut perdite, dissoluteq; amare uideatur. Amo, Amo, inquit, per Deos immortales, tuam illam excellentem, cum summa uenustate coniunctam pulchritudinem. Sequitur ratio κατασκευή, & excusatio amoris sui impatientiæ: estque deducta ex genere eodem deliberatiuo: propter κεφάλαιον, locum status negocialis, qui proprius est harum epistolarum, cum sint futuri temporis. Sed utitur ἐναντίῳ, contrario per negationem, κατ' ἀπόφασιν & pulcherrima ἀντιθέσει, contentione contrariorum. Etenim τὸ εὐπρεπές, καὶ αἰσχρὸν inter se componit. Itaque etiam adiungit γνωμολογίαν, sententiam generalem, amare alterum, ut decet, pulchrum

pulchrum esse, minimè uerò turpe. Concludit epistolium, καθ' ὑπόθεσιν, fictione. Quod si uerò quispiam reperiatur, qui omni ratione amantem uelit reprehendere, tamen se non dubitare, quin probaturus sit illum, qui etiam pulchritudine, & forma alicuius honestæ uirginis ductus, eius connubium petet: præsertim si proba, & bene educata sit. Breue exemplum, exercitationis causa propositum est in sua schola, ab hoc Græco Magistro, sed ex hoc etiam reliqua, quæ sunt φίλτρα amabilia, facilè animaduerti possunt. Plura enim sunt, amabilia bona, maximè uerò, quæ animi sunt, & ingenij, & bonæ indolis, & quæ hæc sequuntur, ut in ingenio, literæ, atque doctrina, & quædam solertia, & prudentia præcipuè œconomica, & harum rerum omnium custos, ἡ σιγή, silentium. Reliqua quæ corporis sunt, & fortunæ, suum quemque locum habent, sed præstant, pietas, pudor, & uerecundia, & in officio sedulitas, & obsequentia, reliquis: quas res cæteri admirantur. ut est forma, & opes. Quantum ad tractationem pertinet istarum rerum, obseruatio ostendit esse uariam. Γυνὴ οἰκουρὸς

ΤΥΠΟΣ τῶν ἐρωτικῶν.

Ἐπιδεικτική. Laus uerò petitur { A forma. Ab ætate. A moribus. A genere. A cultu, &c.

a

Pars altera est Ἐλεοποιητικὴ, misericordiã mouens, cuius loci sunt:

Αὔξησις.	Nã	Quæ illius sunt, amplificabimus.
Μείωσις.		Quæ nostra sunt, extenuabimus; aut modestissimè commemorabimus.
Ὀδυρμός.		Summum amorem cum summa desperatione coniunctũ, ostendemus: continebit igitur locus iste querimonias.
Θρῆνος, ἢ ὀλοφυρμός.		Lamentabimur, et deplorabimus, testamurq; nostrum dolorem oratione querula, & tristi: quæ pars λυπητικὴ, lachrymas habebit.
Χρηστολογίαι.		Blandiemur.
Ἀπελπιστία.		Desperabimus. Hic locum habent suspiria omnia, &c.
Περιαυτολογία.		Nos ipsos callidè laudabimus.
Ὑπόσχεσις.		Omnia pollicebimur.

a b c

nigis

A B C

Πίστις παραδειγματώδης. Ἀξίωσις.

Exemplis utemur illustrium, et honestarum personarũ: quæ ingenio indulserũt amori. Orabimus uerecundè: ut si redamare nos (ἀντέρωτι.) dedignabitur: saltem æquo animo ferat, se à nobis amari.

Hæc ferè Roterodamus obseruauit. Aliæ namq; epistolæ petunt: aliæ queruntur: aliæ blandiuntur; aliæ purgant; aliæ expostulant. Sed hæc ad legendum, non ad scribendum, aut imitandum tradita sunt. Cætera uide apud Erasmum, qui subijcit exempla Ciceronis quadã, Plinij, & Angeli Politiani. Verum enimuerò magis expediet de amore sedando, quàm concitando præcipere, qua in parte sequamur Brandolinum.

DE SEDANDO AMORE.

Προοιμιασμά.

Si autem reuocare amicum ab indigno aliquo, & turpi amore studebimus: dabimus in exordio operam: ut intelligat: quàm studiosi salutis, & dignitatis eius, solliciti semper fuerimus: atq; hodie quoq; simus, quæ πρότασις ad beneuolentiam comparandam pertinet. Causas deinde, ἐν τῇ κατασκευῇ τοῦ προοιμίου, explicabimus no-

ſtri ſtudij; uel amicitiam ueterem, uel uirtutem, uel nobilitatem, uel clientelam, uel alias quaſuis honeſtas.

Προκατασκευαστικὰ, καὶ κατασκευαστικὰ, προλήψει, ἄρσει, καὶ θέσει.

Deinde ad cauſam pedetentim accedemus: & oſtendemus, nos, ut ſcribamus, neq; odio, neq; inuidia, neq; faſtidio, neq; ſatietate, neq; imprudentia, neq; temeritate, neq; ulla malignitate animi adductos: ſed abundantia quadam amoris: quòd illum magnam infamiam, magnum detrimentum, magnum periculum fugere cupiamus.

Κατασκευαστικά.

Θετικῶς, καταδρομὴ τοπική.

Deinde in uniuerſum de toto eius turpitudinis, aut amoris genere diſputabimus; genusq; ipſum deteſtabimur.

Ὅτι αἰσχρὸν. Ὑποθετικῶς.

Tum ad rem, de qua agitur, ueniemus: quantumq; in ea uel obſcœnitatis, uel flagitij ſit, aperiemus.

Ἐκβολὴ τοῦ ἔρωτος.

Deinde quas partes, ad amoré concitandum alij adduxerunt, earum contrarias, ad reprimendum proferemus. Oſtendemus enim,

Quanta in re ſit turpitudo, & ignominia:
Ὅτι αἰσχρὸν, καὶ ἀνωφελές. Quantum detrimentum, quanta pernicies:
Quanta inconſtantia, &c.

Ἐκβα-

Ἔκβασις, καὶ τὰ ἐκβησόμενα.

Deinde, quid ex ea re euenire soleat, exemplis ostendemus. Quid illi euenturum sit, ex aliorum comparatione demonstrabimus. Exempla. Comparatio.

Ἐπιλογικὰ, à nostro exemplo, & aliorum.

Postremò, quantopere cum ab alijs, tum à nobis ea res semper euitata sit: quantoq; studio sit ei quoque, si modo suæ dignitati, salutiq; consulere uelit: euitanda, grauibus uerbis aperiemus: atq; ita rem in summum odium, & contemptum adducemus.

Hæc ratio dissuadendi, ἀποτρεπτικὴ, ut superiores formæ, quanquam ad genus deliberatiuum pertinent: tamen multa habent admixta ex causis demonstratiuis.

DE OFFICIOSA EPISTOLA. CAPVT. XXIX.

AMICAE, familiariq; epistolæ subijciunt officiosam, quam θεραπευτικὴν Græci nominant: propterea quòd mittitur ab homine officioso: hunc appellant ijdem εἰς θεραπείας ἕτοιμον: qui ultrò, et libēter officia, et beneficia sua alijs offert, atq; exhibet. Fundamentū igitur huius scriptionis, et τὸ ἀντίστροφον, est res officiosa: ut est ipsa epistola: terminus, ut sit plena officij, scripta ad eos, quos rogare pudet: tametsi amicorū

consilio, & ope indigeant: & qui hanc mittit, officiosus dicitur, hoc est, persona, quæ ijs, qui non audent aliquid petere, sponte, seu non rogata defert sua officia. Frequentissimum est hoc genus apud Ciceronem. Cuius exemplum primum est lib. 1. Fam. Ego omni officio, uel potius pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus: mihi ipsi nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum: ut, quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti; ego, quia non idem in tua causa efficio, uitam mihi acerbam putem. Sed non tam in epistolarum initijs, quàm in clausulis reperiuntur huiusmodi delationes officiorum nostrorum: & in reliquo cursu orationis. ut ex his, ab Erasmo annotatis exemplis animaduerti potest.

Cic. Ep. fam. 1. Nostram fidem omnes, & amorem tui absentis, præsentes tui cognoscent. Si esset in his fides, in quibus esse debebat, non laboraremus.

2. De cæteris rebus, quicquid erit actum, scribam ad te: & ut quàm rectissimè agantur omnia, mea cura, & opera, diligentia, gratia prouidebo.

3. Ego neq; de meo studio, neq; de nonnullorum animo mihi scribendum arbitror. Qui enim aut me ostentem, qui si uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear in me meritorum assecutus: aut de aliorum iniurijs querar: quod sine summo dolore facere non possum? Ego tibi in hac præsertim imbecillitate magistratuum præstare nihil possum: at ea excepta, possum confirmare, te et senatus, & populi Romani summo stu-

dio

dio amplitudinem tuam retenturum.

4. De Alexandrina re, causaq; regia, tantùm habeo polliceri, me tibi absenti tuisq; præsentibus cumulatè satisfacturum.

5. A nobis agentur omnia diligenter. ut neq; , si quid non obtinuerimus, repulsi esse uideamur.

6. A me nullum tempus prætermittitur, de tuis rebus, & agendi, & cogitandi: utorq; ad omnia Qu: Selicio. Neq; enim prudentiorem quenquam ex tuis, neq; fide maiore esse iudico, neq; amantiorem tui.

7. A me omnia summa in te studia, officiaq; expecta. Non fallam opinionem tuam.

8. Tu uelim tibi ita persuadeas, nullam rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior sit, quã meæ res omnes. Idq; cum sentiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere nõ possum: re quidẽ ipsa, ideo mihi non satisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum, non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia, consequi possum. Finis initio primæ epist. lib. 1. similis.

9. Cætera, quæ ad te pertinebunt, cùm etiam plus con tenderimus, quàm possumus, minus tamen faciemus, quàm debemus.

10. Omnia uolo à me, & postules, & expectes: uincam meis officijs cogitationes tuas.

11. In hoc toto genere plura faciam, quàm scribere audeo. Cætera, quæ tibi à multis prompta esse certò scio, à me sunt paratißima. Nihil in re familiari mea est, quòd ego malim meum esse, quàm tuum. Hac de re, & de hoc

genere toto, hoc scribo parcius, quòd te id, quod ipse confido, sperare malo, te esse usurum tuis.

12. Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissimè omnia, diligentissimeq́; curabo: tuorumq́; tristissimo meo tempore, meritorum erga me memoriam conseruabo.

13. De mea autem in te uoluntate, sic uelim iudices: me quibuscunq; rebus opus esse intelligam, quanquam uideam, quis sim hoc tempore, & quid poßim, opera tamen & consilio, studio quidem certè rei, famæ, saluti tuæ præsto futurum.

14. Quam ob rem tu, quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse; &, ut spero, statues ex nostra dignitate. Ego uerò tibi profiteor atq; polliceor eximium et singulare meum studium, in omni genere officij; quod ad honestatem & gloriam tuam spectet. in quo etiam si multi mecum contendunt; tamē cùm reliquis omnibus, tum Craßis tuis iudicibus omnes facilè superabo.

Plenißima officij conclusio.

15. Quamobrem, uelim ita & ipse ad me scribas de omnibus, minimis, maximis, mediocribus rebus: ut ad hominem amicißimum: & tuis præcipias; ut opera, consilio, autoritate, gratia mea sic utantur, in omnibus, publicis, priuatis, forensibus, domesticis, tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negocijs; ut quoad eius fieri poßit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur.

16. Tu tamen ei uelim scribas: ut nullam rem, neq;

tam

tam magnam,neq; tam paruam putet: quæ mihi aut difficilis,aut parum me digna uideatur. Omnia,quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi, & honesta uidebuntur.

17. Tu si quid ad me fortè scripseris: perficiam,ne te frustra scripsisse arbitrêre.

18. Quotiescunq; filium tuum uideo (uideo autem ferè quotidie) polliceor ei studium quidem meum, & operam,sine ulla exceptione,aut laboris, aut occupationis,aut temporis : gratiam autem atq; autoritatem, cum hac exceptione: quantū ualeā.quantumq; poßim.

Lib.eod.6.epist.ad A.Cecinnam, Laconica ad Basilium.Vereor ne desideres. Multos habet locos consolatorios.Interea tibi absenti,& huic qui adest,imagini animi,& corporis tui constantiß. atq; optimo filio tuo, studium,officium,operam,laborem meum,iam pridem, & pollicitus sum,& detuli. Ante conclusionem longæ epistolæ.

19. Singula persequi non est necesse: uniuersum studium meum & beneuolentiam ad te defero.

20. Tibi gratulor,mihi gaudeo,te amo,tua tueor;à te amari,& quid agas,quidq; agatur certior fieri uolo.

21. De me autem sic uelim iudices:quantum ego possim,me tibi,saluti tuæ, liberisq; tuis summo cum studio præsto semper futurum.

22. Ego quid poßim,nescio,uel potius me parum posse sentio. Illud tamen tibi polliceor,me quæcunq; saluti, dignitatiq; tuæ conducere arbitrabor,tanto studio esse

facturum: quanto semper tu, & studio, et officio in meis rebus fuisti. Hanc meam uoluntatem, ad matrem tuam, optimam fœminam, tuiq; amantissimam detuli. Si quid ad me scripseris: ita faciam, ut te uelle intellexero. Sin tu minimè scripseris: ego tamen omnia, quæ tibi utilia esse arbitrabor, summo studio diligenterq; curabo.

23. Interim uelim sic tibi persuadeas, mihi cum Reip. quàm semper habui charissimam, tum amoris nostri causa, maximè curæ esse tuam dignitatem. Da operam ut ualeas.

24. Sed ego tuis neq; desum, neq; deero, qui siue ad me referunt, siue non, mea tibi tamen beneuolentia fidesq; præstabitur.

25. Iniuriam enim fieri putabam quum rogabar.

26. Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis: quæq; mihi commendas: ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri. Ἀντιγραφὴ ad σύστασιν.

Cicero ad Atticum.

27. Illud profectò cognosces; mihi te, neq; chariorē, neq; iucundiorem esse quenquam.

Consolatio.

28. Perficiam profectò, ut longi temporis usuram, qua caruimus, intermissa nostra consuetudine, gratia, et charitate, & officiorum meorum magnitudine sarciam.

Locus παραμυθητικός.

29. Perficiam profectò, nt neq; Respub. ciuis in me animum, neq; tu amici desideres.

30. Sed hæc fors uiderit ea, quæ talibus in rebus plus quam ratio potest, Nos autem id uideamus, quod in nobis esse debet, ut quicquid acciderit, fortiter & sapienter

ter

ter feramus: & accidisse hominibus meminerimus: nosque cum multum literæ, tum non minimum Idus quoque Martiæ consolentur.

31. Ego quæ te uelle, quæque ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. Hoc uelim tibi penitus persuadeas.

32. Ego quæ te uelle, quæque ad te pertinere arbitrabor, studiosè diligenterque curabo. Da operam ut udleas.

33. Nec uerò ulla res erit unquam: in qua ego non uel uitæ periculo ea dicam, eaque faciam, quæ te uelle, quæque ad te pertinere arbitrabor.

Hactenus de officiosa epistola: quæ etsi propriè est προεπισταλτικὴ: missa non à nos prouocante: sæpe tamen est ἀντεπισταλτικὴ, & ἀντιγραφικὴ, uel ad petitionem, uel ad commendationem: tristissimis temporibus, & in consolandis doloribus certè gratissima solet existere.

DE RECONCILIATORIA EPISTOLA.

CAPVT XXX.

VT de officiosa, nihil præceperunt Græci: sic nihil ab ijsdem traditum reperio, de reconciliatoria: quam ἐπαρεστικὴν, & καταλλακτικὴν tamen ijdem nominant. Ac tametsi, propter statum concessionis, cuius precipuæ partes sunt, purgatio, atque deprecatio, ad iudicialis causarum generis epistolas referri posse uidetur: tamen, propter κεφάλαια, καὶ ἐπιχει-

ῥήματα, locos, atq; argumenta τελικὰ, ut sunt τὸ καλὸν, τὸ ὅσιον, ἢ εὐσεβές, τὸ ῥᾴδιον, καὶ τὸ ὠφέλιμον, & quæ sequuntur, rectius, meo iudicio, suasorijs subijcietur. Est autem καταλλαγὴ, reconciliatio, τὸ πρός τι; fundamentum, & τὸ ἀντιστρέφον eius, est persona reconcilianda offenso, qui antea fuerat amicus: terminus est, ut sit recõciliatio, seu placatio irati amici. Ergo καταλλακτικὴ est epistola in gratiam alterum restituens alterius, qui erat offensus. Et καταλλάττειν est, quoties amici, qui interposita aliqua offensa, aliquandiu fuerant inimici, in pristinam beneuolentiam, ac gratiam redeunt. καταλλάττει γὰρ αὐτοὺς πρὸς ἀλλήλους, eos inter se reconciliat. Huius epistolæ certum artificium præscribi non potest: sed obseruari tamen in exemplis tractatio potest. Oratio pro rege Deiotaro multa in postrema confirmationis parte, & in ipsa conclusione; totaque D. Pauli Apostoli ad Philemonem, ἀναπεμπτικῆς, & reconciliantis epistolæ, τὰ κεφάλαια, & τὴν ἐργασίαν demonstrat. In Deiotaranæ uestibulo ἀφορμητικῶς λέγει τὴν ὑπόθεσιν, hoc est, semina spargit reconciliationis. Ad definitionem enim pertinet, interposita offensa. Iratum, inquit, te regi Deiotario fuisse, non erant nescij: affectum illum quibusdam incommodis, & detrimentis propter offensionem animi tui meminerant: teq; cum huic iratum, tum sibi amicum cognouerant. Cumq; apud ipsum de tuo periculo dicerent: fore putabant: ut in exulcerato animo, facile fictum crimen insideret. Quæ sequuntur continenter, ad reconcilandum Cæsari Deiotarum, sunt directa: ut illa

Inimicitiarũ, & iræ Cæsaris causa Castoris, & Phidippi criminatio.

ka ἀξίωσις συγγνωμονική, & gemina δέησις, obtestatio: Quamobrem hoc primum metu C. Cæsar, per fidem, & constantiam tuam libera: ne RESIDERE in te ullã partem IRACVNDIAE suspicemur: per dexteram te istam oro: quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti: istam, inquam, dexteram: non tam in bellis, & prælijs, quàm in promissis, & fide firmiorem. Item ἐπίδειξις, laus Cæsaris, à placabilitate, & clementia, ἐνθυμηματικῶς. Tu illius domum inire, tu uetus hospitium renouare uoluisti. Te eius dij penates acceperũt: te AMICVM, & PLACATVM Deiotari regis aræ, focique uiderunt. Hactenus à factis: nunc à natura, & moribus Cæsaris. Cum facile exorari, Cæsar, tum SEMEL exorari soles. Nemo unquam te PLACAVIT inimicus: qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quæ subijcit, ἀπολογίαν, defensionem habent Deiotari, per extenuationem facti: cui adiecta est officiorum eius in Cæsarem commemoratio, sed principalis defensio στοχαστική, inficialis longior est, & præcipua pars orationis, nimirum criminis insidiarum ab aduersarijs intentati refutatio. Huic ante epilogum subiungit καταλλαγὴν, reconciliationem. Nihil arbitror prætermissum: sed aliquid ad extremam causæ partem reseruatum. Id autẽ aliquid est: te ut planè Deiotaro recõciliet oratio mea. Hactenus κατάστασις τοῦ ἐπαρείσμου. Sequitur κατασκευὴ, ratio. Non enim iam metuo: ne tu illi succenseas: illud uereor, ne tibi illũ succẽsere aliquid suspicere. Iã inficiatio: quod abest longissimè, mihi crede, Cæsar. Deinceps cõfirmatio

Pars prior à signis consequentibus, ἐπιμονῇ ἐν τῷ προόντι.

matio λογικὴ, & παραδειγματικὴ, constans rationibus, & exemplo Antiochi magni. Post ἀνταπόδοσιν, duplex sequitur laus; una Cæsaris à beneficientia, & clementia, altera Deiotari ab animi magnitudine, magnificentia, uirtute, præcipuè gratitudine: quæ causæ sunt reconciliationis. Ad extremum utitur συγγνώμη, deprecatione, qua causam hanc artificiosè concludit. Ex quibus perspicuum est: quæ sint præcipuæ partes tractandi hoc genus & orationum, & epistolarum. Certè quotquot apud Ciceronem in epistolis reperiuntur loci ἐπαρεστικοὶ; iij poterunt ad superiora capita reduci. Videamus nunc, quo artificio Spiritus sanctus, Eloquentiæ autor, & donator, per suum illud σκεῦος ἐλέου, magnum illum Apostolum in Onesimo Philemoni reconciliando utatur. Initiò Paulus suo more πρόγραμμα, cum ἐπιγραφῇ proponit. Nam & suo, & Timothei nomine hanc significat mitti epistolam; & eam Philemoni, & reliquis inscribit. Plurimum autem ad placandum iratum Philemonis animũ pertinet ἐπίθετον παθητικὸν; Paulus δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ; item attributa eius ad quem scribit; Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ, καὶ συνεργῷ ἡμῶν, & Ἀρχίππῳ τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν, &c. Quæ singula argumenta complectuntur:

Dispositio epistolæ Pauli ad Philemonem.

Vinctus sum Christi Iesu.

Ergo etiam propter me, Onesimum in gratiam debes recipere.

Et,

Tu mihi es charissimus.

Ergo cum eo, pro quo intercedo, redi in gratiam.

Item,

Item,

Philemon es.

Ergo amare, non odio persequi debes tuum domesticum.

Sequitur ἀσπασμὸς, seu εὐχὴ, uerè Apostolica. In qua latent firmißimæ rationes:

Gratia uobis, & pax, à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Ergo gratiam, & pacem debetis fratri.

Hactenus τὰ πρὸ, καὶ ἐντὸς τῆς ἐπιστολῆς, quæ præcurrunt epistolam: & quæ obsignatis extra inscribuntur. Sequitur eius exordium Εὐχαριστικὸν. Incipit enim à gratiarum actione, ad Deum, pro Philemonis charitate, ac fide in Dominum IESVM, & in omnes sanctos. Vnde κρυπτικῶς facta rursum ἀποστάσει, declinatione, προσυλλογίζεται, dißimulata conclusione. Est enim ἔφοδος, insinuatio, in causa turpi, pro fure intercedere.

Gratias ago DEO pro te.

Ergo & mihi gratificaberis, in recōcilianda tua cum Onesimo pristina gratia.

Beneuolentiā captat à sua persona, συστάσει, ab animo grato; ut enim pro alijs oramus: sic pro alijs gratias agimus.

Item,

Semper mentionem tui facio in precibus meis ad Deum Patrem, per filium: πάντοτε μνείαν σου ποιοῦμαι, ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου.

Ergo & meis pro Onesimo precibus locum aliquem dabis.

Et,

Deus ad quem preces pro te, & tuis fundo aßiduas,

&

& ardentes, Pater noster est, propter Filium suum, Dominum, & fratrem nostrum.

Ergo & nos fraterna charitate inter nos amēmus, et offensas alter alteri condonemus.

Ακούων σου τὴν ἀγάπην.) Κατασκευὴ, ratio propositionis, ἐκ τῶν εὐχαριστῶν, ex ijs, ob quæ debentur, & agi, & haberi Deo sempiternæ gratiæ. Vt sunt, inter alia charitas, & fides in Deum, & proximū fratres nostros.

Rursus igitur sic concludit:

In omnes sanctos audita charitas tua est:

Ergo in Onesimum. (qui sanctus est, quem regenui.) tua charitas debet innotescere.

Beneuolentiā conciliat à p̄sona Philemonis, laude, & prædicatione Christianarū eius uirtutū.

Item, Fidem habes erga Dominum Iesum. Id quoque probat à publico testimonio, hoc est, fama. Audio, inquit, fidem, ἣν ἔχεις πρὸς τὸν κύριον Ιησοῦν.

Ergo patieris tibi Onesimum reconciliari.

Οπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεως σου.) Addit τελικὸν αἴτιον, finem suorum uotorum, quæ pro ipso facit.

Effectus fidei, & conglobatio uirtutum Christianarū: προσευχῆς, πίστεως, ἀγάπης

Precor assiduè Deum Patrem: ut communicatio fidei tuæ efficax fiat, ἐνεργὴς, in ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ, omnis boni, quod est in uobis in Christum Iesum, ἐν ὑμῖν.) Al. ἔργον ἡμῖν.

Ergo precor ut in hac etiam causa communicatio fidei efficax fiat, ad agnitionem omnis boni.

Est autem bonum in gratiam recipere eum, qui nos offendit.

Ergo precor ut Onesimus tecum in gratiam redeat.

* Al. χαρὰν.

* Χάριν γὰρ.) Επικατασκευὴ, rationis confirmatio

ab

ab effectu. Magnam percepi lætitiam, χάριν ἔχω πολλὴν, & consolationem, παράκλησιν, in dilectione tua: quòd sanctorum per te uiscera refocillata sunt, mi frater. Ergo & Onesimi sancti, mi frater, uiscera nunc refocilla, quod est τὰ σπλάγχνα ἀναπαύειν. Exordium igitur est argumentosum: totius causæ fundamentum constituens. Sequitur reconciliatio: eiusq; propositio. Rogo te, ut Onesimum recipias in gratiam. Hanc tractat προλήψει, occupatione. Etsi meo iure tibi imperare possem, ut faceres quod tui est officij: tamen non præcipio, sed rogo. παῤῥησίαν μοὶ, inquit, ἔχω ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον: παρακαλῶ δέ σε. Paulus rogat fratrem. Ergo is morem ei gerat. Est ἠθικὴ, & ἐπιεικὴς, morata, & modesta sententia: qua se de suo iure concedere dicit Addit ἐπίθετα, & ἐπιχειρήματα παθητικὰ, magni ponderis. Sum Paulus, sum senex, denique sum uinctus, & uinctus Iesu Christi. (Est amplificatio in uerbis, per incrementum. Ergo facies quod peto. Παρακαλῶ σε.) Superiora omnia fuerunt ἀόριστα, & pertinent ad θέσιν, & ueluti maiorē, in syllogismo propositionem. Hæc sunt ὡρισμένα, & τῆς ὑποθέσεως, minoris, & ipsius status πραγματικοῦ, negocialis. Est enim προκατασκευὴ, καὶ κατάστασις, caput confirmationis, & propositio, subiecta principio, quod fuit προκατάσκευον Rogo ut Onesimum suscipias: quod est προσλαμβάνειν. Est autem ἐγκατάσκευος κατάστασις, munita rationibus intertextis.

Onesimus est filius meus.

Hunc enim in uinculis meis genui.

Item,

Ab honesto, & utili, et ex notatione; ὀνήσιμος, utilis enim est idem, qui εὔχρηστος, καὶ ὠφέλιμος. Antea per ἀντίφρασιν sic appellabatur; ut bellū, quasi minime bonum.

Item,

Etsi quondam fuit tibi inutilis, ἄχρηστος; tamen & tibi, & mihi nunc utilis est, εὔχρηστος. Est autem hic occupatio, & συνδρομὴ concessionis, & compensationis. Onesimus autem utilis dicitur. ὄνησις enim inter alia, significat utilitatem.

Ergo eum suscipe.

Item,

Remisi tibi Onesimum.

Ergo suscipe illum.

Σὺ δὲ αὐτὸν προσλαβοῦ.) Hæc est propositio, rursus argumentosa. Si ipsum receperis in gratiam; uiscera mea, id est, unice charum filium, recipies. Quæ ratio ualde efficax est ad persuadendum, & pertinet ad illam θέσιν superiorem: ὅτι τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται.

Ὃν ἐγὼ ἐβουλόμην.) Amplificatio superioris enthymematis antecedentis. Ego uolebam Onesimum apud me retinere: sed malo, ut tibi utilis sit. Ergo eum recipe in gratiam. Ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι ἐν τοῖς δεσμοῖς.) Ratio sui consilij: Vt PRO TE mihi in uinculis ministraret. Χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης.) Ἐπιχείρημα, ratio proximæ sententiæ, κατὰ προκατάληψιν, per anteoccupationem. Volui eum apud me retinere; sed non sine tua sententia. Estque hæc πρότασις occupationis; sequitur ratio. Volo enim tuum illud beneficium, quod proficiscitur abs tuo Onesimo non esse ὡς κατ' ἀνάγκην ἀγαθὸν; sed καθ' ἑκούσιον; non necessarium; sed spontaneum.

neum. Beneficia enim, & liberalitas, qui amoralis etiã uirtus, ideo τῆς προαιρέσεως est, & ἑκούσιον Est distinctio beneficiorum, quæ sunt ἀγαθά. Τάχα γὰρ.) Εργασία, rationis confirmatio: qua candidè, κατ' ἐνδοίασιν, dubitatione, interpretatur fugitiui serui χώρησιν, secessionem. Hoc officium τῆς ἀγάπης Christianæ, fraternæq; charitatis est. Εχωρίσθη πρὸς ὥραν) Factum. Ινα αἰώνιον.) Λογισμὸς, à fine, κατ' ἀντίθεσιν. Estq; purgatio facti ipsius Onesimi. Οὐκέτι.) Επεξεργασία, quæ laudationem, & commendationem habet reconciliandi, per incrementum: locus est euentorum, τῶν ἐκβησομένων.

Hilarem datorem diligit Dominus.

Οὐκ ἔτι ὡς δοῦλον.) Αρσις, negatio. Non ut seruum posthac iudicabis. Αλλ' ὑπὲρ δοῦλον.) Θέσις, affirmatio. Sed supra seruum. Αδελφὸν ἀγαπητόν.) Επεξήγησις, interpretatio. Nempe fratrem dilectum. Ex differentibus.

Latet hic argumentum ab utili, honesto, & iucundo. Quid enim utilius, quàm ex seruo fratrem esse factum: qui non coactus, sed sponte facit officium? Quid honestius: quàm fratrem recipere? Quid dulcius fratre dilecto? Μάλιστα ἐμοί.) Comparatio. Πόσῳ.) Ανταπόδοσις. Καὶ ἐν σαρκὶ, καὶ ἐν κυρίῳ.) Ratio τοῦ μᾶλλον bipartita. Εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνόν.) Επιφορὰ superioris argumentationis, et repetitio propositionis principalis κατ' ἀξίωσιν, sed est argumentosa.

Si me habere uis tibi consortem: recipies eum, tanquam me ipsum.

Atqui me uis habere tui consortem.

Ergo cum recipies, tanquam me ipsum.

Ὡς ἐμέ.) Ὑπόσχεσις, pollicitatio. Mihi feceris: quicquid ei præstiteris.

Εἰ δέ τι ἠδίκησε.) Redit ad ἀπολογίαν, excusationẽ, per deprecationem, κατ᾽ ἀξίωσιν, καὶ ὑπόσχεσιν, occupatione. Si qua in re tibi iniuriam fecit: mihi imputato: aut si quid tibi debet: ego persoluam. Ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμοὶ χειρί.) ἀπαίτησις, ut serio se intercedere pro seruo ostendat. Ego hanc epistolam non dictaui scribæ: sed MEA manu scripsi. Ἐγὼ ἀποτίσω.) Spõsio, παρακαταβολή, ἢ ἀναδοχὴ τῆς δίκης, & quasi chirographum sequitur: Ego dependam. Argumentatur ergò ἀπὸ τοῦ ἀσφαλοῦς, à tuto. Ἵνα μὴ λέγω σοι.) Ἐπιδιόρθωσις κατὰ παῤῥησίαν, correctio fidenter facta. Nam ut initio de suo iure cesserat: ita nunc idem sibi uendicat: ut plus autoritatis habeat hæc sua intercessio. Non hîc, ut possum, dico tibi: quod mihi tu totum te ipsum debes: ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις. Latent igitur in hoc loco, tales conclusiunculæ:

Ego pro Onesimo dependam, ἐγὼ ἀποτίσω.
Ergo securè ipsum recipies in gratiam.

Et,

Tu, licet is tibi debeat ὀφείλῃ, seruus hero, fugitiuus domino, mihi tamen προσοφείλεις, te metipsum insuper debes.

Ergo tum satisfacies: cum in gratiam tecum posueris Onesimum.

EPI-

EPILOGVS.

Ναὶ, ἀδελφὲ, ἐγώ σου ὀναίμην.) Ἀπόθεσις λόγου, conclusionis forma, quæ πεποίθησιν, καὶ εὐελπιστίαν ostendit S. Apostoli fiduciam, & spem bonam in Philemone, à cuius nominis notatione poterat quoq; argumentari. Ναὶ.) Obtestantis particula est. Ὀναίμην, ἐν κυρίῳ.) Spes habet euentus boni προσδοκίαν, expectationem. Ὀναίμην.) Ab ὀνάω, uel ὄνημι, quod significat iuuo, utilitatem affero, ἀπολαύω, ὠφελῶ: & ὄνασθαι, est frui, ἐπαπολαῦσαι, ὠφεληθῆναι. Ἀνάπαυσον.) Epilogum subijcit κατ' ἀξίωσιν, petitione repetita. Refocilla mea uiscera: & addit in Domino, ut suprà, πόσῳ δὲ μᾶλλον σοὶ, καὶ ἐν σαρκὶ, καὶ ἐν κυρίῳ, in quo uerbo mira est ἔμφασις, distinguens ἀνάπαυσιν σαρκικὴν, & illam quæ est in κυρίῳ: quanquam ibi utranq; coniungit. Πεποιθὼς.) Epiphonema plenum fiduciæ Apostolicæ, αἰτιολογικόν. Hæc scripsi fiducia tuæ erga me ὑπακοῆς impulsus. Ergo obedies, non tam ἐπιταγῇ meæ, quàm παρακλήσει. Supra enim dixerat: Διὸ, πολλὴν, ἐν Χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων, ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον. Εἰδὼς.) Vt suam hanc confirmet in Philemonem πεποίθησιν, repetit τὴν εὐελπιστίαν. Scio, inquit, nihil addubitans, te facturum esse plura quam postulo, ὑπὲρ ὃ λέγω. Quæ reliqua sunt, pertinent ad alterã epistolæ partem: quæ petitionem habet, seu παράκλησιν: ut sibi hospitium præparet: addita ratione, ab effectu τῶν προσευχῶν, precum illorum: χαρισθήσομαι, donabor, inquit, spero de uobis, διὰ τῶν προσευχῶν ὑμῶν. Cõcludit salutatione dicta ipsi, ab Epaphra συναιχμαλώ-

τῷ ſuo, in Chriſto Ieſu, Marco, Ariſtarcho. Demade, & Luca συνεργοῖς ſuis, qui omnes cum Paulo pro Oneſimo deprecabantur: & εὐχῇ, uoto, unde cœperat. Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI, ſit cum ſpiritu ueſtro. Amen.

Quibus igitur ſententijs, & argumentis, qua tractatione utendum ſit, in hoc reconciliandi literarum genere, Spiritus ſanctus per Apoſtolum, optimus, & certiſſimus ἐπιστάτης nos hactenus docuit. Quare hæc, & ſimilia obſeruentur apud Ciceronem, & reliquos autores.

DE LITERIS, QVIBVS optamus quippiam.

CAPVT. XXXI.

SEQVITVR proxima, eaq; poſtrema deliberatiui generis epiſtolæ ea ſpecies, quam Græci εὐκτικὴν appellant, Latini optantem fortaßis, aut precantem, aut uota facientem poſſunt appellare. Græci autem, quanquam nulla de optandi ratione præcepta tradunt, tamen & hanc formam ſcitè definiunt, & ſcholaſtico exemplo, breuiter illuſtrant. Sic igitur illi epiſtolam definiunt: εὐκτικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς τυχεῖν τινος εὐχόμεθα. Eſt igitur nihil aliud: quam qua optamus, ut ille id conſequatur, quod exoptat. Ac exemplum iſtud Laconicum ſubijciunt: Εἴθε μοι τὸ θεῖον παράσχοι τὴν ἱερὰν θεάσασθαι μορφὴν: ἧς ἀπολαῦσαι πάλιν ἐλπίζω, διηνεκῶς εὐχὰς ὑπὲρ τούτου ποιούμενος τῷ κρείττονι.

Quan-

Quanquam breue est hoc exemplum Græcorum Sophistarum: tamen ualdè eruditum est, non solum propter ipsam rem: sed etiam propter breuem ἔνδειξιν τῆς ἐργασίας, indicationem tractationis. Omnis enim optatio literis commissa primum habet πρότασιν, propositionem uoti, pro amico, aut etiam pro se, ut Græcum exemplum ostendit, facto. Deinde κατασκευὴν, rationẽ: sumptam ex statu πραγματικῷ, seu negociali: cuius loci, & κεφάλαια sunt honestatis, facultatis, utilitatis, uoluptatis. In hoc exemplo, est κεφάλαιον, propter motum, desiderium amici conspectus: τὸ ἡδὺ, uoluptas, quam ex hoc eius conspectu capere poßit. Ergo propositio ista est εὐκτικὴ optans.

Vellem equidem diuinum numen mihi tantam faceret copiam: ut in tui conspectum uenire poßem. Et interpositam habet rationem, κατασκευὴν, quam ostendit Græcus uno epitheto: cum non μορφὴν tantum nominet, & finem proponat, τὴν θέαν, conspectum: uerum etiam laudem addat, & ἱερὰν uocet, ut sanctum illius uultum cognominet. Ergo hæc propositio cum superiore ἐρωτικῷ habet aliquid confine: propter laudationem absentis: cuius præsentiam desiderat: habet etiam ueluti suspiria quædam. Et Græci sunt, quod admirabile est, in rebus his obseruandis, ualdè superstitiosi. Obseruant enim, & coniiciunt illi non tantum somnia eorum, qui desiderio absentium tenentur: sed etiam suspiria, & querimonias: & lachrymas interdum fundunt istius desiderij uehementia expressas. Blanditiæ tamen, ut in hoc lo-

co, quas Græci χρηστολογίας appellant, non omittuntur in optantibus epiſtolis, quæ omnes ſunt amicæ, beneuolæ, & familiares. Cuiuſmodi hæc eſt χρηστολογία, blanda oratio, quæ non caret aſſentatione. Ηϛ πάλιν. Sequitur poſt illam περίοδον ἐγκατάστασιν, ratio ἐλπιστική τῆς ἀπολαύσεως. Nam oſtendit ſe omninò ſperare, ſe iterum poſſe eius conſpectu, atq; præſentia ad tempus perfrui. Διηνεκῶς.) Concludit, ut cœpit, κατ' εὐχὴν, optatione: quæ pietatis non exiguam habet ſignificationem. Nam continenter ſignificat, ſe Deo preces fundere, & uota pia facere, ut tandem aliquando illud ipſum conſequatur.

Ex ſuperioribus intelligi poteſt: preces non tantùm pro nobis fundi: ut in illo Græco exemplo: uerum etiam pro alijs; quemadmodum diuerſæ Ciceronis oſtendunt epiſtolæ. Ergo ad ſecundam perſonam, ut Grammatici loquuntur, aliquando ſcribimus epiſtolam, & δευτεροπρόσωπος nominatur εὐχή: quemadmodum, quæ noſtro nomine aliquid optat, πρωτοπρόσωπος: quæ uerò in tertia perſona fit, ea τριτοπρόσωπος appellatur. Quæ tamē uarietas ad alia quoq; genera epiſtolarum poteſt accommodari. Quanquam autem non conſultamus propriè de ijs, quæ optamus: tamen cum ſint temporis inſequentis; placuit de his ſcriptam epiſtolam, uel totam, quod tamen rarò fit, uel eius partes, quarum uſus eſt plurimus, ſuperioribus generibus tanquam coronidem adijcere. Eſt igitur εὐχὴ τῶν ὄντων πραγμάτων εὐχή. Optatio igitur eſt τὸ πρός τι: fundamentum, & τὸ

ἀν-

ἀντιστρέφον, eſt res optabilis: terminus, & finis, ut ſit oratio, pro tali re uota faciens. In hoc itaq; genere epiſtolarum, diligenter ſunt conſideranda, quæ à Græcis τὰ εὐκτὰ nominantur, id eſt, res quas alijs optamus. Sed nihil optamus, quod non ſit bonum, aut bonum eſſe uideatur: quemadmodum etiam nihil appetimus; niſi quod bonum eſt; aut boni alicuius ſpeciem habet. Ex quibus perſpicuum eſt: omnes res, quas alteri optamus; aut ut ipſi eueniant; aut ut eidem ſint proſperæ, atq; ſecundæ; aut eſſe partas, aut non partas. Græci illa nominant ἀπόντα, hæc παρόντα πράγματα. Propterea quòd illa futuri ſunt temporis, atq; idcircò abſentia; hæc autem præſentia: ideoq; in noſtra poteſtate ſunt poſita. In utroq; genere proprius motus, quem proponimus, SPES noſtra, & amici eſt. Nam tametſi præſentia bona, quibus fruimur, uoluptatem afferunt: tamen hæc ipſa ſperamus nos retenturos, & amplificaturos eſſe. Quæ uerò amicus nondum conſecutus eſt: ea ut conſequatur, optare ſolemus. Ex omnibus bonis, quæ adepti ſumus, Dei beneficentia: ea cupimus ſummo ſtudio, quàm diutiſſimè tueri, atq; conſeruare. Ergo ad horum bonorum, præcipuè autem ad uitæ noſtræ conſeruationem, ut nobis, ſic etiam alteri optamus nõ ſolũ ualetudinem: ſed etiam corporis robur atq; uires: tranquillitatem, ocium, deniq; pacem, totius uitæ curriculi felicitatem, & proſperitatem. In animi bonis, optamus amico ingenij ſagacitatem, & ſolertiam, ſeu acumen in intelligendo, & memoriam in recordando. Ad quas res pertinent exercitationes, & ſtu-

dia literarum, & bonarum artium: in quibus etiam opta mus, fœlices successus, atq; progreßiones. Vt nihil hic dicamus de moralibus uirtutibus, honestis actionibus, & uitæ innocentia. Optamus etiam Christiani, ut amicus crescat in fide, & agnitione Christi, & caritate in proximum, & omnibus officijs, quæ ad Christianum hominem pertinent: quibus plenæ sunt epistolæ Pauli, & diuinæ literæ. Ex his, quæ diximus, magna pars est τῶν εὐκτῶν, optabilium rerum, id est, absentium, & futuri temporis. Sunt tamen etiam multæ res in ijs, quæ iam sunt in nostra potestate, quas non optamus alteri, quoniam ea bona parta iam habet, cuiusmodi sunt ualetudo, opes, & dignitas, quorum alterum fortunæ est, alterum corporis. In optandi tamen ratione, illos gradus retinemus, qui sunt apud Aristotelem. Hactenus enim diximus de περιποιήσει, καὶ τῇ κτήσει, de acquisitione, & comparatione bonorum. Ergo duo Aristotelica restant in ijs, quæ solemus precari alijs: ut superiorum omnium conseruationem, & incrementum ueluti quoddam: ut ualetudinis, & uirium: ita in opum, & diuitiarum ratione: si opulentus quis sit, & diues, & copiosus, optamus, ut eas ipsas facultates non solum tueri poßit, sed amplificare: ut eas non poßidere tantum, sed etiam ijs ipsis quàm diutißimè, rectißimeq; uti, fruiq; poßit. Περιποίησιν igitur sequitur κτῆσις, possessio: χρῆσις, καὶ ἀπόλαυσις, usus, & perfruitio: sed hanc præcurrit, & comitatur, ἡ φυλακή, conseruatio: & προσαύξησις, facultatum amplificatio. Non (enim) minor est uirtus, quàm quære-

re,

re, parta tueri. Inter fortunæ bona etiam ſæpenumerò precamur ijs, qui candidati ſunt: ut ad ſummos honores, & dignitates perueniant: non tam propter eorum autoritatem, quam patriæ ſalutem. Ergo cum magnæ ſpei eſt apud nos, & præclari ingenij adoleſcens, & probatæ uirtutis, & uitæ laudatæ: non ſolum eum cohortamur, quod eſt alterius epiſtolæ: ſed optamus etiam, quod huius generis eſt literarum: ut, breui tempore, ad gubernacula Reip. adhibeatur, & ad honores, & dignitates gradatim quaſi conſcendat: donec perueniat ad honores amplißimos: quibus fungatur, non ad ſuas explendas cupiditates, ad publicam, ſed ciuium utilitatẽ, et iuſticiæ adminiſtrationem. In quo honorum, dignitatumq; faſtigio, excolat alias uirtutes: humanitatem, æquitatem, clementiam, & miſericordiam: non modo ſeueritatẽ: à qua crudelitas abſit: quarum omnium comites ſunt, laus, decus, & gloria. Sed omnia quæ optantur, non modo utilia, & honeſta, χρήσιμα, καὶ ἔνδοξα, ἢ καλὰ eſſe debent: uerum etiam δυνατά: ut contingere poßint. Illud etiam obſeruandum, ut non ſolum optemus alteri, quod ipſe maximè uult: ſed etiam ne noceat, aut ne non proſit. Deniq; in optando, omnis adhibenda prudentia, modeſtia, & propterea grauitas. In publicis, ut priuatis rebus, maximè optamus concordiam, Eccleſiæ, & Rerum publicarum tranquillitatem, atq; ocium: præcipuè ὁμόνοιαν, & conſenſum in doctrina cœleſti, et omnium controuerſiarum Eccleſiaſticarum, & politicarum compoſitionem.

Τῆς πολιτευομένης ἀρετῆς.

De uſu ſuperiorum ſententiarum paucis etiam quæ

dam dicenda ſunt. Propterea quòd omnis huiuſmodi epi ſtola, plerunq; eſt mixta, & ex diuerſis generibus compoſita: rarò autem eſt ἀόριοδική, uel μονοειδής, ſimplex & uniuſmodi. Etenim perrarò hoc genus optandi per ſe epiſtolam aliquam efficit: admiſceri autem alijs partibus ſolet: cuiuſmodi eſt εὐχαριστική, quæ gratiarum actionẽ continet, & συγχαριστική, quæ gratulationem habet. Denique ἐπαινετική, quæ continet laudationem perſonæ. In epiſtolis autem Ciceronis, præterea in hoc genere, frequenter adhibetur non ſolum προτροπή cohortatio, ſed etiam ἀξίωσις, rogatio, ac preces: ut ſpem, & expectationem ſuorum non fruſtret, ſed uotis noſtris ſatisfaciat, ſua induſtria atq; uirtute. Iam uerò in hanc optandi rationem duo tempora incidũt. nam aut certa nobis ſpes, & opinio eſt concepta ea de re, quam alteri optamus; aut eſt incerta, & dubia noſtra opinio. Quantum ad primum genus attinet, quatuor partibus opus eſt in hac optandi ratione: quarum prima eſt ἀφήγησις, narratiũcula breuis, altera εὐχή, uotum, tertia κατασκευή, quæ rationibus, & argumentis ſuperiora confirmat, & ſpem illius corroborat. Pars poſtrema eſt παραίνεσις: qua cohortabimur bene ſperantem, ut illam ipſam ſpem pro certa habeat; præſertim ſi omnem fiduciam in Deũ collocet, huius euentus, atque fortunæ authorem, atque gubernatorem. Eſt autem ἀφήγησις narratiuncula breuiuſcula, qua principio noſtrarum literarum ſcribimus, nos hac, uel de illa re, certiores eſſe factos. Verbi gratia, proximis comitijs fore, ut hic comes, uel ille, in princi-

pem

pem imperij eligendus ſit. Poſt hanc ἀφήγησιν, ſequitur tractatio ἐπιφωνηματική. Nam poſt narratam, & expoſitam rem ſubijcietur ſumma quædam acclamatio, non ſine gratulatione coniuncta, & ſignificatione propriæ lætitiæ: id enim oſtendemus nobis non ſolum gratiſſimum fore, ſi, quemadmodum ſperamus, euenerit: ſed etiam toti patriæ, & imperio glorioſum, & ſalutare. Hoc in loco, ſolemus interdum facere digreſsionem ἐπιδεικτικήν, quæ ſumitur à perſona illius, pro quo uota facimus. Sed bipartitæ in hoc loco ſunt ſententiæ: alteræ enim ducuntur à perſonis, alteræ uerò ab ipſa re, ipſoq; negocio. Iam προσωπικαὶ ἔννοιαι rurſus ſunt bipartitæ; Etenim uel dicemus illius, cui precamur dignitatem, illo dignam, fore utilem, non eius uirtuti tantum, & dignitati, & nobilitati generis; uerum etiam meritis, & beneficijs in ſuos ciues, & in exteros homines. Deinde indicabimus etiam, qui locus eſt ἐκβάσεως, euentus, hanc poteſtatem non ſolum incrementa conſecutura priſtinæ dignitatis, authoritatis, opum, facultatum, atque copiarum: ſed etiam immortalem gloriam. Hactenus ſententiæ, quæ trahuntur à perſona illius, cui optima quæq; optamus. Sequuntur ſententiæ, quæ pertinent ad noſtram perſonam, & habent ἀπόδειξιν, demonſtrationem propter ἔκβασιν, euentum. Nam propinqui, cognati, & affines, amici etiam non rarò ſperãt, ad ſe etiam ex illius ſecunda fortuna, non lætitiam tantum, uerum etiam acceſſionem aliquam, utilitatis cuiuſpiam, fortunæ, atq; dignitatis, redundaturam. Poſtremæ ſententiæ πραγματικαὶ, ſunt

ſunt ab ipſa repetitæ. Etenim tum demum oſtendemus rectè illud negocium adminiſtrari poſſe: ſi huic uel illo uiro cõtingat; quo in loco eſt συμπλοκὴ τοῦ πράγματος, καὶ προσώπου, complexio rerum, & perſonæ. Sic apud Cic. ſæpè oſtenditur, præturam, aut proconſulatum non perſonæ tantum, ſed rei etiam ipſi conuenire, atq; congruere: ut utriq; optimè conſultum eſſe uideatur. Quando igitur de re, & euentu conſtat: optabimus ut non ſolum illud quod ſemper precati ſumus, eueniat: ſed etiam feliciter eueniat. Tertia pars, quæ κατασκευαστικὴ eſt, argumenta ſumet ex ſuperioribus locis, & rebus, quas Græci πράγματα σύνϑα nominant. Epilogicæ ſententiæ, & perorationes, quæ quartum locum habuerunt, breues in cohortando, & rogando inſtituentur. Hactenus de primo tempore; ſequitur tempus alterum: quando nulla certa eſt res, quam alteri ex animo optamus: quemadmodum etiam illi optimè cupimus. Hic quatuor ſententiarũ genera debent conſiderari: & quatuor huius ſcriptionis partes. Pars prima habebit laudationẽ, ἔπαινον perſonæ, cui aliquid optamus. Iſta ἐπίδειξις, collaudatio ſumetur à genere uirtutis. Verbi gratia: prudentiæ, æquitatis, lenitatis, facilitatis, & moderationis omnium rerum. Vnde concludimus, eum dignum eſſe illo bonorum genere, quod ei precamur: ut ſunt honores, magiſtratus, uel tale quidpiam. Altera pars eſt huius loci propria, nimirum σύνϑετη, optans, ſed ut diximus εὐχὴ, uotum illud eſt ἄδηλον, rei non certæ, & propterea εἰκαστικὸν, nitens uidelicet coniectura. Pars tertia ſequitur ἐλπιστικὴ. Propterea

rea quòd directa est ad motum spei, & fiduciæ; quam in illo non excitare tantum, sed confirmare etiam uolumus, & conamur. Postrema pars continebit παραίνεσιν, & ἀξίωσιν, exhortationem, & petitionem: qua ad constantiam illum hortabimur: ne se patiatur ulla ratione ab hac uitæ honestißimo instituto abduci.

Exemplum συστατικῆς epistolæ non puræ, sed mixtæ, pulcherrimum est, lib. fam. 15. Cuius est initium; M. Fabium, quòd mihi amicum, &c. ubi post ἀντιγραφὴν ad cõmendatitias, sequitur locus συστατικὸς.

PROPOSITIO.

Tu, multis de causis, VELLEM, me conuenire potuisses. *Εὐχὴ τῆς παρουσίας.*

RATIONES.

1. Primùm, vt te, quem iam diu plurimi facio, tanto interuallo viderem.
2. Deinde, vt tibi, quod feci per literas, præsens possem gratulari.
3. Tum, vt quibus de rebus vellemus: tu tuis, ego meis, inter nos, communicaremus.
4. Postremò, vt amicitia nostra, quæ summis officijs ab vtroque culta est, sed longis interuallis temporis, interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur vehementius, &c.

Optat igitur, quod tum fieri non potuit, nec factũ est. Ideoq; παραμυθίαν subijcit: cum ὑπεξαιρέσει.

Id quando non accidit, vtemur bono literarum:

Bonum literarum.

rarum: & eadem ferè absentes, quæ si coràm essemus, consequemur. Vnus scilicet ille fructus, qui in te videndo est, percipi literis non potest.

Est igitur optatio etiam desiderij absentis, & spei frustratæ, significationem doloris habens. Sed uarietas huius quoque generis est obseruationi relinquenda: ut contrariarum sententiarum, quæ imprecationem, quam ἀρὰν, κατάραν, ἀρείαν uocant Græci, continent.

VALEN-



VALENTINI ERYTHRAEI DE RATIONE LEGENDI, EXPLICANDI, ET SCRIBENDI EPISTOLAS, *Liber Secundus.*

De generis demonstratiui Epistolis.

CAPVT I.



HACTENVS *de ijs epistolis, breuiter explicatum est: quas eruditi deliberatiuo causarum generi subijciunt, nimirum suadendi, dissuadendi, exhortandi, dehortandi, consolandi, petendi, commendandi, monendi, cõciliandi, amãdi, mandãdi, reconciliãdi, et optandi. Sequũtur deinceps quinq; aliæ literarum formæ: quæ ad demõstratiuum genus propriè pertinent: cuiusmodi sunt, & laudatio, et uituperatio, & gratulatio, & gratiarum actio, & descriptio. Græci has quinq; formas appellãt* ἐπαινετικὴν, ψεκτικὴν, συγχαριστικὴν, εὐχαριστικὴν, *&* καταγραφικὴν. *Ac primum de laudatione, quam, ut dictum est, Græci* ἐπαινετικὴν *uocant. Eam autem ad hunc modum definiunt.* ἐπαινετικὴ δ' ἐστὶ, δι' ἧς ἐπαινοῦμεν τινα ἐπ' ἀρετῇ τινι διαπρέποντα *. *Sunt, qui hanc epistolam laudatoriam barbarè nuncupent; sed ex Græca definitione,*

* Al. διατρέποντα.

ratione, facilè patet, quæ sit causa huius generis literarū, προκαταρκτικὴ dicta: uidelicet ἡ ἀρετὴ, uirtus. Nihil enim præter hanc laudari debet: sunt tamen præterea ἐπαινετὰ, laudabilia, & digna, propter quæ alium laude euehamus. Quemadmodum sunt ea, quæ uirtutes comitantur: ut quædam singulares uirtutes esse uideātur, quales sunt eloquentia, & doctrina bonarum artium atque disciplinarum, & facultatum, siue professionum, quas uocant, Theologiæ, Iurisprudentiæ, & Medicinæ cognitio. Sed terminus, et finis huius tanquā fundamenti, est ipsa prædicatio, quæ fit scriptis, & missis literis ad alium. Quibus ostendimus, eum decoratum esse meritò hac laude, quæ non fit tantum prædicatione, sed etiam cantu, ut decantata laus sit: item literis nostris, & perpetuis historiarum monumentis. Alij Græci sic definiunt: ἐπαινετικὸς (τύπος) ἐστὶν, ὅταν ἐφ' οἷς ἂν ἐπράξέ τις προείλετο παρακαλῶμεν, ἀποδεχόμενοι τὸν τρόπον τοῦτον. Nā hæc epistola est, qua alicuius factum, quod à consilio, & recta ratione profectum est, laudibus extollimus: idq; approbamus: præsertim, si nostra cohortatio antecesserit, ad illud ipsum negocium suscipiendum, aggrediendum, & conficiendum. Ergo προκαταρκτικὸν αἴτιον est, &, ut Dialectici loquuntur, fundamentum in definitione, non ἀρετὴ, ut in superiore; sed ut Aristoteles in 1. Rhet. scribit: σημεῖον signum uirtutis, & ueluti documentum & specimen aliquod, uidelicet, ἡ πρᾶξις, præclarū aliquod factum, & propterea etiam laudabile. Itaque rectè Græcus iste, παρακαλεῖν præponit, nostram cohortationem, scriptam

Διαπρέποντα.

ſcriptam ad amicum abſentem: qua extimulamus ipſum ad tam præclarum facinus ſuſcipiendum. Quod, ubi à nobis auditum eſt, illum tam fortiter aggredi auſum fuiſſe, & ad felicem exitum perduxiſſe; tum uerò noſtris literis, non ſolum collaudamus eum, propter uirtutem, & res præclarè geſtas; ſed uerò etiam eidem plurimis uerbis gratulamur. Cæteras enim interdum partes adiungimus. Verùm propria huius epiſtolæ pars eſſe uidetur ἡ ἀποδοχή: qua approbamus ſtudium, atq; uoluntatem illius, & conatum, factumq; eius collaudamus. Huius generis epiſtolæ Græci in ſcholis tale propoſuerunt ſuis auditoribus exemplum:

Ἀγχίνουν ὄντα σε καθ᾽ ὑπερβολὴν, καὶ σφόδρα συνετὸν, ἐπαινῶ, καὶ τιμῶ. πρέπει γὰρ τοὺς θείους ἄνδρας οὐ μόνον ἐπαινεῖν, ἀλλὰ καὶ τιμᾶν. Exemplum iſtud ſcholaſticum eſt quidem Laconicum, & breuiuſculum: ſed principales tamen continet partes laudationis. ἀφήγησιν, breuiuſculam narrationem: perſcriptum, inquit, ad me eſt ſuperioribus diebus: te non ſolum excellenti ingenio præditum eſſe, & prudentia ſingulari: uerum etiam incredibili bonarum artium & diſciplinarum ſcientia excultum. Hanc partem ſequitur pars altera, quæ eſt ἐπιδεικτική: habens collaudationem. Quæ cauſa, inquit, eſt, ut non tantum te laudibus uehendum eſſe exiſtimem: uerum etiam dignum cultu, & ueneratione. Tertia, & poſtrema pars eſt κατασκευαστική, quæ eſt confirmationis, eſtq; non ſolum γνωμολογική, ſumpta ex loco communi ſententia illa generalis; uerum etiam ex doctrina

de moribus, ualde ἠθικὴ. Decet enim tales uiros, tanquã numine diuino afflatos, non tantum laudare uerbis, sed etiam omni ratione honorare, obseruare, colere, & uenerari. Alter Græcus & ipse ἀνώνυμος, subijcit etiam breuißimum, & Laconicum, sed pulcherrimum exemplum collaudationis.

Ἐγὼ εἰ καὶ πρότερον ἔγραφας γράμμασι μετειλήφειν τῆς σῆς φιλοκαλίας. καὶ νῦν ἐφ' οἷς πέπραχας, ἀποδέχομαί τε, καὶ παρακαλῶ. συνοίσει γὰρ ἡμῖν ἀμφοτέροις.

Paradigma istud est sanè acutum in ista scholastica exercitatione: sed differt à superiore proximo, quòd tractatum est προλήψει, occupatione. Partes illius sunt, ἔπαινος, collaudatio: quam noster ille Græcus (ut ex superiore illa definitione potest intelligi) ἀποδοχὴν nominat, quasi facti illius approbationem. Pars altera est παράκλησις, cohortatio, & suasio, ut posthac res consimiliter gerat præclaras & dignas immortalitate. Differt etiam hoc exemplum à superiore proximo; quòd ibi laudatur uirtus: hic autem non uirtus tantum, sed etiam uirtutis effectus, atq; signum, hoc est, præclarum factũ. Breuitas tamen par est, atq; eadem. Præterea similitudo etiam est inter hæc exempla in subiectione rationis: quam nominant Rhetores αἰτιολογίαν. Veruntamen inter has rationes, etiam est hoc discrimen animaduertendum: quòd superior αἰτιολογία, est infinitæ quæstionis, & prorsus ἠθικὴ, morata. Etenim sumpta est ab honesti genere, ἀπὸ τοῦ καλοῦ, à parte honestatis,

atq́; officij, ſcilicet iuſticiæ, atq; pietatis. Huius autem ratio breuior quidem eſt, ſed tamen ducta potius ex deliberatiuo genere, non demonſtratiuo, ut ſuperior, nimirum, ἀπὸ τοῦ συμφέροντος: quo ſanè uerbo utitur Græcus: oſtendit enim magnam utilitatem ad utrunq; peruenturam eſſe, & quaſi redundaturam. Sed hoc exemplum etiam differt alio modo à ſuperiore: quòd ibi propoſitio fuit ἁπλῆ, ſimplex, & nuda: quanquam grauia uerba habet. ἐπίτασις enim eſt in illis uerbis, omninò illuſtribus, quia ſuperlata ſunt, & ὑπερβαλλόμενα. Sed hæc propoſitio habet non ſolum πρόληψιν, anteoccupationem; uerum etiam πρόσληψιν, aſſumptionem cauſarum ad effectus. Quanquam, inquit, antea ex tuis ad me ſcriptis literis, facilè potui cognoſcere, tuã φιλοκαλίαν, id eſt, ſtudium honeſtatis, & rerum honeſtarum, quas colis: tamen ex his etiam rebus, quæ nuper abs te ſunt præclarè, laudabiliterq́; geſtæ, atq; adminiſtratæ, fit, ut non ſolum illas ipſas res uehementer probem, atq; prædicem: uerũ etiam, ut te etiam atq; etiam cohorter: ut porrò tuæ pulcherrimæ uirtutis, καὶ τῆς φιλοκαλίας, ſimilia, imò maiora nobis documenta des, & ueluti inſignia, atq; teſtimonia præbeas. Eraſmus hanc collaudationem eſſe ſcribit: qua filium, aut filiam, militem, ſeruum, libertum, famulum, imò uxorem, aut alios, in quos nobis aliquod eſt ius, ut officio ſuo probè functos laudamus. Sed Græci iſtam laudandi rationem, quæ fit per literas, etiam ad eos, in quibus nobis nullum eſt ius, extendunt. Quemadmodum illa proxima ſuperiora

exempla demonſtrant. Idem tamen ſcriptor obſeruauit: non tantum in Plinio, ſed etiam in Cicerone ; quando mixta eſt huiuſmodi collaudatio, præter ἔπαινον, laudationem, adiungi etiam uel νουθέτησιν, monitionem, uel παραίνεσιν, adhortationem, uel ὑπόσχεσιν, pollicitationem. At monitio propriè ad ſeruum pertinet, aut libertum, aut etiam ad diſcipulum: hortatio autem ad filios, & filias, uxorem, & ſimiles perſonas, nobis charitate coniunctas. Sed ex ſuperioribus apparet, laudationem, quæ literis fit, propriè eſſe perſonarum: uerum enimuerò rerum etiam eſt, & Plinius non Poetam tantum laudat, lib. 3. epiſtola eſt: Annotaſſe uideor, &c. ſed puellam etiam Politianus, lib. 3. cuius principium: ô decus Italiæ. Et apud Plin. hominis laus eſt, lib. 1. epiſt. Si quando urbs noſtra. Et altera; Amabam Pompeium. Non autem perſonæ tantum laudantur, ut diximus, ſed res quoq; exornantur: quemadmodum in καταγραφικῇ epiſtola dicemus. Ac apud Plin. eſt pulchrum exemplum uitæ rusticanæ. lib. 1. epiſt. Mirum eſt, &c.

Ἀντεπισταλτική, reſpondendi ad laudationem ratio.

De hac ratione nulla præcepta dari poſſunt. propterea quòd exempla Ciceronis oſtendunt, quibus partibus uti conueniat in reſpondendo ad collaudationem noſtram. Exemplum pulcherrimum eſt Ciceronis, lib. 15. ep. 6. quæ ſic incipit: Lætus ſum laudari abs te, laudato uiro, &c. Sed de hoc libro primo.

ΨΕΚΤΙΚΗ ἐπιστολή, *uituperans quempiam Epistola.*

CAPVT. II.

Superiori generi contrarium est, quod ψεκτικὸν Græci nominant. Alter ille ἀνώνυμος nominat ψεκτικὸν τύπον, formam epistolæ alterum uituperantem. Sic autem definit ille hanc formam epistolarem: Ψεκτικὸς δὲ (τύπος) ἐστιν, ὅταν τρόπου κακίαν, ἢ δυσχέρειαν πράξεως κατά τινος ἐξαγγέλλωμεν. *Hac enim epistola alicuius, aut uitiosos mores uituperamus, aut facti alicuius indignitatem, atq; atrocitatem. Ergo fundamentum, ut loquuntur Dialectici, literarum istarum est bipartitum; unum* τοῦ τρόπου κακία, *uitiosi mores: alterū* δυσχέρεια πράξεως, *facti alicuius indignitas. Terminus autem, ut ijdem loquuntur, est* ἐξαγγελία, *harum rerū, quas uituperamus: sed quæ habent detestationem, non autem* ἀποδοχὴν, *ut superior epistolarum forma. Habet igitur* ψόγον, *uituperationem, &* ἐπιτίμησιν, *reprehensionem: & propterea dicendi* ἰδέαν, *quam Hermog uocat* σφοδρότητα, *acrimoniam: quemadmodum superior epistola* ἐπαινετική, *splendorem, & illustrem dicendi speciem seu* λαμπρότητα. *Græci uituperationis illud ponunt exemplum breuißimum.*

Ο δεῖνα πῶς κέχρηται τοῖς ἐγκεχειρισμένοις ἀνελευθέρως, καὶ τῆς προαιρέσεως ἀναξίως, κἂν ἐγὼ σιωπῶ, παρ' ἄλλων ἀκούσῃ. γράφειν γὰρ προσήκει, περὶ ὧν ἂν μή τινες

ἐπιστῶνται. περὶ δὲ τῶν ἅπασι φανερῶν, καὶ ὑπ' αὐτοῖς τῆς φήμης ἀναγγελλομένων, περισσόν τε καὶ τὸ μηκύνειν, ἃ δι' αὐτῶν ἐλέγχεται σιωπώμενον.

Illud exemplum, quanquam breue est, ut cætera Græcorum scholastica sunt ὑποδείγματα, infinita, & generalia: est tamen ualde accommodatum ad proximam superiorem definitionem, Sed differt ab alijs Latinorum, & Græcorum exemplis, etiam hac ratione: quòd ista ψεκτικὴ ἐπιστολὴ, est τριτοπρόσωπος, ut Grammatici loquuntur, ad tertiam deflexa, & directa personam. Constat enim, huiusmodi epistolas etiã δευτεροπροσώπους εἶναι: quibus reprehendimus alium sub secunda persona: quæ certè sunt grauiores, & uehementiores. propterea quòd scriptæ uidentur, non ad alium, tanquam arbitrum & iudicem: quemadmodũ hæc epistola ad alium de alio est conscripta et missa. Partes huius epistolæ sunt: Exordiũ, & breuis confirmatio. Exordij propositio habet συντομίαν, propter ἀποκοπὴν, resectionem. Non enim arbitratur esse necessarium: ut pluribus de illo scribat. Sic igitur proponit: Quàm iste se in hoc negocio suscepto, non solum gerat illiberaliter, & sordidè: uerum etiã summo cum probro, atq; dedecore, uel me etiam tacente, facilimè ex alijs intelligere poteris. Sequitur κατασκευὴ, altera pars, quæ habet ἀντίθεσιν, contrariorum contentionem. Etenim epistolis illa propriè credenda sunt: quæ aliorum, quos certiores esse cupimus, cognitionem, atq; intelligentiã fugiunt. Hactenus prima pars τῆς ἀντιθέ-

σεως:

σεως;sequitur pars altera, quæ habet τὸ ἐναντίον,contrarium. At uerò,quæ peruulgata sunt, & omnibus cognita,ex crebris sermonibus,qui increbuerunt, per literas missas significare omninò superuacaneum, & prolixum esse censeo:maximè cum hæc ipsa,quæ disseminata hinc inde sunt,sermone uulgi,sesemet prodant.Exemplum istud non prorsus illustrat hanc rationem uituperandi,cum ad cognitorem missa esse uideatur.neq; enim uitium,aut crimen nominat, multò minus demonstrat. Nulla etiam hic est exaggeratio criminis,quod non nominatur.Cum igitur præcipuæ partes hic absint ὀνομασία, ἀπόδειξις, αὔξησις,sola hîc locum habet ἀποδίωξις,sed non nuda,uerum ἀποδεικτικῶς confirmata, πίστει ἀτέχνῳ,argumento ab arte remoto,sed generali testimonio:cuiusmodi est φήμη,rumor,qui emanauit. Amplificauit etiam crimen non nominatum circumstantijs:quod fecerit illiberaliter, & tractauerit de se benemeritos omninò indignis rationibus:idq; consultò, nulla ex imprudentia. Sed ista quæ fecit,appellat φανερὰ, omnibus nota,& fama publica omnino peruulgata. Itaq; argumentum ducit ab inutili,& superuacaneo,atq; difficili. Quicquid enim est περιοσσὸν in huiusmodi rebus ; illo ipso facile supersedere possumus.Inde quod silentio ista prætereo,in his literis;hæc ipsa mihi possunt esse argumento.

DE GRATVLANDI genere.

CAPVT. III.

QVanquam gratulatio à quibusdam inter eas epistolas, quæ sunt generi deliberatiuo subiectæ, refertur (habet enim optationem.) nobis tamē pars esse quædam uidetur τῆς ἐπαινετικῆς ἐπιστολῆς. Nam laudatione (cum & rem, & personam, cui gratulamur, exornet) tractatur. Itaq; rarò est pura, & simplex. Motum habet χαρὰν, gaudium, conuinctum cū illius lætitia. Vnde συγχαρειστικὴ est nominata. Motus contrarius illi est inuidia, & huic propinqua ἐπιχαιρεκακία, maleuolentia Forma dicendi huius generis dicitur λαμπρότης, splendor. Græci igitur hanc (quam nonnulli ex Latinis gratulatoriam appellant) συγχαρειστικὴν nominarunt, ac definiunt ad istum modum: συγχαρειστικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς συγχαίρομέν τινι εὐπράττοντες, (quanquā uidetur legendum εὐπράττοντι.) Gratulantes enim per epistolam ostendimus, nos magna perfundi uoluptate, propter amici prosperos rerum successus: itaq; scriptis literis, illi hanc fortunam gratulamur. Ergo fundamentum, ut Dialectici loquuntur, gratulationis, est εὐπραξία, uel τὸ εὐπράττειν, prosperi euentus, felices successus, secundaq; fortuna. Terminus, & finis est illud ipsum τὸ συγχαίρειν: simul cum illo lætari, pariq; affici uoluptate. Nam ille, cui ex animo, & ex sententia res succedunt, χαίρει, gaudet: & eius hic motus est πάθος, qui dicitur χαρά: illius autem, qui ei gratulatur fortunam afflantem, non reflantem, est συγχαίρειν, ἤγουν συνήδεσθαι, simul gaudere, & quasi collætari; sed illa quasi συγχαρὰ animi est, & tacentis etiam amici est. At

uerò

uerò συγχαριστία, non muti, & silentis est: sed loquentis, & scribentis; quando uel ore, uel lingua, uel stylo, scriptisq; ad amicum literis, significamus nos ex animo gaudere, propter illius felicitatem. Quod idem facimus præsentes, data dextera, beneuolentiæ, & fidei externo signo. Exemplum Græci breuißimum, ut solent, huius generis illud proponunt:

Συγχαίρω σοι λίαν, ἐφ' οἷς ἀγωνισάμενος εὐδοκιμήσας, εἰς τοσοῦτον, ὡς καὶ γραφῆς τιμηθῆναι. συγχαίρειν δὲ χρὴ τοῖς φίλοις εὐπράττουσιν; ὡς καὶ συναλγεῖν λυπουμένοις.

Partes huius epistolij, sunt: πρότασις, propositio, quæ est συγχαριστική: Continet enim non tantum communis gaudij significationem; uerum etiam gratulationẽ. Pars altera est κατασκευαστική. Primum enim, inquit, maxima sum lætitia affectus. Deinde continenter subijcit rationem, quæ est ἐγκωμιαστική, laudem continens & prædicationem breuiusculam rerum ab ipso præclarè gestarum, in proximo superiore certamine. Pars tertia est αὔξησις, amplificatio, facta & uerborum, & rerum incremento. Non enim solum ostendit, eum εὐδοκίμησιν, gloriæ assecutionem, ac nominis splendorem, summa cum laude esse consecutum, ἐκ τοῦ ἀγῶνος, ex ipso certamine; uerum etiam ostendit, hanc ipsam pugnam, non prædicatione solum esse dignam eorum, qui nunc uiuunt, uerum etiam posterorum, hoc est, memoria perpetua, literis monumentisq; decorandam. Ergo γραφὴν subijcit τῇ εὐδοκιμήσει, & historiam; finem adiungit τὴν τιμὴν, honorificam

rificam posterorum illius uirtutum, & præclarè rerum gestarum commemorationem & testificationem. Postrema pars est θετική. Habet enim locum communem, & quæstionem infinitam: in qua est pulcherrima ἀντεξέτασις, contrariorum compositio. Etenim decet amicis gratulari de secunda fortuna: & de rebus benè gestis. Quēadmodum etiam honestum est, condolere eorundem amicorum fortunæ aduersæ, & calamitatibus. Alter Græcus ἀνώνυμος, sic definit gratulationem, quæ fit per literas: συγχαριστικὸς τύπος ἐστίν, ὅταν ἐπὶ μεγάλοις πράγμασι, ἢ παραδόξοις γεγονόσι, περί τινα συνηδόμενοι, γράφωμεν. Ergo ratio gratulandi alicui per epistolam, nihil est aliud, quàm cum de rebus magnis, atq; arduis, aut quæ nostram opinionem, atque expectationem uincunt, præclarè tamen gestis, alteri gratulamur, comprecando eidem maiorem in alijs negocijs successum. Exemplum paulò prolixius est apud hunc scriptorem: Οὐχ ὑπείληφα περὶ σὲ τὸν τοῦ πράγματος κύριον γεγονέναι τοσαύτην χαράν; ὅσην οἶδα περὶ ἐμὲ πυθόμενον τὰ σοὶ συμβεβηκότα, πέποιθα δ' ἐθελούσης τῆς τύχης σὲ μείζοσιν ἀπαρξόμενον. Δι' ἣν ἔχεις πρὸς μὲν τοὺς ἀνθρώπους ἀπάντησιν; πρὸς δὲ τοὺς θεοὺς εὐσέβειαν. Ex quo exemplo perspicuum est, ad illam superiorem εὐπραγίαν, seu τὸ εὐπράττειν, felicitatem, aut feliciter & prosperè res administratas, aut gestas, denique ad omnem felicem successum, multò maxima ex parte referendas esse res ab aliquo gestas, non solum magnas, difficiles, arduas, & periculosas; quæ à Græcis nominantur μεγάλα πράγματα,

τα, δεινὰ, & πολυκίνδυνα, uerum etiam res incredibiles, & quæ omnium nostram spem, ac opinionem excedunt, & superant, quæ dicuntur παράδοξα, & ἀπροσδόκητα. Ergo finis huius epistolæ est, & terminus, ut loquuntur Dialectici, non solum communis lætitia, uerum etiam laudatio personæ, cui gratulamur; & cuius nomine etiam gaudemus. Fundamentum autem, uel αἴτια προκαταρκτικὰ, causæ nos mouentes, & impellentes ad hāc rationem gratulandi suscipiendam, & ueluti materia quædam harum literarum, est, ut supra diximus, τὸ εὖ πράττειν, & propterea etiam τὰ μεγάλα πράγματα, ἢ παράδοξα, sed γεγονότα. Harum rerum istud exemplum est refertum. Partes illius sunt tres: quarum una est πρότασις, propositio. Arbitror à tuis amicis tantam tibi esse factam gratulationem, ob res præclarè gestas, quanta à me facta est erga te. Pars altera est αἰτιολογία, ratio. Etenim mihi significatum est, secunda fortuna aspirante, ditiorem te esse factum. Sequitur pars tertia: nam rationi subijcitur κατασκευὴ, confirmatio. Neq; enim tua uirtus præcipuis uiris est ignota. Qua ut beneuolentiam, & gratias tibi colligis, apud omnes homines: sic erga Deum declaras tuam non uulgarem pietatem, & sanctimoniam.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΣΥΜΠΑΘΗΤΙΚΗ.

Contraria huic est illa epistola, quam nominant illi συμπαθητικὴν, condolentem. Eam sic describunt: συμπαθητικὴ δ' ἐστὶ, δι' ἧς δοκοῦμέν τινι συμπάσχειν, ἐφ' οἷς ὑπέστι λυπηροῖς. Dēclinatio à proposito ad

latus deflexa, seu contrarium: propter motus cõtrarios, lætitiã, & dolorem.

λακωνοῖς. Hac enim forma epistolarum ostendimus magnũ nos dolorem, molestiamq; percepisse ex alterius rebus aduersis, in quas incidit. Exemplum Græcus author huius generis illud subijcit: Σφόδρα κατὰ τὴν ψυχὴν ἤχθέσθην, ἀκηκοὼς περί τινος συμβεβηκότος σοι, δεινοῦ, καὶ τὸ θεῖον ἱκέτευσα, τούτων ἐλευθερόν σε καταστῆσαι. φίλων γὰρ ἐστιν, εὔχεσθαι τοὺς φίλους ἀεὶ κακῶν ἐλευθέρους ὁρᾶν. Partes epistolij huius Laconici sunt: πρότασις, propositio, cum adiuncta ἀφηγήσει, breuiuscula narratiuncula. Hæc pars inquam est prima: altera pars, est ἱκετεία, precatio; tertia est ἐπιλογικὴ, & αἰτιολογικὴ, & γνωμολογικὴ. habet enim ratio ista in conclusione generalem sententiam. Posteaquam, inquit, mihi nunciatum est, te in grauem incidisse calamitatem: sanè, ut debui, uehementer sum animo perturbatus; ac Deum aßiduis precibus rogaui: ut te ab ea calamitate liberum esse uellet, & solutum. Amicorum enim illud est officium, precari ut amici omnibus rebus aduersis eripiantur: quos sanè optamus semper à periculis uidere tutos, atque incolumes. Incidit hoc genus literarum in consolationem: cuius pars præcipua esse uidetur.

RATIO TRACTANDI GENERA sententiarum in gratulatione.

Reditus ad institutum.

Initiò hæc consideranda est distinctio generalis epistolarum: quòd omnis συγχαρτία, gratulatio, aut est ἀμιγὴς, simplex, & pura; quãdo nimirum sola per se gratulatio epistolam separatam à cæteris generibus, efficit: aut

aut est μικτὴ, uel ἐμμιγὴς, cæteris contemperata, & admixta: cum scilicet aliarum epistolarum partibus gratulatio coniungitur. Deinde attributiones spectandæ sunt personarum, & ipsarum rerum. Etenim alio modo gratulamur amico, & familiari, alio modo principi uiro, aut superiori. Iam res de qua alteri gratulamur, uel est exigua, uel est magna. Ex quibus perspicuum est, in re parua, breuitati studendum esse, & familiariter ad amicum scribendum. In re autem magna, præsertim ad principem uirum, aut ad inferioris loci hominem, cui obtigit dignitas, & honos, ut Ecclesiasticus, non solum grauiore, & copiosiore: sed etiam artificiosiore est utendum scriptione. Vt is intelligat, se à nobis plurimi fieri. Illud tamen in genere obseruandum est: ut in gratulatione nihil sit fictum, nihil fucatum, nihil simulatum. Omnis enim hæc ratio debet alienißima esse, non tantum ab assentatione, & aßimulatione: sed etiam ab omni adulationis suspicione. Atq; hæc initiò consideranda sunt: postea etiam cogitandum est, de tractandi ratione, περὶ τῆς ἐργασίας. Nam & hæc gratulandi ratio, fit partim recto ductu, εὐθέως: partim fit obliquo quodam modo, πλαγίως. Sed utraq; tractandi uia sententijs continetur, partim τῆς χαρᾶς, quibus lætitiam nostram significamus alteri plurimis uerbis: partim τοῦ ἐπαίνου, quibus collaudamus non personam tantùm: sed etiam rem, de qua amicis gratulamur. Huc referuntur sententiæ εὐκτικαὶ: quibus bona precamur amicis, aut ijs, quos colimus, & obseruamus, ut superiores: item παραινετικαὶ sententiæ, quibus co-

horta-

hortamur eosdem, aut occultè, aut apertè, ut, quod speramus, agant rectè, & integrè. Primum genus sententiarum est, quod in epistola continet αὔξησιν, uel κατασκευὴν.

1. Sententiæ lætæ.

Primùm enim solemus grauibus uerbis, & superlatis, in proponendo & exordiendo, amplificare animi nostri lætitiam. Deinde etiam non rarò utimur κατασκευῇ: qua confirmamus, hoc nostrum gaudium uerum esse. Ergo illud primum confirmabimus, cum alijs rationibus, tum hac, & simili sententia: nos & alios multos de illo ante sperasse: ipsum ad hunc dignitatis gradum ascensurum. Deinde rem augebimus. Dicemus enim, quòd fortuna tanta ei tam feliciter, & tam citò obtigerit: idq; non solùm, propter hominum inuidorum, & inimicorum improbitatem: uerùm etiam propter rerum ipsarum, & temporum rationes difficiles.

2. Sententiæ ἐπαινετικαὶ.

In altero genere sententiarum, quæ dicuntur ἔννοιαι ἐπαινετικαὶ, duo sunt rerum genera animaduertenda. Nam res de qua alteri gratulamur, uel nuper consecutus est: uel amissam superioribus temporibus, maxima cum laude nunc recuperauit. Si res est magna, ut honores in Repub. summi, aut amplißima quædam hæreditas: demonstrabimus, nostrum amicum his dignißimum esse. Addemus etiam interdum per comparationem: uix alium inueniri potuisse, cui illa tantoperè conueniant. Item, dicemus, hac ratione, & diuino beneficio non tam personæ, quàm ipsi rei esse prospectum, ut gratulandum utrique uideatur. Hanc igitur dignitatem, aut si quid aliud obtigit, uarijs modis amplificabimus. Quantum ad per-

sonam attinet: fatebimur etiam honorem istum esse imparem uirtuti, & meritis illius. Sin parua res erit, gratulatione tamen digna: dicemus, eum quidem multò ampliora meruisse; hunc tamen honorem, ut tribunatum, aut quæsturam, ueluti gradum, & aditum esse quendam ad maiora perueniendi, modò fortuna illius uirtutibus respondeat. Atq; hæc ratio laudandi est in ijs rebus, quas nuper est adeptus. Sed in rebus amißis, uel temporibus, uel etiam aduerso casu (in quos, per μετάστασιν, plerunque transferimus causam) hæc tenenda ratio est: ut si illi restituta sit uel dignitas, uel patria, uel amissa bona, & quicquid est generis eiusdem, ostendamus non esse adeò amißionem illarum rerum deplorandam: quin etiã hanc recuperationem, & restitutionem, uel existimationis, uel patriæ, uel domus, & cæterarum huiusmodi possesßionum, dicemus potius esse laude celebrandam, & lætitia prosequendam; præsertim si addere poßimus, habitam aliquando tandem rationem illius, non salutis tantum, & uitæ, sed etiam uirtutis, & propterea etiam dignitatis, atque nobilitatis. His sententijs ἔπαινος tum solet aggregari, cum ipsius collaudamus uirtutes: & in his præcipuè industriam, & diligentiam. Accedit huc præterea εὐχή, optatio, preces, & uota. Nam bene ominabimur illi: & optabimus, ut id quod, diuina beneuolentia, & sua uirtute, consecutus est, aut recuperauit: ipsi & suis omnibus sit fortunatum, & felix. Sed precabimur illi non tantum eius rei, de qua ei gratulamur, φυλακὴν, conseruationem, uerum etiam προσθήκην, cæterarum

Ἔπαινος.

Εὐχή.

terarum bonarum rerum, aut similium, aut maiorum accessionem: & αὔξησιν, amplificationem. Postremum genus sententiarum diximus habere παραίνεσιν, & νουθεσίαν, cohortationem, & commonitionem. Sed quemadmodum gratulandi ratio, partim directa est, partim inflexa: sic cohortatio, & monitio illa, est aut εὐθεῖα, directa, aut πλαγεῖα, obliqua. Directa illa ratio est, qua cohortabimur eum, qui iam ad Remp. accessit, & consul factus est: ut hunc magistratum rectè, & integrè administret. Hîc amicè admonere solemus etiam, & quasi præcipere ei, quomodo se gerere debeat, in isto officio, atq; præfectura. Dicemus insuper huius administrationis uel laudem, uel dedecus, non tam ad ipsum, quàm ad nos, propter amicitiam, redundaturum. Etenim amici commoda, & incommoda, gloriam & ignominiam pro nostris rebus ducere solemus. Ergo quando amico gratulamur: solemus illud facere breuiter & familiariter, & apertè: ut nihil in nostris literis uideatur esse excogitatum, & fucatum. Sed altera ratio cohortandi, & monendi ab hac diuersa est. Nam si scribimus ad principem aliquem uirum, & omninò ad personam superiorem: instituẽda est πλαγία ἐργασία, obliqua ratio tractandi. Nam eiusmodi personæ amplitudo uix patitur liberam admonitionem. Ergo dicemus, nobis optimè constare, ne dum nos sperare, eum se rectißimè atq; integerrimè, in illo magistratu, atque præfectura, omnia facturum, quæ talis uir præstare debet: præsertim cum in alijs rebus superiorum temporum, se optimè gesserit. Hæ sententiæ continent ἐπιστήμην,

Ἡ ἔμβασις.

στήμην, & ἐλπίδα. Itaq; ad talem personam, scribendũ est accuratius, & uerecundius. Ex quibus perspicuum est, genus illud causarum, quod Rhetores nominant ἐγκωμιαστικὸν, sæpenumero incidere in hanc gratulandi rationem. Pertinent huc ἔννοιαι αὐξητικαὶ, quæ sunt apud Erasmum: primum rem dicemus esse præclaram: deinde, à multis frustra ambitam: deinde, ultrò non ambienti delatam: deinde, eam bonorum uirorum iudicio : non cœco fortunæ fauore, ipsi obtigisse: uel principis gratia, qui non nisi dignißimos soleat honoribus ornare: deinde, dicemus, si poterimus, illam ipsam dignitatem nulli nos ferre acceptam, nisi eius uirtuti, atq; industriæ: præsertim si præter omnium spem ei obtigerit. Ad obliquam tractationem pertinet ἄρνησις, & πρόληψις. Negabimus enim nos illi honorem gratulari : sed ipsi honori talem, tantumq́; uirum: negabimus etiam nos illi gratulaturos dignitatis acceßionem : quam nec ambiat, nec admiretur: quod prudentiæ, & modestiæ sit argumentum: ueruntamen nos gaudere, occasionem illi, & ueluti materiam oblatam, & datam esse exercendarum uirtutum: quòd nunc alijs poßit, quod semper uoluit, multum prodesse. Occupatione autem dicemus, nos non ea, quæ cæteri solent, gratulaturi. Veruntamen est etiam quædam simplex tractandi ratio, ἁπλῆ, καὶ ψιλή, in illis præsertim rebus, atq́; negocijs, quæ themata nominant Græci, id est, argumenta literarum, ut, cum breuiore epistola uolumus amico gratulari, quòd ei filius natus sit ; aut quod incolumis, & saluus ex longa profectione ad suos reuersus sit.

Sit uera gratulatio: remota ab omni assentatione: nihil in ea sit fucatum, nihil confictum.

Exempla gratulationis Ciceroniana. Ad Atticum illud est notum exemplum : Etsi contentus eram mi Dolobella: & in famil.ep.lib.2.ep.6. Non est pura, sed tamen pulcherrimam gratulandi rationem continet, de consulatu: eius initium est: Sera gratulatio. in eod. lib. 8. Primum tibi, ut debeo, gratulor. Tertio lib.12. pulcherrima est, initium tale: Gratulor tibi: et sequens, quæ ultima est, tota est συγχαρισμὴ. Quasi diuinarē: Iam, lib.15. mixta est , cuius initium tale est ; Te & pietatis in nos, &c. Longè breuißimum est, quod extat, lib. 6. ad Basilium.15. Tibi gratulor, mihi gaudeo. Sic 9. lib.12. ep. Gratulor Baijs nostris, &c. Sed mixta etiam est, ut superior Laconica. Iterum, lib.6.ep.11. Trebatio: Qua in re gratulor tibi ita, &c. Lib.12.ep.16. Trebonius gratulatur Ciceroni de filio: qui Athenis deditus erat optimis studijs. Iam Dolobellæ Cicero consuli, lib.9. gratulatur, epist.18. Libro alio, Cic. gratulatur Caßio Proquæstori. Sed mixta illa est epistola, cuius initium est: M. Fabiũ, quòd mihi, &c. Sed longè pulcherrimum , & breuißimum exemplum est, quod extat lib.15. ep. 19. Marcellũ tuum consulem esse factum, &c. Eiusdem argumenti est præcedens: qua gratulatur M. Marcello , de nouo consulatu.

DE RESPONDENDI AD gratulationem ratione.

Hæc simplicem habet uiam. Sententias enim continet σὺγχαρισμὰς: quibus gratias agimus pro gratulatione.

ne. Exemplum huius ἀντιγραφῆς extat in eodem 15. lib. famil. ep. 6. Lætus sum laudari me, inquit, Hector, apud Næuium, &c. Respondet Cicero M. Catoni ad gratulationem: ac principio ostendit: quantum pondus apud se habuerint Catonis literæ. Ostendit etiam Catonem usum esse sententijs, quas nominauimus ἐπαινετικάς. Initiò etiam argumentatur: & γνωμολογίαν, sententiam generalem proponit pulcherrimam. Ea est enim profectò iucunda laus: quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude uixerunt. Ergo, inquit, lætus sum, laudari me abs te laudato uiro. Subijcit deinde responsionem. Ego uerò uel gratulatione literarum tuarum, uel testimonijs sententiæ dictæ, nihil est, quod me non assecutum putem, &c.

DE RATIONE GRATIAS PER literas agendi.

CAPVT IIII.

GRæci hanc formam nominant συγχαριστικὴν, & ἀποσυγχαριστικὸν τύπον: Latini gratias agentem. Propterea quod continet gratiarum actionem, coniunctam cum laudatione amici, de nobis bene meriti: & amplificatione ipsius beneficij præstiti. Græci eam definiunt hoc pacto: συγχαριστικὴ δέ ἐστι, δι᾽ ἧς χάριν γινώσκομέν τινι, διότι. Etenim hac epistola fatemur nos intelligere, et agnoscimus,

& scire etiam nos confitemur, quantum debeamus illi pro suis nos meritis. Ergo huius generis literarum fundamentum est, & προκαταρκτικὸν αἴτιον, & τὸ ἀντιστρέφον, quod nos mouet ad scribendum, ad bene meritũ amicum, ἡ χάρις, beneficium, seu meritum: quod Græci appellant εὐεργέτημα; terminus est, ut sit εὐχαριστία, sed oratio scripta ad εὐεργέτην: non solum ut sit γνῶσις, & μνήμη, agnitio, & recordatio accepti beneficij. Itaq; alter Græcus sic eam describit: ἀπευχαριστικὸς (τύπος) ἐστιν, ὁ μνημονεύειν τῆς χάριτος, τῷ εὐεργέτῃ δεινυῶσαι βουλόμενος Ergo hac gratiarum per literas actione facta, non solum agnoscimus beneficium, eiusq; recordamur, ut hic loquitur: uerum etiam demonstrare uolumus hanc gratam nostram uoluntatem, & memoriam beneficij accepti erga benemeritum: quem hic Græcus nominat εὐεργέτην. Et officium huius epistolæ est, non solum, quantum debeat suo εὐεργέτῃ, scire atq; intelligere: sed etiam δεινυῶσαι, amplissimis illud uerbis demonstrare, seu commemorare. Quocirca omnis epistola profecta ab homine grato, debet habere δεῖξιν τῆς εὐνήσεως, demonstrationem honestissimæ uoluntatis, mentis gratæ, atq; memoris. Exempla isti breuissima, ut solent, scholastico more hæc subijciunt:

Πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων ἀγαθῶν ἕνεκα χάριν γινώσκω τῇ σῇ καλοκἀγαθίᾳ. μάλιστα δὲ τοῦ τοῦδε πράγματος, ἐφ' ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων ὑπὲρ ἁπάντων ὠφέλησας πλέον.

Infinitum est exemplum: & propterea certis circumstantijs, attributionibusq; rerum, & personarum dilatandum:

tandum: ſuis etiam partibus eſt imperfectum. Propterea quòd tantum habet illam γνῶσιν, & ἀνάμνησιν τῆς χάριτος, intelligentiam, atq; memoriam beneficij accepti. Quanquam etiam laudationem habet illius uirtutis; quæ liberalitas dicitur, & beneficentia. Cuius laudationem atq; amplificationem propriè continet genus hoc epiſtolarum. Autor pulcherrimo uerbo generali uirtutem illam καλοκἀγαθίαν appellat. Nullam autem habet expreſſam ὑπόσχεσιν, pollicitationem, aut εὐχὴν, optationem. Ergo ſolam habet exordij rationem, cuius propoſitio continet πρόσληψιν, aſſumptionem. Cum ob alia in me tua officia, & merita, gratias me tibi debere agnoſco: tum ob hoc etiam, quòd præ cæteris omnibus fideliter me adiuuiſti. Habet igitur εὐχαριστίαν, & αὔξησιν, amplificationem. Nam & gratias illi debere ſe ait, & extollit magnitudinem beneficij comparatione, quòd inter cæteros amicos, ipſe, uel ſolus, uel præcipuus fuerit: qui plurimum de ſe meritus ſit. Alterum exemplum eſt paulò longius apud alium autorem;

Ἐφ᾽ οἷς εὐεργέτησάς με, διὰ λόγον νῦν εὐχαριστῶ. ἀλλὰ δεῖξαι, καὶ ἔργῳ ἣν ἔχω διάθεσιν πρός σε, πάνυ γλιχόμενος ὑπείληφα, τὸ δὲ ἐμοῦ σοι γενόμενον, ἔλαττον τοῦ καθήκοντος. οὐδὲ γὰρ τὸν βίον ὑπὲρ σοῦ προθέμενος, ἀξίαν ἀποδοίην χάριν, ὧν πέπονθα. τῶν κατ᾽ ἐμὲ δ᾽ ὅτι βούλει ποιῆσαι, μὴ γράφε παρακαλῶν, ἀλλ᾽ ἀπαιτῶν χάριν. ὀφείλω γάρ.

Ἐφ᾽ οἷς.) Propoſitio epiſtolæ eſt εὐχαριστική; pro beneficijs acceptis, hoc in tempore, uerbis tantum gratias

ago. Ἀλλὰ δεῖξαι.) Ἐναντιωματικὴ pars. Sed uehemẽter cupio τῷ ἔργῳ, ipso facto declarare animum gratum. Est ἠθικὴ morata occupatio, quæ continet latentem ὑπόσχεσιν, pollicitationem remunerationis. Τὸ δι' ἐμοῦ σοι γενόμενον.) Sequitur αὔξησις meritorum illius, & huic contraria μείωσις, extenuatio sui officij. quod autem à me proficiscetur: id magnitudini tuorum beneficiorum respondere non poterit. Οὐδὲ γάρ.) Κατασκευὴ αὐξητικὴ, ratio, per amplificationem. Nam etsi uitam pro te profunderem; nondum tamen mihi ipsi satisfacerem. Τῶν κατ' ἐμέ.) Sequitur conclusio, in qua est ὑπόσχεσις. Quantum igitur in me est, si quid erit, quod tibi mea opera præstare poßim: non est, ut per literas illud à me petas, sed tuo iure hoc à me postula. Ὀφείλω.) Αἰτιολογία. Adeò enim fateor, me omnia tibi debere; me, & omnia, quæ sunt in mea potestate.

TRACTATIO GRATIARVM actionis.

Ratio tractandi in hoc epistolarum genere etiam est bipartita. Aut enim habet πλαγιασμὸν, inflexam, & obliquam tractationem: aut ὀρθότητα, rectitudinem. Quæ uerò epistola dirigitur, & apertè tractatur: ea quatuor præcipuè generibus sententiarum constat. Omnes enim sententiæ aut sunt συγχαριστικαὶ, & propriæ huius epi-
1. Ἔννοιαι συγχαριστικαί. stolæ: aut sunt αὐξητικαὶ, aut sunt ἐπαγγελτικαὶ, aut deniq; δεητικαί. Primum igitur genus sententiarum est, quod cõtinet συγχαριστίαν, cum scilicet uerbis grauibus,

&

& illustribus gratias agimus amico, de nobis benè merito, ut in illo exordio proximo superiore: ἐφ' οἷς εὐεργέτησάς με: διὰ ΛΟΓΩΝ νῦν Εὐχαριστῶ. Αὐξητικὴ καὶ εὔνοιαι, continent amplificationem accepti beneficij. Etenim omni prædicatione beneficiū extollendum est. Qui enim officium amici, de nobis bene meriti, laudat, & amplificat: is mihi uidetur eius magnitudinem intelligere: gratias habere, & agere: relaturus aliquando, τῷ ἔργῳ, reipsa, & facto. Hæc uerò ἐργασία αὐξητικὴ uariam continet inuentionem. Omnis enim meritorum erga nos amplificatio non solum sumitur à modo, ἀπὸ τοῦ τρόπου: sed etiam à cæteris, & quidem præcipuis circumstantijs, ἀπὸ τοῦ προσώπου, καὶ πράγματος, à re, & persona. Hic obseruandum est in epistolarum scriptoribus: quomodo beneficium amplificent, ἀπὸ τοῦ πράγματος, ab ipsa re, nimirum beneficij aut officij certo genere. Sed illud genus officij tribus modis distinguitur: quantitate, qualitate, & substantia. Ad quantitatem pertinet, si prædicabimus magnitudinem beneficij, aut etiam multitudinem officiorum, τὸ μέγεθος, καὶ τὸ πλῆθος τοῦ εὐεργετήματος. Ad qualitatem, si ostendemus, illud beneficium nobis gratum fuisse: quòd fuerit utile, necessarium, iucundum, & honestum: deniq; insperatum, & incredibile. Ad οὐσίαν pertinent genera beneficiorum. Alij enim pecuniam donant, alij res alias, ut libros, uestes, domum, prædium, uinum, frumentum, & quæ sunt generis eiusdem. Quanquam beneficiorum genera multis alijs rationibus possunt distingui. Sed id nunc non agi-

Αὐξητικὴ.

Loci amplificationis.

Πηλικότης.

Ποιότης.

Οὐσία.

mus. Certè actiones sunt, quæ alijs præstamus officia: dare consilium, consolari, monere, donare pecuniam, nobilitatem, libertatem, immunitatem, uitam, priuilegium, stipendium, conferre honores, & quicquid est huius generis. Sequitur altera ἄυξησις beneficij, ἀπὸ τοῦ τρόπου, à modo. Magnum enim beneficium, & præclarum est, & summopere prædicandum; quod nobis est ab amico præstitum non solum libenter, & ultrò: uerum etiam citò, & in tempore. Qui enim ne expectanti, & speranti beneficium confert: is laudari non satis potest: propter studium in nos propensum. Huc accedit illa πηλικότης, amplificatio; cum dicimus, illum nobis plus dedisse: quã ausi fuerimus petere, uel quàm etiam ipse nobis sit pollicitus. Item, plus eum laboris & molestiæ nostra causa suscepisse; quàm promiserit, uel nos ab ipso petierimus. Tertia amplificandi ratio beneficij sumitur ἀπὸ τοῦ προσώπου, à persona. Sed persona uel nostra est, uel illius, à quo beneficium accepimus. A nostra persona sic beneficium exaggerabimus: ut ostendamus, nos illud accepisse, nullo merito nostro. A persona dantis similiter pulcherrima amplificatio petitur: cum ostendimus, eò gratius nobis beneficium esse: quòd ab eo profectum sit: quem eximiè diligamus, & obseruemus: & cui propterea etiam libenter debeamus; & quasi perpetuo deuincti obligatiq; esse cupiamus. Quanquam scriptores epistolarum, ab aliena persona interdum etiam beneficij magnitudinem solent extollere: idq;, ut in Cicerone potissimum licet animaduertere, comparatione, κατὰ σύγ-

κρισιν;

Secunda ratio amplificandi.

Bis dat, qui citò dat.

Alia πηλικότης.

Tertia ratio amplificationis.

Hîc necessitatem, aut calamitatem nostram proferemus.

κεισιν: qua oſtendimus, amicum non ſolum cauſa noſtra potentum quorundam ſimultates atque inimicitias contempſiſſe; ſed etiam nos prætuliſſe ijs: quibus ille, propter cognationem, affinitatem, neceßitudinem, & amicitiam erat maximè obſtrictus. Reſtat aliarum quarundam partium in hoc genere literarum tractatio. Nam ex ſuperioribus facile poteſt colligi; μετάστασιν, translationem etiam pertinere ad amplificationē beneficij accepti. Eſt autem translatio iſta bipartita, propterea quòd oſtendemus non ſolum δημοσίᾳ; ſed etiam ἰδίᾳ, publicè, & priuatim, atq; peculiariter eum bene eſſe meritum. Ergo oſtēdemus grauißimis, et amplißimis uerbis, quod illius beneficiorum utilitates non ſolum ad Rempublicam, & Eccleſiam peruentura ſint: uerum etiam, quòd his alios quoque ciues, & exteros uicinos ſibi maximè deuinxerit. Poſt αὔξησιν ſequitur in hoc genere aliud genus ſententiarum, quæ in hac beneficij remunerandi ratione adhibentur. Continent autem ὑπόσχεσιν, pollicitationem, & εὐχὴν, optationem, ac preces. ὑποσχετικαὶ ſententiæ iterum ſunt duarum partium. Primum enim promittemus noſtrum erga ipſum memorem, gratumq; animum. Addemus etiam in hac amplificatione; adeò nos eſſe illi deuinctos: ut nos, & noſtra fateamur ingenuè in perpetuum ipſi debere. Pollicebimur etiam gratiam parem, ſeu idem, ac ſimile officium, uel maiorē gratiam, maiora, & plura beneficia nos eſſe ubi facultas erit, atq; occaſio relaturos. Idq; faciemus modeſte, abſq; iactantia. Sequitur εὐχὴ, de qua ſupra fuit peculiariter

Μετάστασις.

Ὑπόσχεσις.

Εὐχὴ, ἢ σύγχω λη, optatio.

explicatum. Tametsi autem nulla potest præceptio dari de hac parte: tamen obseruationis erit legentium, et scribentium uidere in hoc genere literarum: ubi συγχαριστία sit præposita: ubi adiuncta huic sit αὔξησις: ubi ὑπόσχεσις subiecta: ubi εὐχὴ, uel interposita, uel præmissa, uel subiuncta. Iam pium & iustum est: ut cui nos gratias agimus: ei etiam bene precemur (cum gratias referre hoc in tempore non poßimus) ut Deus, bonorum omniũ largitor, & remunerator, nostro amico. cumulatim gratiam referat. Ex quibus omnibus perspicuum est, exornationis, uel laudationis, in hoc genere epistolarum, principes partes obtinere. Etenim in hanc formam literarũ, multarum uirtutum fit mentio: cuiusmodi sunt (si amicus rogatus nobis præstiterit suum officium) beneuolentia erga nos, fides, sedulitas, industria, &, ut uno uerbo complectar, opera, atq; diligentia. Sin à non rogato, magno sumus beneficio affecti, amplior laus cõsequetur autorem. Quo in loco præcipuè excellunt, & eminẽt istæ uirtutes eorum, qui munifici sunt, & liberales, nimirum μεγαλοπρέπεια, magnificentia, & μεγαλοψυχία, animi magnitudo, & altitudo, quam etiam εὐψυχίαν appellãt.

VSVS HVIVS GENERIS epistolarum.

Omnes literati fatentur, hanc formam epistolarum non semper esse πρόςιοδικὴν, καὶ ἀμιγῆ, simplicem, puram: ut per se epistolam aliquam constituat. Est enim plerunque ἐμμιγὴς, alijs scilicet admixta. Diligenter igitur obser-

obseruandum est: quibus in generibus gratiarum actio suum habeat locum. Et ex superioribus facile animaduerti potest usus ἀντεπιςαλτικὸς, siue ἀντιγραφικὸς. Nam plurimus usus est huius epistolæ. Etenim gratias, & agimus, & habemus, & referre cupimus ei, à quo non frustra aliquid petiuimus; item ijs, qui nos fideliter monuerunt, optimum consilium dederunt: consolationem adhibuerunt nostro dolori, secundis nostris rebus gratulati sunt: & si quid est generis eiusdem officiorum: quibus profectò debetur gratiarum actio: & testificatio quædam animi nostri grati. Iam in isto & remunerandi, & gratificandi uicißim studio, diligenter est τοῦ καθήκοντος ratio tenenda: ea uerò non solum consistit, ἐν τῷ λόγῳ, in uerbis; uerum etiam ἐν τῇ διαθέσει, in ainmi affectione, & studio remunerandi, & compensandi acceptū beneficium: denique ἐν τῷ ἔργῳ, in ipsa re, & facto: ut ipso opere præstemus, quod de nobis optimè merito recepimus. Exempla autem, ut obiter indicemus gratiarum actionis, sunt apud Ciceronem. Sed mixtæ 13. lib. fam. ep. 55. Cum mihi multa grata sunt, &c. Est autem responsio, ad commendationem. Ad Att. lib. 9. epist. 5. eiusdem etiam generis est, quæ sic incipit: Cum Furnium nostrū, &c. Est autem C. Cæsaris Imperatoris ad Ciceronem. In familiaribus etiam, pulcherrima reperiuntur exempla: inter quæ elegantiß. est, M. Marcelli, ad Cic. lib. 4. epist 11 Plurimum semper apud me, &c. Obliqua gratiarum actio est, lib. 11. epist. 13. Iam non ago tibi, &c. est Decimi Bruti ad Cicer. Illa etiam, quæ lib. 13. est ad

P. Si-

P. Silium scripta, 65. est συγχαριστική, πρὸ τὴν παραθετικὴν, commendatitiam. Nero meus mirificas, apud me, tibi gratias agit.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΕΚΦΡΑΣΤΙΚΗ, QVA laudandi gratia, describimus aliquam, uel personam, uel rem.

CAPVT V.

SVprà diximus, ex Græcorum doctrina, de eo epistolarum genere: quod ab ipsis dicitur ἐπαινετικὸν, & ψεκτικὸν. Sed non solùm laudationem continet personæ: uerùm præclarißimarum etiam rerũ laudationem, & descriptionem. Verbi gratia, ut urbis, arcis, domus, fontis, putei, fluminis, lacus, portus, agri, uillæ, prædij, uineæ, syluæ, prati, conuiuij, pompæ, nuptiarum, comitiorum, certaminis, imaginis, tabularum, & rerum similium Huiusmodi autem ἔκφρασις ἐγκωμιαστικὴ raró, ut & aliæ, de quibus diximus, per se constituit epistolam. (Sæpius enim, quemadmodum etiam personæ laus, alijs generibus literarum commiscetur.) Omnis enim cõmendatio recipit eius, quem commendamus, laudationem; sic in exhortando, monendo, petendo, & consolando, & rem, ac personam laudare possumus. Quanquam non in suasorijs solum epistolis illud facere solemus: uerumetiam in iudicialis generis literarum formis: ut, in criminatione, recriminatione, expostulatione, exprobratione, inuectiua. Nam in his plerunq; uitupera-

re

re consueuimus personam: quemadmodum laudare in defensione, in excusatione, in purgatione, & deprecatione. Quando uerò per se demonstratio personæ, uel rei, epistolam constituit: finem propositum habebit uoluptatem, atq; oblectationem. Itaq; omnis ornatus in illam incidet, & uerborum, & sententiarum; ut uarietas, & copia uerborum propriorum, significantium, sonantiũ, nouorum, priscorum, peregrinorum, & translatorum. Σχήματα autem uel exornationes sententiarũ, illæ præsertim, quæ sunt suauitatis, in ea locum habebunt; ἰσόκωλα, πάρισα, παρίσωσις, ἀντίθετα, ὁμοιώσεις, συγκρίσεις, αὐξήσεις, ὑποτυπώσεις, χαρακτηρισμοὶ, εἰκασίαι, προσωπογραφίαι. & quicquid pertinet ad ἐνέργειαν, & ἐνάργειαν. De quibus rebus omnibus libro separatim edito, ubi de charactere, seu dicendi forma epistolari, agetur, secuti Græcos, disseremus. Cæterùm non est hîc negligenda partitio huius generis, quæ est apud Græcos, eaq; bipartita. Nam una pertinet ad materiam eorum, quæ uocantur ἐγκωμιαστικὰ, laudabilia: altera ad eorundem formam. Nam sic Aphtonius scribit: ἐγκωμιαστέον δὲ πρόσωπά τε, καὶ πράγματα, καιρούς τε, καὶ τόπους, ἄλογα ζῶα, καὶ πρὸς τούτοις φυτά. Ergo in epistolis, sæpè laudatur persona, sæpè res aliqua, ut, Iusticia, Rhetorica, sæpè tempus, ut uernum: sæpè locus, ut, hortus aliquis, aut sinus, & portus maris: animantia etiam rationis expertia sæpè laudantur, & describuntur. Vt elephas, & leo: stirpes deniq;, & plantæ, incognitæ medicis præsertim, & qui uersantur in historijs stirpium, diligentißimè describuntur.

buntur. Atq; hæc prima partitio est: sequitur altera diuisio: sed quæ pertinet propriè ad laudationem personæ. Fit enim, ut Græci loquuntur κοινῇ, communiter, & generaliter. Vt, cum laudamus omnes studiosos bonarum artium, aut fit ἰδίᾳ, singulatim, & καθ' ἕκαστα, quando uidelicet hunc uel illum laudibus euehimus. Partitio tamen ista ad Rhetorum προγυμνάσματα declamatoria propriè pertinere, hîc tamen etiam delibanda, & adumbranda uidetur. Multi enim loci ἐμπίπτοντες reperiuntur in epistolis: qui ex hac delineatione agnosci, & iudicari poterunt.

DE PERSONAE LAVDATIOne, & descriptione.

CAPVT VI.

Quantum igitur ad personæ descriptionem, & exornationem attinet, ut regis, aut reginæ, aut philosophi, aut hospitis, diligenter consideranda est eius elaboratio, quam Græci ἐργασίαν uocant. propterea quòd in tractando, & collocãdo præcipuè uersatur. Huius autem Græci tres faciunt præcipuas: προοίμιον πρὸς τὴν οὖσαν ὑπόθεσιν, aditũ et quasi uestibulum ad præsentem causam accommodatum: κατασκευὴν, confirmationem: & ἐπίλογον, conclusionẽ. Ac confirmationis partes principales sunt: θέσις, & ἐπιφορά. Primùm igitur ponendum est genus personæ; quam laudare, & describere uolumus. Habet autem διαίρεσιν

in quatuor κεφάλαια distractam. Diuiditur enim in gentem, patriam, maiores, & parentes: Græci nominant ἔθνος, πατρίδα, προγόνους, & πατέρας. Deinde in illa θέσει, consideratur ἀνατροφή, educatio: cuius partes sunt: τὰ ἐπιτηδεύματα, studia, τέχνη, ars, & νόμοι, leges. Ad hos locos omnia personarum attributa referuntur: ut, genus, natio, patria, sexus, ætas, ut pueritia & adolescentia, & in his sodalitia, institutio, disciplina, & mores, uitæ conditio, affectiones, consilia, casus, oratio, item, corporis habitus et figura, uestitus etiam, cultusq; corporis. In ἐπιφορᾷ præcipuus locus est, μέγιστον τῶν ἐγκωμίων κεφάλαιον, in rebus gestis: quæ dicuntur πράξεις: quas distribuunt εἰς ψυχὴν, εἰς τὸ σῶμα, καὶ εἰς τὴν τύχην, in animum, corpus, & fortunã, seu externa bona, quæ propterea fortuita cognominantur. Ex quibus perspicuum est: omnem laudandum hominem, uel propter ingeniũ, & doctrinam, uel propter prudentiam, et usum rerum, & cæteras animi uirtutes, & laudabiles habitus intelligentiæ, & uoluntatis, laudibus uehi. Iam in corpore, cũ alia laudari solent: tum describi interdum uidemus, in epistolis, & tanquam ante oculos constitui, alicuius pulchritudinem, robur, & uires, & proceritatem, atq; staturam hominis, & corporis agilitatem. Quantum ad τύχην ad fortuita bona, celebramus non raro aliquem ab opibus, et copijs, ἀπὸ τοῦ πλούτου: præcipue uero ab honoribus, & magistratu laudabiliter gesto. Denuq; exornatio nõnulla petitur ἀπὸ τῆς πολυφιλίας, ab amicis multis, & bonis. Apud Græcos Thucydides hac ratione laudatur:

Τόποι ἐπιδεικτικοί, ἐγκωμιαστικοὶ exornationi, cũ commẽdatione cõmunes.

datur. primum à patria, deinde à maioribus, tum ab educatione: postremò à rebus gestis. Exemplum est illud breuissimum, sed declamationi, propter dilatationem aptissimum. Aphtonius Rhetor acutissimus, in suis progymnasmatibus, post illam laudationem quadripartitam amplificat istam laudem, παραθέσει, cōparatione, cum Herodoto historico. Epilogus, atq; conclusio, præsertim in declamationibus, tractatur non modo ἀνακεφαλαιώσει, repetitione breui: uerum etiam συγχαριστία, congratulatione, εὐχῇ, optatione, ut scribit Aphtonius: & παραινέσει, cohortatione; ut auditores, uel lectores exemplū laudatæ personæ omni studio, atq; conatu imitentur. Vituperationum est ratio contraria: utriusq; ut loci, sic tractatio in epistolis diligenter obseruanda, & consideranda.

Αὔξησις κατὰ σύγκρισιν ἐκ παραθέσεως.

DE RATIONE LAVDANDI, *uel describendi res.*

CAPVT. VII.

SEquuntur descriptiones, laudationesq́; rerum: ut, locorum, regionum, urbium, ædificiorum, fluminum, fontium, lacuum, agrorum, pratorum, hortorum, montium, & si quid est generis eiusdem. Menander Græcus Rhetor eximius, inter cætera elegantissimè præcipit, πῶς χρὴ χώραν ἐπαινεῖν: quomodo regio laudanda sit? Item, πῶς χρὴ πόλεις ἐπαινεῖν: quomodo laudandæ urbes? Addit deinde alia capita, quæ ad laudationem urbium pertinent; πῶς χρὴ ἀπὸ γένους πόλιν ἐγκωμιάζειν;

κωμιάζειν; καὶ ἀπὸ τῶν ἐπιτηδεύσεων. Eiuſdem argumenti ſunt apud eundem Rhetorem; πῶς δεῖ λιμένας ἐγκωμιάζειν; πῶς κόλπους ἐπαινεῖν; deniq; πῶς δεῖ ἀκρόπολιν ἐγκωμιάζειν; quomodo laudandi ſinus, & portus maris? à quibus rebus arces laudare conueniat? Quanquam autem propriæ ὑποθέσεις declamationum ſunt: tamen eorum partes aliquæ incidunt ſæpenumerò in epiſtolas literatorum hominum: eamq; ob cauſam etiam ſunt iſta, quæ Menander expoſuit, inter legendum obſeruanda, & annotanda * Quanquam uerò in epiſtolis rarò incidit perfecta iſtarum omnium uel rerum, uel perſonarum deſcriptio, aut exornatio: tamen apud Græcos, & Latinos; quorum extant uolumina epiſtolarum, multa apparent ueſtigia huius doctrinæ: ideoq; ſunt in his explicandis annotandæ. Plena enim laus perſonæ alicuius, aut rei deſcriptio magis conuenit, dicendi quaſi primordijs, & declamationibus; quæ epiſtolis ſuccedere debent. Ergo de laudatione, aut deſcriptione regionis alicuius pauca dicamus. Loci unde materies, & argumenta petuntur, permulti ſunt: quorum primus eſt, antiquitas, ἀρχαιότης: cum qua etiam primi cultores, & inhabitatores ſolent conſiderari, & priſci populi. Alter locus eſt notationis uerborum, τῆς ὀνομασίας. Non enim debent, in plena narratione, prætermitti appellationes ueteres, & recentes illius, quam ſuſcepimus laudare, regionis, colonorum, uel incolarum. Tertius locus, eſt τῆς θέσεως, ſitus: cum quo ſpectatur τὸ μέγεθος, amplitudo, item figura, atq; forma. Quartus locus, eſt Ducum, τῶν

* Vide apud eundem Rhetorem, λόγον βασιλικόν, argumentum Panegyrici: quomodo reges, & principes uiri ſint laudandi.

Laus regionis.

Loci deſcriptionis alicuius regionis.

1. Antiquitas.

2. Appellationes ueteres, et recentes.

3. Situs.

4. Duces.

5. Vrbiũ frequentia, &c. ἡγεμόνων, à quibus regio nomen ſortita eſt, bellica uirtute præſertim præſtantium. Locus quintus eſt urbium, caſtellorum, arcium, pagorum, & monaſteriorum, ſi quis ea uelit annumerare. Præterea huc aggregantur, Tetrarchiæ, Archiducatus, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baronatus: item Archepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatiæ, quas ſic nominant. Sextus locus eſt, qui ſumitur ab inſulis, peninſulis, & propterea etiam ab Oceano, & mari uicino: item à portubus, ſinubus maris, promontorijs, hoſtijs. Item fluminibus, fontibus & thermis, lacubus, argentifodinis, ſalinis, montibus, feris beſtijs, auibus, piſcibus: item à ſyluis, pratis, & hortis, & ſi quid eſt generis eiuſdem. Septimus locus ſumitur ab annonæ copia; & propterea fertilitate, & ubertate ſoli, & feracitate optimi uini: deniq; à paſtionis magnitudine. Nec uerò octauus locus præteriri debet: qui peti ſolet à tuto tranſitu. Eſt etiam præcipuus locus nonus, rerum geſtarum fortiter, non ſolùm à ueteribus incolis: uerum etiam à recentioribus populis, ubi ſi quid memorabile geſtum aliquando eſt, non debet ſilentio præteriri. Decimus ſumitur à clementia, & ſalubritate cœli. Vndecimus petitur à forma Reipub. ſeu gubernationis politicæ: item Eccleſiarum, ſcholarum, gymnaſiorum, & academiarum. Itaq; celebrantur regiones à puritate doctrinæ, religionis, ab artibus, doctrinis, profeſſionibus, linguis, & honeſta diſciplina: & propterea à pietate, doctrina, ſapientia, uirtuteq; claris uiris, magni nominis Theologis, Iure-

6. Inſulæ, peninſulæ.

7 Annonæ copia, & fertilitas regionis.

8 Tutus tranſitus.

9. Bellicoſitas.

10. Aeris clementia. & ſalubritas.

11. Adminiſtratio Reipub. Eccleſiæ, ſcholæ.

conſultis,

consultis, Medicis, et alijs clarißimis, doctißimisq; hominibus. Quæ hactenus dicta sunt de laudatione alicuius regionis: Menander Rhetor acutißimus, partitur primum εἰς τὴν θέσιν, hoc est, situm, et εἰς τὴν φύσιν, naturam, et qualitatem regionis. Huic primæ diuisioni, subijcit ὑποδιαιρέσεις. Nam quantum ad θέσιν, situm regionis alicuius pertinet; facit hunc triplicem. Etenim prima θέσις, nominatur ἡ πρὸς γῆν, respectu terræ. Altera ἡ πρὸς θάλασσαν, qua scilicet regio aliqua respicit mare, uel alluens, uel alioquin propinquum. Tertia et postrema est, quam ipse appellat πρὸς οὐρανὸν θέσιν, quæ considerationem habet positus, quantum attinet ad cœli plagas. Quantum uerò ad primum huius inferioris partitionis membrum pertinet, est hæc diligenter notanda diuisio. Omnis enim regio, quæ à mari remota est, id est, neq; insula est, neq; peninsula: aut est μεσόγειος, aut est ἐπιθαλαττίδιος, ἢ ἐπιθαλάσσιος. Omnis enim regio, quæ uel in epistolis laudatur aliqua ex parte, uel in declamatione Rhetorum more plenè exornatur: aut mediterranea est, et propterea à mari longius remota: aut oræ maritimæ adiacet. Est et alia ὑποδιαίρεσις regionum, quarum positus est maritimus, quem Menander τὴν κατὰ θέσιν uocat: sed πρὸς θάλασσαν. Omnis enim regio aut insula omninò est, aut insulæ aliquam habet similitudinem: cuiusmodi sunt peninsulæ, et quæ harum aliquam similitudinẽ habent, ueluti Chersonesi. Tertia ὑποδιαίρεσις ad θέσιν, ad situm alicuius loci, & regionis etiam refertur, quem πρὸς οὐρανὸν, ille cognominat. Huius du-

Partitio Menandri.

Ὅπως κεῖται ἡ χῶρα, κατὰ θέσιν.

Regio maritima, καὶ ἡ πρὸς αἰγιαλούς.

Νῆσος.

Νήσῳ ἐοικυῖα.

Χώρα ἡ ἐν δυσμαῖς, ἀνατολαῖς, μεσημβρίᾳ, ἄρκτῳ.

Χώρα μεσαιτάτη.

plex est contemplatio. Primum igitur quatuor considerat Menander totius terrarum positus. Ostendemus igitur aut δυτικὴν esse χῶραν, regionem, id est, ad occasum sitam esse, aut ἀνατολικὴν. Propterea quòd ad ortũ solis sit posita: aut μεσημβρινὴν, quæ est ad austrum, & meridionalis, aut deniq; est ἀρκτικὴ, quæ sub arcto est, septentrionalis scilicet. Sed Menander laudem alicuius regionis præcipuam putat esse, quæ in medio harum est ueluti collocata: quàm ἐν τῷ μέσῳ τούτων, & μεσαιτάτην cognominat. Poetæ, & alij scriptores, quando regionem aliquam laudant & describunt, ut Cosmographi, non solum inquirunt sub quo Climate, uel cœli plaga: uerum etiam sub quibus quasi astris, sideribusq; sit posita: uerbi gratia, ut Menander scribit: ἢ ὑπὸ πλειάδας, ἢ ὑπὸ ὑάδας, ἢ ὑπὸ ἀρκτοῦρον, ἢ ἑωσφόρον; unde Virgilius multas chorographias, à cœli constitutione, seu, ut Mathematici loquuntur, poli eleuatione, ducit. Diligentissimè autem utramq; Hesperiam, Italiam & Hispaniam describit χωρογραφικῶς. Hactenus περὶ τῆς θέσεως

Ἡ κατὰ φύσιν τῆς χώρας θέσις.

Ἡ τῆς χωρᾶς ἀρετῆς, ἢ κακίας διάγνωσις.

τῆς χώρας, de positu regionis: Sequitur altera eiusdem Rhetoris consideratio, in laudanda regione: quam τὴν κατὰ φύσιν appellat. Eam autem rationem omnem in certos quosdam locos, & contraria κεφάλαια diuisit. Ex quibus locis scribit διάγνωσιν dijudicationem facile posse sumi, regionis illius aut ἀρετῆς, aut κακίας, bonitatis uel uitiositatis. Sunt autem istæ qualitates regionũ. Nam primum omnis regio aut est montana, ὀρεινὴ, aut πεδινὴ, campestris, & plana: quam Græci nominant

præ-

prætereà σύντονον, οὐκ ἀνώμαλον, οὐδὲ ὀστώδη, non ossulentam. Deinde terra quædam est ξηρά, arida, & propterea etiam ἄνυδρος siticulosa, & aquarum penuria laborans, & ψαμμώδης, arenosa. Quanquam hæc duo κεφάλαια, magis pertinent ad ψόγον, uituperationem alicuius regionis. In declamationibus tamen refutando possunt laudes extenuari; cum utimur comparatione: qua ostendimus, non totam regionem esse ὀρεινήν, montanam, atq; syluestrem, neq; totam esse sabulosam: sed maiorem partem esse campestrem, & ἔνυδρον, fluminibus, & aquis irriguam. Deinde consideratur etiam, utrū sit λιπαρά, opima, pinguis, & ferax regio: unde magnā commendationem, & laudem consequitur; an uerò contrà, sit ἄφορος, sterilis, & infœcunda, quod sanè in contemptum, non solum in uituperationem adducit talem regionem. Solent etiam scriptores χωρογράφοι magnis laudibus uehere regiones, quæ sunt πολυφόροι, multarū rerum humano usui aptarum feraces. Ergo laudantur magis πάμφοροι, omnium rerum feraces. (Non enim omnis terra est οἰνοφόρος, ut producat uinum.) quam πολυφόροι. Omnes tamen huiusmodi regiones λιπαραὶ, feraces, dicuntur generali uerbo εὔφοροι, fertiles. Nam etsi quædam regio sit ἄφορος, sterilis, & infœcunda: si diligens tamen adhibeatur cultura; licet δύσφορος uideatur, difficulter fertilis: tamen producet etiam in sabulosis locis, & saxosis, fructus quosdam humanæ uitæ necessarios.

Ex his, quæ diximus, Cosmographi descriptiones

Poetarum, et Oratorum τοποθεσίαι, et τοπογραφίαι.

sumunt locorum: unde Poetarum laudationes, & oratorum exornationes facilimè possunt dijudicari. Multũ etiam hic proderit ad exornandum, & amplificandum ἐξέτασις συγκριτική. Comparando enim regionis alicuius laudationem ampliorem reddimus; ut, si quis Thuringiam uelit cum Haßia componere, utranq; regionẽ his rationibus laudabit; sed Thuringiæ laudes uidentur posse crescere, comparatione uicinæ prouinciæ Haßiæ.

Κεφάλαια τελικά, apud Menandrum.

Sed enim κεφάλαια τελικά, quæ ponit Menander, non debent omitti. Sic enim scribit: ἐπαινεῖν τὰς χώρας δεῖ, ἢ πρὸς ἡδονὴν, ἢ πρὸς ὠφέλειαν. Nam omnia superiora, unde laudem regionum petimus, ad hos duos fines sunt accommodanda: ad uoluptatem, & ad utilitatem auditorum. Consumitur autem integra laus alicuius regionis in has partes: principium, narrationem, refutationem, & epilogum. In narrationem, quæ est ἐπιδεικτική, omnes isti loci incurrunt: qui sunt enumerati.

Atq; hæc de regionum laudatione: quæ apud Græcos, & nostros recentiores scriptores potui inuenire.

Τοπογραφία ἐναργής.

Sed in descriptione alicuius loci, sequemur Cebetis tabulam (ad quam haud dubiè Roterodamus noster respexit) ut hominem, cum quo colloquimur, tanquam manu in eum locum ducamus. Id quod fiet, si quasi procul intuenti, subijciemus illius cogitationi, totam istius loci faciem: φαντασία, & formam istius loci, ὑποτυπώσει. Ergo γραφικῶς etiam situm, quem Menander θέσιν nominat, quasi depingentes describemus: num in edito an humili, an decliui? Item, in plano ne, aut in monte, nemoroso, an

Sit σύφαντα σίωτος.

aprico?

aprico? Deniq; quo flumine alluatur, aut diuidatur: quo lacu, aut mari, uel alluatur, uel etiam cingatur? Postremò quantum contineat passuum, uel miliarium, non in ambitu solum: uerum etiam in latum atq; longum? His enim ferè rebus omnis χωρογραφία continetur. Vt autem rem in pauca conferamus: in regionum descriptione, & laudatione diligenter, & accuratè describi debent cœli, quas plagas nominant. Vnde ἡ θέσις, positus earum multò maxima ex parte cognoscitur: quem nimirum prospectum habeat, quos montes, quas syluas, & nemora, quos agros, & campos, quæ oppida, et arces, & pagos, & prædia circumiacentia habeat in unamquamq; partem: siue ad ortum prospiciat quispiam, siue ad Occasum, siue ad Septentrionem, siue etiam ad Meridiem: & ut semel dicamus, ad omnium uentorum afflatum. Itaq; etiam hic spectari solet, quo quæ regio illustretur sole, quibus item uentis trudatur: cui cœli portioni, aut climati ista terra subiaceat; eamq; ob causam qualitas etiã cœli non præteribitur. Nam si cœlum salubre habet, laudari satis non poterit regio; quemadmodum, si pestilens, uituperari plurimum consueuit. Atq; hæc est remotior, quasi ἔκφρασις, descriptio. Solent tamen optimi scriptores, tanquam propius accedentes, et altera uelut manu ducentes, singula loca illius regionis ἀκριβέστερον, accuratius demonstrare: & ut quidq; appropinquantibus sese offert, ita etiam illud ipsum diligenter explicare, & tanquam ante oculos constituere.

DE RATIONE LAUDANdi urbes.

CAPUT. VIII.

MEnander huic ſuperiori rationi ſubijcit ἐπιδεικτικοῦ generis aliud argumentum; ſed quod cum illo ſuperiore plurima habet communia; nimirum, πῶς χρὴ πόλεις ἐπαινεῖν, ἢ ἐγκωμιάζειν: Etſi uerò pulcherrima apud illum extat doctrina de huius generis tractatione: quæ non tantum in epiſtolas cadit aliqua ex parte; ſed etiam, & quidem propriè, uidetur incidere in declamatorium ſcriptionis, & actionis genus; tamen nos hîc, prætermiſsis ijs, quæ Græcus ille Rhetor copioſè perſequitur, generalia quaſi capita, & locos præcipuos huius laudationis enumerando perſtringemus; ut uniuerſam materiam ſententiarum, & argumentorum inuentionis, tanquam in breui tabula, habeamus expoſitam: et ut intelligamus, quid commune habeat iſta exornandi ratio, cum illa ſuperiore; quid proprium, atq; peculiare. Hi autem loci omnes ducuntur ex adiunctis, & cauſis, & effectibus. Primum igitur, ut regio, ſic urbs deſcribitur, & laudatur ab antiquitate, & ſua prima origine: & propterea etiam à conditore. Ergo adiunctorum iſte locus eſt, & cauſarum efficientium. Alter locus ad θέσιν, id eſt, ſitum pertinet: & ad πλάτος, amplitudinem, & μῆκος, longitudinem; an in planicie, aut monte, aut ad montis radicem, an in mari,

aut

aut lacu,uel ad lacum,aut mare ſita urbs ſit? Hanc ſequitur σχῆμα,figura. Ideóq; etiam locus partium hîc nõ debet præterire. Sunt enim quædam urbes in duas diuiſæ, interlabente flumine: quædam in partes, ſeu urbes tres, aut quinq;: & his ſolent etiam ſuburbia quædam adhærere. Sequuntur aliæ περιστάσεις,et attributiones: ut ſunt uiri illuſtres, & rebus geſtis clari: ut,reges,duces,conſules,prætores,ſenatores,legislatores. Sed à Reipubl. forma, & ipſa gubernatione laus, aut uituperatio petitur. A ſenatu, & uniuerſo magiſtratu, & diſciplina ciuium, conſtat urbium laudem etiam creſcere: præcipuè uerò à religionis ueræ & puræ ſtudio,atq; cultu: ideóq; ab Eccleſijs rectè inſtitutis: ut hîc nihil dicam, de ſchola: in quo utroq; ordine uidendum eſt, quæ lumina floruerint & adhuc luceant, id eſt, literatiſſimi quique uiri: quæ uera ſunt ornamenta, quibus inclareſcunt urbes, & ob quæ celebrantur reſpublicæ. Huc etiam potentia referri debet: quàm latè, & longè ſcilicet hæc uel illa urbs imperet. Ergo ſequitur laus à ciuibus, & incolis: ut à ciuium frequentia, & eorundem bellica uirtute, à fœderibus, & bellis, & uictorijs, earumq; monumentis: deq; eiuſdem etiam populi ciuilitate, & reliquis uirtutibus: pacis etiã ſtudio: ab artificijs, uarietate mercium, & negociatione. Bene moratæ ciuitates. Sequuntur loci, & ædificia. Loci, ut forum, plateæ, & uici: in quibus commendatur præcipuè amplitudo. Quantum ad ædificia attinet priuatorum ciuium, magnificæ ſæpè ſunt ædes: in publicis autem non rarò inſanæ ſubſtructiones, & moles: ut altiſſimæ turres. Refer huc tem-

pla augusta, & religiosa, delubra, & fana diuino cultui dicata, & consecrata: item curiam, et uicinas domus publicas. Huius ordinis etiam collegia sunt: item tribus ciuium. Eodem referri debent portæ amplißimæ, & magnificentißimæ, cum suis propugnaculis: muri etiam, et fossæ interiores & exteriores, aggeres & ualla: pontes etiam non debent præteriri. Quicquid præterea à ciuibus est memorabile gestum, utroq; tempore belli, & pacis, id diligenter commemorandum est, propter exempla. Prætercieram ferè syluas, montes, fontes, puteos, lacus, mare, stagna, flumina piscosa, & nauigabilia, agros præterea, & uineas intra urbem: uillas, castella, arces, monasteria, extra urbem, & prædia, & hortos, partim intra, partim extra pomeria oppidi: & propteria etiam ferè prætercieram aeris salubritatem, & cœli clementiã, & urbis amœnitatem, propter situm, & prospectũ. Denique ubertatem soli, & totius circumiacentis regionis fertilitatem. Postremò non solum mercium, uerum etiam fructuum copiam & uarietatem, importationem, & exportationem.

DE ALICVIVS AEDIFICII, AVT domus, aut etiam uillæ, seu prædij laudatione.

CAPVT IX.

INcidit quoq; in epistolas non rarò istarum rerum laudatio: etsi non perfecta omnibus suis partibus, atq; mẽbris:

bris: aliqua tamen ex parte, uel pluribus inseritur nonnunquam eiusmodi ἐπίδειξις: imò humiles casæ, et tuguria pastorum sæpè suauiter describuntur breui notatione, sed illustri. Sed magnificas ædes, domosq; splendidas solemus ab his locis, qui insequuntur, plerunq; laudare. Exordimur autem rectè, à primo ingressu, atq; aditu, & tanquam uestibulo, ipsoq; limine. Sed huic adiungimus continenter amplitudinem, & altitudinem. Deinde quasi ingreßi istud ædificium, forma exteriore descripta, etiam interiorem speciem delineamus. Ergo quicquid de figura, ac forma præcipiunt Rhetores, huc est accommodandum. Laudem præterea ab Architecto petere solent Rhetores: sed non minor sumitur laus à materia, à preciosis lignis, lapidibus, ut marmore, & similibus rebus. Iam ueluti in penetralibus ædium inambulantes, spectatores agimus: & describimus atrium, aream, impluuiū, interiora conclauia, cœnaculum, triclinium, cubicula, & contiguas structuras, ut nihil dicamus de culina, de Musæo, balneo, fonte, cellis diuersis, granarijs, & stabulis; ut totum quasi ædificium lustremus, nulla parte prætermissa. Atque hæc de partibus ædium, & reliquis attributionibus. Sed τὴν θέσιν, situm nequaquam debemus præterire silentio; utrum sit insula, an in medio foro posita? an eam flumen aliquod tangat? quem prospectum habeat, & cœli plagam? hoc est, utrum spectet uersus Septentrionem, an aduersus ortum, præcipua ædium pars, quæ potißimum inhabitatur: & utrum sint in conspectu, templa, forum, theatrum, campi, prata,

Laus ædium.

flumina,

Hortorũ, τῶν κήπων, laus. flumina, horti, stagna, syluæ, nemora, montes, pagi, oppida, arces? Ergo & horti quomodo laudentur, ex his facile potest intelligi, scilicet ab amplitudine, & situ: ut scilicet aerem habeant saluberrimum, ut uentis expositi sint, & sole diutißimo illustrentur propter maturitatem frugum. Hortus etiam commendatur ab ijs, quibus ipse consitus est: ut sunt uites, arbores diuersi generis, ut puluini, in quibus uariæ herbæ, stirpesq́;, & diuersi fructus nascuntur; ut deinde sunt fontes, putei, flumina alluẽtia hortum, & similia. Ex quibus perspicuum est, quomodo uinea, aut etiam uilla laudari debeat. Quemadmodum ex urbis alicuius laudatione quiuis intelligit: quomodo castellum, & oppidulum, & pagus celebrior, arx etiam in plano, uel etiam ædito loco, debeat exornari. Prædium etiam quo pacto laudari conueniat, nunc ignorari non potest. Omne enim prædium, est ædificium extra urbem positum: non solum habitationis, sed etiã uoluptatis causa extructum: cum adiunctis hortis, pratis, uineis, & rebus similibus. Deniq; hæc tota ratio κατα γραφική, ex adiunctorum loco petenda est, hoc est, ex singulorum (ut Græci loquuntur) circumstantijs. Certè in hortis laudandis, & prædijs describendis, non solum amœnitas est cõmendanda: sed ostendendum etiam, quid, & quantum ferant: idq́; non solum propter loci situm: uerum etiã propter cultum. Et ista διασκευὴ, suffiguratio crescit: quando ueluti ante oculos ponimus, cum arborum, tum etiam herbarum, & stirpium diuersa genera, & pulchritudinem. Sæpè etiam agri alicuius incidit descriptio, uel laudatio.

Prædij laus.

Agri laus.

datio. Sed habet iſta multa communia cum ſuperioribus. Etenim poſtquam oſtendimus, ubi ſitus ager ſit: ſtatim de eius non tantum amplitudine, ſed etiam feracitate, & ubertate, ſolemus eum commēdare: cum oſtendimus quid & quantum ferat. Deinde quomodo colatur ſolemus etiam explicare: & à cultoribus, uel agricolis eum deſcribere. Interdum facimus etiam digreßionem: præſertim in declamationibus: quibus laudamus amœnitatem ruris: & quaſi innumerabilia huius commoda, dum amplificamus utilitates, & uoluptates, à generibus non ſolum arborum diuerſarum: ſed herbarum etiam, & ſimilium plantarum. Quæ laus excreſcit cum oſtendimus, quod non ſolum uinum proferat ager, præter legumina, & olera, & radices multiplices: uerum etiam cum aliud augemus comparatione, cuiuſmodi arbores, uel legumina, uel olera, uel rapunculos, aut rapas, raphanos, pepones, & melones, producat maximo cum fœnore; deniq; cuiuſmodi uinum, quod etiam Falerno, & Cretico, aut Rhetico, aut Alſatico poßit comparari, proferat.

RATIO LAVDANDI MONTES.

CAPVT X.

SI montem deſcribimus, eum tanquam conſcenſuri, à radice, & pede, ad acumen uſq; omnia perluſtrātes deſcribimus, ueluti demonſtrando. Ibi igitur cōſideramus ad quam plagam ſitus ſit: utrùm decliuis ſit, aut præruptus; petroſus, an campeſtris: utrùm pinifer,

fer, an uinifer: utrùm in radicibus montis aliqua pulcherrima urbs sita sit, aut pagus, aut arx, aut prædium peramœnum? & in medio montis, utrùm sint prædia aliqua, aut domus, atque ædificia apta ad quietem, & respirationem; aut etiam diuersorium aliquod, à quo ad cacumen usque poßit commodè iter fieri, uel pedibus, uel etiam equo, uel curru? & utrum facilis ascensus, & descensus, nulla cum molestia, aut defatigatione cõiunctus? quis deniq; prospectus, præsertim in ipso cacumine, & summitate? quas urbes, quas arces, quos pagos, procul aliquis spectare poßit? utrum cœnobia quædam sint in summitate, aut speculæ ad excubias faciendas aptæ, aut arces, aut stagna, aut prata, et pascua, aut nemora, ac syluæ ceduæ: aut uenationi aptæ? & num iste mons quid habeat, quod sit memorabile, nouum, & inauditũ, & propterea etiam quasi prodigiosum?

QVOMODO FLVMEN, AVT *lacus sit laudandus?*

Flumina laudamus ab amplitudine, latitudine, et profunditate: si nimirum sint nauigabilia, itaque laudari solent à cursu. Quædam enim rapida sunt, & sonora: quædam leniter fluunt, & tamen cursu sunt satis concitato. Sed ortus fluminum non debet præteriri: quin imò ab eo exordium faciendum est: ut sciamus ex quo fonte scaturiat, quibus aquis, aut torrentibus, aut fluuijs, in illud influentibus, augeatur. Hæc laus non est exigua. Iam à colore etiam describi solent flumina celebriora: ut Rhenus,

nus,aut Danubius. Inde à fluxu crescit laus fluminum: quando ostendimus: quæ præterfluant oppida, quas urbes, quos pagos, quas arces? quot pontibus sternatur? Is non solum à locis, quæ præterfluit flumen, & à cæteris fluuijs, quibus augetur, solet laus peti: uerùm etiam ab agris, montibus, & nemoribus, atque syluis, quas solet præterire, & irrigare. Crescit item laus fluminis, cum ostendimus quos sinus faciat, quos anfractus, & gyros: item quot, & quas insulas efficiat. Laudant tamen homines istos fluuios præcipuè, qui sunt piscosi. hîc quod piscium genus, quæ piscandi ratio, quæ ratium, & nauigiorum forma sit quoque ostenditur: item per quos omnis generis, quæ ad uictum, & reliquas res necessarias, pertinent, importantur, uel exportantur. Postremò demonstratur, in quod mare, se exoneret: idque quot ostijs fiat non præteritur.

DE LAVDATIONE RERVM, FActorum, & animantium.

CAPVT XI.

SAEpenumerò igitur, hæc, & similia in epistolis, si non pertractantur, tamen breuiter tractantur, uel aliquando attinguntur. In hoc epistolarum genus interdum, uel rei alicuius laudatio, aut facti exornatio, aut dicti celebris amplificatio, aut animantis alicuius descriptio incidit. Res nominamus, uerbi gratia, ut, uirtutē: qualis est Temperātia, Iusticia, Fortitudo, Prudētia,

Sapien-

Sapientia, & propterea etiam Philosophia, omnesq; eius artes, atque scientiæ. Ac nostri seculi ingenio, & doctrina præstantiss. uiri, ea etiam laudare non dubitarunt (quanquam declamatorio more) quæ uulgò, & odio haberi, & contemni, & uituperari solēt. Erasmus μωρίαν, seu stulticiam, Phauorinus quartanam febrem laudauit. Ad res itaq; ἐπιδείξεις, exornationes quoq; pertinent artium omnium, & disciplinarum, doctrinæ de uita, ac moribus, & de naturæ obscuritate. Huc etiam Græci referunt τὰ φυτά; ut, si quis uitem laudet, uel oleam, uel etiā quercum Marianam, aut platanum umbriferam: quarū tamen laus in epistolis solet uerbis breuibus attingi. Minimè tamen laudandorum animantium descriptio negligenda est. Sæpè enim, ut Græci loquuntur, κοινῇ, laus e qui instituitur, in declamationibus: sæpè etiam obiter attingitur, ut in epistolis Quidam etiam Bucephalum equum Alexandri laudare uolunt. Quæ exornatio ἰδίᾳ singulatim solet fieri; propterea quòd est indiuidui. Sed contemptissima, & abiectissima animalcula, sæpenumerò, exercitationis studio suscepto uehuntur magnis laudibus. Itaq; fuerunt, qui muscam laudare non dubitauerunt; adeò, ut indè ortum sit prouerbium: Ex musca elephantum facere. Nec iccirco reprehenduntur Rhetores Certè omnes docti fatentur, sæpè posse laudari huiusmodi ἔντομα, insecta: in quorū numero apes facile principem locum obtinent; ut non postremum, inter reptilia, formicæ. Solent enim apes, ut in poematis, sic in declamationibus, non solum describi, κατὰ τὴν κατασκευὴν,

κλὴν, nimirum à forma, paruitate, & multitudine: uerum etiam eximiè laudari, idq́; à duobus locis potiſsimum. Quorum unus eſt τῆς ἐξοχῆς, præſtantiæ; alter eſt τῆς χρήσεως, commoditatis. Magna enim apum laus petitur ab earum, ſi cum alijs inſectis comparentur, præſtantia. Propterea quod in ipſis quædam uidentur, quaſi diuinitùs impreſſæ imagines, & pulcherrima uirtutum exempla: ut, prudentiæ, præſertim domeſticæ, ac ciuilis, temperantiæ, caſtimoniæ, fortitudinis, induſtriæ, ſedulitatis, τῆς φιλοδωρίας, frugalitatis, & obſequentiæ; in rege uerò clementiæ: qui nullum aculeum habet. Alter locus eſt utilitatis. nam etiam rei ruſticæ peritis eſt omnibus cognitum: quantas commoditates hoc inſecti genus adferat mortalibus. Etenim nobis gignit non ceram tantum: qua carere, nedum Imperatores, & Reges poſſunt: uerum etiam dulciſsimum mel; quod & medicinam, & potum præbet hominibus longè gratiſsimum. Vnde maxima exiſtit laus apum, ex opere ab ipſis effecto.

FACTORVM, VEL RERVM gestarum laus, τῶν καλῶς πεπραγμένων ἐπίδειξις.

CAPVT. XII.

ARtifices laudationes rerum geſtarum iiſdem ferè locis, & tanquam terminis circumſcribunt: quibus rerum demonſtrationem includunt. Quemadmodum enim Theon Sophiſta ſapientiam lau-

dat ab honestate, & utilitate, & similibus locis: sic res gestæ, & præclara facinora fortium uirorum, suos habent certos locos, ex quibus eorum laus crescit. Sunt autem præcipui, τὸ καλὸν, honestum; τὸ ἀναγκαῖον, necessarium; τὸ χρήσιμον, utile; τὸ ἡδὺ, iucundum; τὸ δυνατὸν, poßibile; τὸ ῥᾴδιον, facile; τὸ ἀσφαλὲς, tutum. Addunt his alia κεφάλαια: ut sunt, τὸ παλαιὸν, antiquitas: τὸ σπάνιον, raritas: deniq; τὰ προσκείμενα, quæ adiuncta sunt rebus gestis. Postremò μαρτυρίαν παλαιῶν, testimonium ueterum, & παραδείγματα, exempla, solent adiungere. Restat breuis præceptio, uel potius animaduersio: quæ est dictorum, τῶν λεχθέντων, uel τῶν λόγων: cuiusmodi sunt in epistolis non infrequentes, αἱ χρεῖαι, id est, scitè dicta, quæ celebrantur apud scriptores nobilium uirorum: cuiusmodi etiam sunt ἀποφθέγματα, magni nominis uirorum, nobilitata dicta: & alia huiusce generis sententiarum genera: ut ἀκροάματα, & quicquid ab aliquo non tantum scitè, & eruditè: uerum etiam prudenter, fortiter, clementer dictum est. Nam huiusmodi uocem tanquam oraculi, ne dum testimonij solemus citare in epistolis. Sæpè etiam exordimur epistolam ab eiusmodi à magno uiro præclarè dicto. Si autem copiosius tractatur, pleruncq; suum de illa pronunciata sententia, Cicero adducit iudicum: quod uel anteponitur dicto, & πρόκρισις nominatur à Græcis: quasi præiudicatio; uel postponitur: & ab Hermog. appellatur ἐπίκρισις, quasi adiudicatio: cum uerò interponitur, appellari Græcè potest ἐπέγκρισις: quasi interiectum

scriptoris

ſcriptoris iudicium. Omnia tamen ad unum caput referuntur commune, quod Aphthonius nobilis ille Sophiſta ἐγκωμιαστικὸν nominat: cui etiam τὸ τῆς αἰτίας, rationem ſubijcit.

DE ALIIS QVIBVSDAM epiſtolarum generibus uituperationi ſubiectis.

CAPVT. XIII.

HActenus de laudandi ratione, ſequuntur apud Græcos nonnullæ epiſtolarum formæ, quas ad ψεκτικὸν τύπον, de quo ſuprà eſt explicatũ, nõ incõmodè referimus. Hoc de numero ſunt apud Græcos: ἐπιστολὴ παραλογιστικὴ, σκωπτικὴ, & ὑβριστική.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΑΡΑΛΟΓΙΣΤΙΚΗ.

Quam Græci nominant παραλογιστικὴν; eam Latini à contemptu, deſpicientem poſſunt appellare. Extat autẽ apud Græcos hæc eius definitio: παραλογιστική ἐστι, δι' ἧς ὑπερφρονοῦμέν τινος εὐτελοῦς. In hac enim contemnimus hominẽ conſtitutũ in uili quodã, et tenui uitæ conditione. Itaq; cognominari etiam poteſt ὑπερφρονητική. Græci, ut ſunt homines acutiſsimi, obſeruarunt προκαταρκτικὸν αἴτιον, obiectum, uel cauſam impellentem, et mouentem aliquem, ad hoc genus epiſtolarum exornandum. Etenim εὐτέλεια, ἢ τὸ εὐτελές, hoc eſt, non tantum ſimplicitas hominis alicuius: uerum etiam eiuſdem

humilis uitæ ſtatus, digna illius moribus, atq; uita, in cauſa eſt, quamobrem ſoleamus talem παραλογίζεσθαι, καὶ ὑπερφρονεῖν. Huius exemplum iſtud proponunt; εἰ καὶ μέγας τις ἦσθα, καὶ τῆς ἐπὶ δυνάμει βοωμένων εἷς, ἐν οὐδενὶ σε μέτρῳ τὸ παράπαν ἐπιπτήξαιμι. πολὺ δέ γε * ἧττον νῦν προσποιοῦμαι, διὰ τὴν καθένοιάν σου. οὐδὲν γὰρ μὲ λυπεῖς, οὐδὲ κατ' ἀρετὴν τοῦτο; τοῦ μὴ θέλειν ἀδικεῖν, ἀλλὰ τῷ δυναμένως ἀπορεῖν. Sententia huius epiſtolij eſt; Quanquam antehac magni nominis uir extiteris; et ex eorum etiam numero fueris: qui, propter potentiam celebres fuerunt: tamen nulla omninò oratione efficies, ut te pertimeſcam. Hactenus conceßio, continens nonnulla φοβερὰ, quæ metum incutere ſcribenti poſſent. Sed his continenter adiecit τὸ θαῤῥαλέον, id quod fiduciam eiuſdem adfert animo. Oſtendit enim fieri nullo modo poſſe: ut poſthac ipſum metuendum putet. Grammatici talem contemptionem nominant σαρκασμὸν, quaſi hoſtilem irriſionem: qualis παραλογισμὸς, inſultatio eſt Neoptolemi ad Priamum: I morere, &c. Aen. 2. Deinceps ſubijcit ex comparatorum loco, ſcilicet à maiore, ad minus, argumentum. Ante hac te metui, cum eſſes cū poteſtate: & propterea etiam adulari tibi interdum uidebar. Nunc uerò ne pili quidem te facerem, multò minus, ut tibi adulari uelim; non ſolum, quia priuatus es, nullaq; cum poteſtate: uerum etiam, quoniam eſt ſumma tua confidentia, & animi elatio. Hæc certè cauſa eſt contemptionis, imò etiam odij magna cauſa eſt. Subijcit αἰτιολογίαν, pulcherrimam rationem. Nihil enim me offendis,

* Al. μᾶλλον σε νῦν οὐ προσποιοῦμαι, διὰ τὴν ὑπόνοιάν σου.

fendis, neq; etiam potes me tristicia afficere: cum nulla sis praeditus uirtute: & quia tibi omnis est potestas erepta persequendi eos, quos tu odisti.

ΣΚΩΠΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Huic epistolae contemnentis alterum, & quasi alterum de alto despicientis, affinis illa est: quam nominant σκωπτικὴν, irridentem alterum: sed non absq; ioco, & salibus, & dicacitate. Ad hunc autem modum eam definiunt: Σκωπτικὴ ἐστι, δι᾽ ἧς σκώπτομέν τινα ἐπί τινι. Est enim haec cauillatrix epistola, qua cum altero salse iocamur: propterea quòd ei illudimus de re quapiam. Finis huius epistolae est contemptio, καταφρόνησις: quemadmodum superioris παραλογιστικῆς ipsa ὑπερφρόνησις. Exemplum Graecorum illud breuissimum, & pulcherrimum est: Κίλικα μέν σε πρὸς ἁπάντων ἀκούω τυγχάνειν τὸ γένος. Ἰνδὸν δὲ σκοπῶν ἐφεύρισκω καθάπερ αὐτὸς ὁ μελάντατος τοῦ σώματος κέκραγε χρῶς. Hoc scholasticum exemplum ostendit epistolam σκωπτικὴν esse ψεκτικὴν, uituperantem. Quanquam habet etiam adiunctã quandam εὐτραπελίαν, quam σκῶμμα uocat. Partes epistolij sunt duae: quarum prima est ἀφήγησις, breuis narratiuncula: quae nititur testimonio generali, rumore, & fama. Audio, inquit, te ortum ducere à Cilicibus, eamq; nationem audio te tibi laudi ducere. Pars altera per ἀντίθεσιν, contentionem, habet σκῶμμα, ironiam satis amarulentam. At uerò cum te penitius intueor, deprehendo, te Indum esse, & propterea Aethiopem, pice

nigriorem. Videtur hæc epistola alterius cuiuspiam literis, in quibus suas decantabat laudes, opposita: propter locos præcipuos: τὸ γένος, ἢ τὸ ἔθνος, gentem & natione. Vtitur autē, post ὑπερφρόνησιν, pulcherrima ἀντεξετάσει, contentione personarum, rumoris etiam & signi contentione. Nam Cilicē, cum Indo, id est, minoris Asiæ Occidentalem hominem, comparat cum Orientali homine maioris Asiæ. Item rumorem (quoniam ἀκούω) cū ἐμπειρίᾳ, id est, experientia comparat. Nam audimus etiam de absente: σκοποῦμεν, intuemur autem præsentem. Inde colligit ualde argutè εἰκαστικῶς, καὶ στοχαστικῶς, coniectura quadam; eum nequaquam esse Cilicem, quemadmodum gloriabatur: sed Indo, & Aethiope nigriorem. Sed illud τὸ σκοπεῖν, intuitus præsentis, est certißimum signum τῆς ἐφευρέσεως. Qui enim coràm aliquem aspicit, is re ipsa comperit, quo colore ille ipse, quem inspexit, sit præditus. Itaq; illum atriorem carbone ueluti notat: & addit translatum uerbum: quod color, quasi missa uoce, proclamet, eum esse pice nigriorem. Apud Ciceronem quoq;, ut de alijs Græcis, & Latinis nihil dicamus, multa exempla σκωπτικὰ reperiuntur, quibus non tàm contemnitur aliquis, quàm salibus & dicacitate quadam mordetur.

Hic niger est: hunc tu Germane caueto.

ΥΒΡΙΣΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Restat postrema, apud Græcos, in genere demonstratiuo, species epistolarum. Eam Græci nominant ὑβρι-

ὑβριστικὴν, propterea quòd cum conuitio, atq; contumelia est coniuncta. Sic autem isti hanc definiunt: ὑβριστικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι' ἧς ὑβρίζομέν τινα, διότι. Hac enim nõ simpliciter aliquem uituperamus, ob aliquod uitium uel animi uel corporis: sed & conuitijs uerberamus, & contumelia afficimus: ut hac quasi nota inusta, & macula probri atq; dedecoris, ipsum afficere uelle uideamur. Istud autem exemplum proponunt: Εἰ καλὸς ἂν ἦσθα: πολλοὺς ἂν εἶχες φίλους, καὶ γνησίους. νῦν δ' ἐπεὶ φαῦλος ἔφυς: εἰκότως οὐδένα κέκτησαι φίλον. ἕκαστος γὰρ τῶν ἐμφρόνων ἀνδρῶν σπουδὴν ποιεῖται τὸ (alij legunt τοῦ) ἄτοπον φεύγειν ἀεί. Cuius loci sensus est: Si honestus esses, bonusq; uir, non solum multos haberes amicos, sed etiam sinceros. Nunc uerò cum à natura, & à teneris, ut Græci loquuntur, unguiculis, ingenio, uita, moribusq; improbus sis: meritò nullus se in tuam amicitiam insinuare, in tuamq; societatem conferre uoluit. Ἕκαστος γὰρ τῶν ἐμφρόνων.) Hactenus propositio, καθ' ὑπόθεσιν, fictione informata. Vbi contraria contrarijs comparantur: Causæ etiam, & affectus contrariarum rerum componuntur. Sequitur sententia γνωμολογική. Nam omnes, inquit, qui prudentia cæteris præstant, ijs semper id studio cumprimis fuit: ut fugerent id, quod in uita, & hominum moribus, atq; actionibus est absurdum, atq; improbum, & propterea ineptum.

VALENTINI ERYTHRAEI DE RATIONE LEGENDI, EXPLICANDI, ET *ſcribendi epiſtolas, Liber Tertius.*

CAPVT. I.



TQVE *hæc hactenus de ijs quoque epiſtolarum formis; quas eruditiſsimi homines ſolent cauſarum generi demonſtratiuo ſubijcere. Sequuntur iam quæ ad iudiciale genus reducuntur. Cæterùm accuſationi attribuuntur hæ formæ;* κατηγορητική, *accuſans:* διαβλητική, *criminans:* ἀντεγκληματική, *recriminans (ad quã referri debet* ἀντικατηγορητική, *mutuam accuſationem continens)* ἐλεγκτική, *conuincens;* ἐπιτιμητική, *reprehendens;* μεμπτική, *quæ obiurgationem continet, & expoſtulationem:* ὀνειδιστική, *exprobrans;* ὀδυρτική, *querula, ſeu indignans;* στηλιτευτική, *inuectiua;* ἀπειλητική, *minas denuncians;* παραγγελτική, *quam Græci etiam nominant,* διαμαρτυρικὴν, *denuncians. His generibus accuſationi ſubiectis, contrariũ eſt, quod* ἀπολογητικὸν *nominant. Propterea quòd continet defenſionem, excuſationem, & purgationem. Cuius formæ tres apud Græcos recenſentur. Eſt enim alia* ἀπαρνητική, *inficialis:*

alia

alia αἰτιολογικὴ, quæ continet defensionem, causarũ demonstratione: alia est ἀξιωματικὴ, quæ à Græcis etiam nominatur μεταμελητικὴ, quasi dicas, deprecãs, & pœnitens. Sed ut superiores accusandi formæ, ita hæ, quæ ad defendendum pertinent, plerunq; mira uarietate, & arte inter se miscentur; id quod in Cicerone diligenter est obseruandum.

DE RATIONE ACCVSANDI per literas.

CAPVT II.

Qvi de epistolis conscribendis præceperunt nostra ætate, hi literas, quibus accusamus alterũ, criminosas appellauerunt, earumq; formã Græci generali uerbo κατηγορητικὸν τύπον nuncupant. Quanquam igitur accusationis, et defensionis paulò ante enumeratæ formæ, iudiciali causarũ generi subiectæ sunt; nulla tamen hoc in loco trademus præcepta forensium controuersiarum. Hæc enim ad epistolarem exercitationem, ante declamandi usum, ex scholis Rhetorum, studiosi rationis dicendi afferre debent: ex Hermogene, Aristotele, & Cicerone, similibusq; scriptoribus. Illud tantum monendi sunt adolescentes, in hoc genere; ut non solum in lectione epistolarum: uerum etiam in earundem imitatione (si quando talis est scribenda) diligenter obseruent negocij statum, argumentorum pondera in confirmando, atq; refellendo; & rationem argu

Criminantis epistolæ partes.

mentandi, id est, tractandi argumenta inuenta: eorumq; dispositionem. Nam partes criminatoriæ epistolæ, ut apud Ciceronem est uidere, quatuor sunt plerunq;. Quanquam autem principium non adfert oratorium, ad iudices directum: sed epistolare, hoc est, breue; tamen initiũ aliquod cõstituit literarum, antequam rem exponat. Sed ista uestibula sunt ferè παθητικά: & propterea facta ἀπὸ τοῦ ἀποῤῥύντου, ex abrupto: qualia exordia sunt hominum perturbatorum, uel dolore, uel ira, uel admiratione: propter rei indignitatem, atq; atrocitatem. Itaque illa σχήματα, & ornamenta præcipuè locum habent in hoc uestibulo: σχετλιασμὸς, querela: & propterea etiam ἐκφώνησις, exclamatio: ἀπορία, dubitatio: propter rei indignitatem, & atrocitatem: ἐρώτησις σφοδρὰ, uehemẽs interrogatio: & similes conformationes. Aditum istum interdum sequitur ἀξίωσις, petitio, facta attentionis causa, uel προκατάστασις ad uestibulum narrationis. Itaq; rei indignæ, atque atrocis continuò solet subsequi διήγησις, expositio: sed ἐγκατάσκευος, probabilis: propter admixtas, & intertextas rationes. Huic admiscentur ἔννοιαι αὐξητικαὶ, sententiæ amplificantes: quæ propriè ad δείνωσιν, & διασκευὴν pertinent. Aliquando idem Orator in epistolis subijcit κατασκευὴν, et ἀνασκευὴν: quibus rem expositam argumentis confirmat, & contraria reprehendit. Denique uel epilogum addit ad calcem epistolæ: uel aliquid conclusionis loco, quod epistolam quasi obsignat: Græci ἐπισφραγισμὸν nominant, quicquid est ἐπιλογικόν. Definiunt autem hanc epistolam

Προοίμια ἀπὸ τοῦ ἀποῤῥύντου

ad

ad istum modum: Κατηγορικὸς (τύπος) ἐστιν ἐν καταιτιάσει τινῶν κείμενος, παρὰ τὸ δέον ἐνηργημένων. Nam finis eius est καταιτίασις, delatio, & querela: causa impellens, nos ad scribendum, προκαταρκτικὸν αἴτιον, est, πᾶν τὸ παρὰ τὸ δέον ἐνηργημένον, hoc est, omne factum iniustum, quicquid est perpetratum contra leges, æquitatem, atq; officium. Cuius exemplum scholasticum illud proponunt; Οὐχ ἡδέως μὲν ἔφερον, ἀκούων τὰ σοῦ λεγόμενα πρὸς τὸν στρατηγόν. ἦν γὰρ τῆς ἀξίας ἀγωγῆς. κακῶς δὲ καὶ σὺ τῷ κατ' ἐμοῦ ταῦτα λέγοντι, αὐτὸν ἐπεχείρησας, ἐπιστάμενος αὐτὸν, καὶ διάβολον, καὶ ψευδολόγον. οἶδα γὰρ ὑπὲρ οὗ γράφω σοι. τὸ καθόλου δὲ φίλον ἔχων, ὃν ᾔδεις ἁπάντων ἐχθρόν. οὐδὲ τοῦτο δοκιμάσεις; διότι καὶ ἄλλον πρός σε κατηγορήσαντα, καὶ πρὸς ἄλλους εἰκὸς ἦν, ὁρεῖν τι παρά σου. μέμφομαι οὖν ἐκείνῳ μὲν, ὅτι ταῦτα πράττει. σοὶ δὲ ὅτι δοκῶν φρονεῖν, οὐκ ἔχεις κρίσιν ὑπὲρ φίλων. Ergo κατηγορίαν, accusationem, & καταιτίασιν, querelam habet istud epistolium. Exordium est παθητικὸν, & breuißimum. Ostendit enim animi sui dolorem. Οὐχ ἡδέως.) Πρότασις, propositio. Audiui me abs te, quod grauiter tuli, apud ducem, nescio quorum, insimulatum esse. Ἦν γάρ.) Κατασκευή. Nam propositioni rationem subijcit, à præstantia ducis, & copiarum, quas nominat ἀξίαν ἀγωγήν. Sequitur κατάστασις, propositio accusationis. Κακῶς δέ.) Sed enim eius ipsius iudicio, inquit, cui te contra me adiunxisti, inconsideratè omninò rei fidem adhibuisti. Propterea quòd per te ipse scire poteras: hominē

istum non maledicum tantùm; sed etiam uanißimum nugatorem esse. Sic utitur ἀντικατηγορίᾳ, recriminatione *aduersarij: & quoniam dixit* ἐπιστάμενος, idcircò prætermittit κατασκευὴν probationem: & idē repetit, quod dixit: οἶδα γὰρ ὑπὸρ οὗ γράφω σοι. Intelligis, quibus de rebus scribam. Negocij *autem illius totius est ueluti caput, te isti homini familiarem esse; cuius impudens os omnibus hominibus meritò debet esse inuisum.* Οὐδὲ τοῦτο.) Commoratur *in eadem sententia* κατακριτικῇ. Sed *horum tu nihil curas,* quòd alij calumnianti, uel apud te, uel *apud alios, à te contradici oportebat.* Μέμφομαι.) Conclusio, eamq; ob causam *uehementer ei irascor: quod istiusmodi* perpetrat. Σοὶ δ'.) Ἀντίθεσις, *qua epistolam quasi obsignat,* μεμπτικῶς, καὶ ὀνειδιστικῶς. *Tu uerò qui flagitas, tibi sapientiæ laudem concedi: non rectè iudicas de amicis.* Permagnus *est usus criminosarum epistolarum in omni uita.* Etenim, *non solum amicos reprehendimus, & obiurgamus, & cum ijs expostulamus; uerumetiam nostram sæpenumerò, aut nostrorum amicorum existimationem contra inimicorum calumnias defendimus.*

Nonnunquam *etiam* ἀντικατηγορίαν, recriminationem *instituimus, aduersus eos, qui nobis, uel nostris amicis crimen aliquod, & calumniam obijcere, atq; intendere non dubitauerunt.* Ergo quando apud Cic. *in accusantē epistolam inciderimus,* ex Rhetoricis *præceptis iam nobis cognitum esse debebit;* diligenter *obseruandum esse controuersiæ statum;* rationem confirmandi, *aut refellendi: sententias item* αὐξητικὰς, quibus *exaggeramus aliquid,*

liquid, & μειωτικὰς, ἢ ἐλαττωτικὰς, quibus in defendendo, crimen obiectum imminuitur. Sed nunc de singulis huic generi subiectis formis, breuiter dicamus.

ΕΛΕΓΚΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

CAPVT III.

AD hanc superiorem proximam tanquam generalem in accusando epistolam, multæ aliæ referuntur formæ, suo tanquam generi subiectæ: quarum facile princeps est, ἡ ἐλεγκτική, coarguens accusatum: eandem διαμαρτυρητικὴν, quasi testimonijs conuincentem, nominant. Definitur autem ad hunc modum: ἐλεγκτικὴ δ' ἐπιστολή ἐστι, δι' ἧς ἐλέγχομέν τινα ἀρνούμενον πρᾶξίν τινα * πραχθεῖσαν, ἢ λόγον λεχθέντα. Ergo epistola alterum coarguens est, qua firmis argumentis, certis indicijs, atq; idoneis testibus probamus, ab eo aliquod facinus improbum admissum esse, aut nefariè aliquid ab eo esse dictum. Græci istud στοχαστικὸν exemplum suis discipulis proposuerunt, exercendi styli gratia: ut illud uerbis, atq; sententijs dilatarent: Οὐ λέληθας τόδε τὸ πρᾶγμα διαπραξάμενος. πολλοὺς γὰρ ἔχεις ἐλέγχους, κἂν ἀρνῇ, καὶ μᾶλλον τοὺς συνίστορας σοι γεγονότας, καὶ τῆς αὐτῆς κεκοινωνηκότας πράξεως. ὅθεν μηδὲ τὴν τιμωρίαν ἔλπιζε διαφεύξεσθαι. Continet igitur exemplum istud ἔλεγχον, & διαμαρτυρίαν: qua reum cõuincit criminis, quod ipse negauerat, estq; ἀπροοίμιαστον. Nullũ enim hîc est exordium, nullam etiam narrationem conti-

Huic contraria est ἀρνητική.

*Al. πραχθεῖσαν αὐτῷ, uel πρᾶξαί τινα πραχ[θέν]τα.

net facti; sed breuißimum totius confirmationis delineationem, quam declamator futurus debebit πλατιύνειν, καὶ μηκιύνειν, orationis amplitudine, atq; copia latè explicare. Ergo incipit à κατασάσει, propositione, quæ tamen non caret argumento. Itaq; est ἐγκατάσκευος, munita ratione: quæ est ἄτεχνος sumpta à proprio testimonio, tanquam conscientia perpetrati facinoris. Οὐ λέληθας.) Non, inquit, te fugit: sed tua conscientia te conuincit, atq; redarguit admißi criminis. Πολλοὺς γάρ.) Sequitur κατασκευή, confirmatio: primum sumpta à domesticis testibus, qui indices nominantur etiam generali uerbo. Καὶ μᾶλλον.) Aliud argumentum coniecturale ex eodem loco ἀτέχνων, testimoniorum. Imò, inquit, conscios habes multos, & affines eiusdem sceleris: qui omnes testes locupletißimi in iudicium adduci possent. Ὅθεν μηδέ.) Tandem concludit comminatione accusatoria, ἐπιπλήξει. Quare non est, quod speres impunitatem.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΔΙΑΒΛΗΤΙΚΗ.

Hactenus exemplum scholasticum, contra defensionem rei factum inficiantis: sequitur, apud Græcos, eiusdem generis alia forma, quam nominant διαβλητικὴν, calumniantem. Sunt, qui infamantem & traducentem appellent. Definitur autem isto pacto; Διαβλητικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς διαβάλλομέν τινα ἐφ᾽ οἷς ἔπραξεν. Hoc enim literarum genere alterum criminamur ob ea, quæ commisit. Differt autem à superiore proxima: propterea

quòd

quòd illa habet δευτερολογίαν, quasi secundam actionem. Nam instituitur contra inficiantem factum: ut secunda & noua accusatio esse uideatur. Hæc autem διαβολὴ uidetur esse πρωτολογία, primæ actionis, ante responsionem, & ἀπολογίαν, defensionem aduersarij. Exemplum istud subijciunt Græci: πολλῶν μοι κακῶν αἴτιος γέγονεν ὁ δεῖνα, φαῦλος ὢν τὸν τρόπον. ὑποδὺς γάρ με καθάπερ φίλος, καὶ πολλὰ καλὰ ὑπ᾽ ἐμοῦ πεπονθὼς, καὶ μὴ δυνηθεὶς τοῖς ἴσοις ἀμείψασθαι διὰ τὸ καλῶν ἀπορεῖν, μεγίστοις περιέβαλε κακοῖς. φύλαττε * οὖν τοῦτον μὴ, καὶ σὺ τῶν ὁμοίων ὑπ᾽ αὐτοῦ πειραθῇς κακῶν. Accusatio est alterius. Itaq; τριτοπρόσωπος, ad tertiam personam est deflexa, non δευτεροπρόσωπος. Non enim secundæ personæ habet accusationem. Πολλῶν μοι) Propositio est ἀόριστος, & scholastica, certis personis explicanda, & dilatanda. Iste, inquit, multorum mihi incommodorum author extitit. Ergo & factum est ἀνώνυμον. Φαῦλος.) Διαβολὴ, criminatio personæ, post κατάστασιν, ab improbis moribus. Propositionem sequitur ratio στοχαστικὴ, non ἄτεχνος, ut illa superior, sed ἔντεχνος, artificialis, sumpta ex loco adiunctorum, id est, ex attributis personæ. Ratiocinatur enim ab ipsius, quem accusat, ingenio atque natura. Ergo argumentum à uita est sumptum, quod autor ad Herennium nominat probabile, & iureconsulti præsumptionem. Qui enim semel malus, semper præsumitur malus. Ὑποδὺς.) Τοῦ ἐπιχειρήματος ἐργασία, rationis confirmatio. Irrepsit enim, in mei noticiam, & insinuauit se mihi. Addit

* Al. φυλάττων γοῦν.

exag-

exaggerationem, à rei indignitate, αὔξησιν ἀπὸ τοῦ ἀνάξιου, & multis, magnisq; beneficijs à me affectus est. Καὶ μὴ δυνηθεὶς.) A contrario euentu exaggerat: pro beneficijs, pessimam gratiam retuli. Ergo accusat hominis ingratum animum, cum quadam exprobratione, ὀνειδισμῷ. Φύλαττε γοῦν.) Concludit νουθετήσει, monitione. Obserua igitur istum, ne similibus te malis afficiat.

ΕΠΙΤΙΜΗΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

CAPVT IIII.

SVperioribus formis est illa propinqua, atq; cognata, quam ἐπιτιμητικὴν, id est, reprehendentem nominant. Græci ad hunc modum illam definiunt: ἐπιτιμητικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς ἐπιτιμῶμέν τινα, ἐφ᾽ οἷς ἀσέμνως πράττει, id est, qua alterum reprehendimus ob factum aliquod inhonestius. Ac illud exemplum breuissimum adferunt: Αἰδέσθητι λοιπὸν, ἐφ᾽ οἷς ἁμαρτάνεις: καὶ παῦσαι πλημμελεῖν, καὶ μὴ μελέτην ἁμαρτημάτων τὸν σὸν βίον ποιοῦ. σοῦ γὰρ ἕνεκεν ἡμᾶς αἰσχυνόμεθα. Propositio exempli habet ἔκπληξιν, territationem: propter indignationem. Pudeat te, inquit, & erubesce tantum non in posterum; propter tua facinora. Καὶ παῦσαι.) Huic propositioni adijcit ὑπόμνησιν, commonitionem: idq; post hac facere desinito: & quoad uiues, peccare caueto. Σοῦ γὰρ.) Subijcit conclusionis loco αἰτιολογίαν, rationem: quæ à propositione non differt; propterea quòd continet ἀγανάκτησιν, indignationem. Nam, inquit, nos

etiam tua causa, erubescimus. Ergo dirigitur hæc epistolarum forma contra ἄσεμνα πράγματα, inhonestè facta: cuiusmodi sunt ἁμαρτήματα, & πλημμελήματα, peccata, & errata omnis generis. Duo ibi motus sunt: unus, indignationis, alter, uerecundiæ. Deterrere enim conamur alterum, à peccando: nominis ipsius dedecore proposito: si agat nefariè: & talium meritò nos pudet. Ex quibus perspicuum est: hoc genus epistolarum habere admixtum genus deliberatiuum, quo dissuademus, ne quid agat improbè: et contrà, suademus: ut redeat in rectam uiam uirtutis. Itaq; mixta est epistola hæc, ex accusatione, in statu coniecturali, & consilio: propter locum honestatis, & turpitudinis. Sunt præterea hoc in exemplo sententiæ Isocraticæ, & omninò ἠθικαὶ moratæ, quarum prima est: Is qui deliquit, debet rubore suffundi in posterum: & ab errato, pudore, & uerecundia absterreri. Altera sententia est: Cessandum esse à peccatis; quæ admissa sunt per imprudentiam, aut errorem. Tertium νόημα est: non esse peccandi introducendam consuetudinem per uitam. Etsi enim aliquis fortè lapsus est; & semel, atq; iterum deliquit (ut homines sumus) tamen uitandæ sunt causæ peccatorum, ipsaq; peccata. Postrema sententia est: Amici erubescunt, & pudore suffunduntur: propter eorum flagitiosam uitam, qui ipsis sunt aliqua neceßitudine coniuncti. Græcorum alter sic definit hoc literarum genus: ἐπιτιμητικὸς (τύπος) ἐστιν, ᾧ ἐφ' ἁμαρτήμασι προγεγονόσι μετ' ἐπιπλήξεως γραφόμενος. Nam propter admissa delicta, scribimus ad alterum epi-

stolam: qua in eum inuehimur, cum graui interminatione, ne deinceps tale quidpiam designet. Idem author subijcit pulcherrimum exemplum : Τῶν ἁμαρτημάτων τὰ μὲν ἑκουσίως γίνεται, τὰ δ' ἀκουσίως. καὶ τὰ μὲν μεγάλα καθέστηκε, τὰ δὲ μικρά. καὶ τὰ μὲν μόνοις βλαβερὰ ἁμαρτάνουσι, τὰ δ' ἑτέροις. Σοὶ δὲ καθάπερ ἐπιτήδευμα ταῦτα συμβέβηκεν ὄντα. καὶ γὰρ σὺ κακῶν μεγάλα καὶ βλαβερὰ διαπέπραξαι. προσήκει μὲν οὖν σε μείζονος ἐπιτυχεῖν ἐπιπλήξεως. εἰ δὴ κατὰ τὸ παρὸν συντετύχηκε, καὶ ἐπὶ ἑτέρων τῶν ἀδικηθέντων. ἀλλ' ἔτι γε δυνατόν ἐστιν, ἰάσεως τυχεῖν, γεγονὼς πλημμέλημα. πρὸς διόρθωσιν γὰρ ἀγαγὼν αὐτὸς αἴτιος γενήσῃ, τοῦ μὴ γεγονέναι, καθάπερ ἐγὼ ὑπέλαβον. *Hoc exemplum partim est* θετικὸν, *infinitæ quæstionis, partim* ὑποθετικὸν, *finitæ. Prior enim pars tota est generalis, &* μεριστική, *constans partitione tripartita, quæ ex libris Ethicis est desumpta. Prima partitio est omnium delictorum. Alia sunt sponte admissa, alia autem contrà, nullo proposito, nullo consilio ; sed uel errore admissa, uel casu, uel etiam necessitate. Altera distinctio delictorum est sumpta à quantitate, quemadmodum superior à modo. Omnia enim crimina, aut atrocia sunt, quæ Aristoteli sunt* ἀδικήματα, *graues iniuriæ : aut sunt leuiora, & non capitalia. De quibus etiam Iustinianus Imperator, in 4. Institut. copiosè disserit. Tertia distinctio est effectus,* τοῦ ἐκβάντος. *Omnes enim facinorosi, aut sibi exitium accersunt, ut authoribus ; aut alijs sunt detrimentosi.* Σοὶ δέ.) *Primam hanc partem, quæ* θετικὴ *fuit, sequitur* ὑποθετική, *continens applicationem*

cationem ſuperiorem ad præſentem cauſam. Habet autem grauem ἐπιτίμησιν, imò aſperam, quam Hermog. uocat τραχεῖαν. Tu uerò, inquit, te uolutaſti in his omnibus facinoribus; ut de induſtria in his uerſari uoluiſſe uidearis. Καὶ γὰρ σὺ.) Hactenus propoſitio accuſatoria, ſequitur κατασκευὴ, confirmatio. Etenim non magna tantum: ſed multa etiam abs te hactenus nefariè ſunt perpetrata. Breuiſsima hæc eſt confirmatio, & ſcholaſtica, id eſt, exemplaris. Sed à declamatore poteſt dilatari, in ſtatu coniecturæ, partiendo, & enumerando, & demonſtrando στοχαστικῶς. Προσήκει μὲν οὖν.) Subijcit breuem concluſionem. eamq; ob cauſam dignus es maiore ἐπιπλήξει, increpatione: ἢ δὴ κατὰ τὸ παρὸν συντετύχηκε, καὶ ἐπὶ ἑτέρων τῶν ἀδικηθέντων. Sub finem (eſt enim mixta epiſtola) utitur mitigatione aſperitatis, quemadmodum ſolet fieri in amicorum obiurgatione. Nam leniore uerbo utitur, & πλημμέλημα, non ἀδίκημα nominat: quod eſt, ut ipſe appellauit, μέγα βλαβερὸν: ſed μικρὸν ἁμάρτημα, quod non alijs: ſed authori tantum noxium eſt.

ΜΕΜΠΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ,

CAPVT. V.

HANC Latini obiurgantem uocant. Habet enim μέμψιν, obiurgationem, cum officium requirimus amicorum, ab ipſis neglectum.

Græci ita describunt: μεμπτικὴ δ' ἐπιστολή ἐστι, δι' ἧς μεμφόμεθά τινα: qua obiurgamus aliquem. Id quod ex ὑποδείγματι Græco facile intelligi potest: οὐ καλῶς ἔδρασας, τοὺς εὖ ποιήσαντας ἀδικήσας. Non fecisti rectè, quòd eos, à quibus maximis beneficijs ornatus es, omni genere iniuriarum es prosecutus. Δέδωκας γὰρ.) Hactenus propositio obiurgationis, subijcit rationem, ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως, ab euentu, & rei indignæ exitu. Ostendit enim rem esse pessimi exempli. Tu enim, inquit, exemplum ingratitudinis præbuisti huius detestandi uitij: qui erga benè meritos futuri sunt, tuo exemplo, contumeliosi, atq; iniuriosi. Δέδωκας γὰρ τοῖς ἄλλοις κακίας χαρακτῆρα, τοὺς εὐεργέτας ὑβρίζειν. Est apud Græcos, qui sic definit obiurgatoriam formam. μεμπτικὸς (τύπος) ἐστὶν, ὁ μὴ νομίζεσθαι ὀφείλειν προσδεχόμενος. Idem Græcus μεμπτικῆς ἐπιστολῆς illud dat exemplum scholasticum, loco argumenti: Εἰ μὴ παραδέδωκέ σοι, καιρὸς μὴ δίπω ὧν σὺ πέπονθας ἐκτίνειν χάριτας, οὐδ' αὐτὸ τοῦ τό γε καλῶς ἔχειν ὑπείληφας, τὸ μνημονεύειν, ὧν ἔπαθες: ἀλλὰ καὶ δυσχερεῖς καθ' ἡμῶν λόγους προέθου. σὲ μὲν οὖν οὐ μέμφομαι, τρόπον ἔχοντα τοιοῦτον: ἑαυτοὺς δὲ, ὅτι σὲ τοιοῦτον ὄντα ἀγνοοῦμεν. Valde elegans exemplum est, cuius principium continet ὀνειδισμὸν exprobrationem. Quoniam tibi, inquit, per occasionem nondum licuit pro beneficijs acceptis referre gratiam, neq; adhuc subit animum tuum recordari acceptorum beneficiorum: sed uerò etiam eò delaberis: ut præterea conuitijs eos uerberare non dubites: qui de te optimè sunt meriti. Hactenus propositio ampli-

plificans animum hominis ingrati, & non intelligentis officium boni uiri. Sequitur conclusio, quæ tamen aliquam habet mitigationem. Cum igitur stulticiæ tuæ id tribuamus, uel imprudentiæ, atq; inscitiæ: tibi certè non succensemus: sed nobis potius irascimur, quòd te his pessimis moribus præditum esse non cognoueramus. Horum generum tractationem in exemplis melioribus, ostendemus in libris paradigmaticis. Itaq; reliqua eadē breuitate perstringamus.

ΟΝΕΙΔΙΣΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Sequitur ea epistolæ forma, quæ habet ὀνειδισμὸν, exprobrationem. A Græcis autem ad istum modum definitur: Ὀνειδιστικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι' ἧς ὀνειδίζομέν τινα, ἐφ' οἷς ἡμῶν πεπονθὼς καλῶς ἀμνημονεῖ, qua exprobamus alicui, quòd parum memor sit beneficiorum à nobis acceptorum. Alter Græcus sic describit hanc formulam: Ὀνειδιστικὸς τύπος ἐστὶ, ὅταν τὸν ἐφ' ἡμῶν προσυβρ-γετηθέντα, ἐφ' οἷς ἔπραξε, μετ' ἐγκλημάτων ὀνειδίζωμεν. Qua omni officiorum genere cumulatos, propter aliquod ingratum facinus, pro iure nostro insectamur, multis alijs, quæ ingratitudinem comitantur, aggregatis criminibus ἐμφατικῶς dixit, μετ' ἐγκλημάτων; propterea quòd ingratitudo ἀχαριστία, non solum comes: uerū etiam dux quasi est, & author plurimorum uitiorum. Qui enim ingrato est animo erga suum εὐεργέτην; is uidetur omnibus reliquis uitijs quasi coopertus. Etenim cum immemor sit acceptorum beneficiorum, obliuio-

nis, & stulticiæ crimen nunquam poterit effugere. Iniusticiæ etiam est, non reddere officiũ pro officio. Quod si officio respondere non potest, cur non respondet facta grati animi significatione? gratiarum actione, uel corã habita, uel per literas testata? Deinde fortitudini etiam aduersatur hoc detestandũ crimen ingratitudinis. Eenim ignaui hominis & inertis est: non tantum suscipere laboris: ut uel coràm bene merito gratias agat: si referre non poßit, uel absens ad absentem per literas præstet. Quibus non solùm ostendat, se agnoscere, & prædicare illius erga se multa, magnaq; beneficia, quod iusticiæ, & pietatis est: uerum etiam se perpetuò immortales gratias habiturum promittat, quod est liberalitatis. Apud Græcos extant duo exempla, ut breuißima, sic doctißima, quorum illud primum est: Πολλὰ, καὶ καλὰ πέπονθας ὑφ᾽ ἡμῶν; καὶ θαυμάζω καθ᾽ ὑπερβολὴν, πῶς οὐδενὸς τούτων μνήμην ποιεῖς; ἀλλὰ κακὰ λέγεις. ὅπερ ἐστὶν ἀχαρίστου γνώμης. οἱ γὰρ ἀχάριστοι τῶν καλῶν ἀμνημονοῦσι, καὶ τοὺς εὐεργέτας ὡς ἐχθροὺς κακῶς ἐπὶ τούτοις διατίθενται. Ex quo argumento, intelligi potest: non solum cuiusmodi sint huius epistolæ sententiæ, nimirum ὀνειδιστικαὶ, exprobrantes alteri beneficium acceptum: uerum etiam ipsa definitio ex natura relatiuorum facile potest animaduerti. Scribitur enim ad eum, qui à Græcis dicitur καλῶς πεπονθὼς ἡμῶν, multis, & magnis à nobis affectus beneficijs. Sed in eadem epistola notatur ipsius ingrati hominis improbum ingenium. Etenim improbi est, ἀμνημονεῖν, obliuisci acceptorum beneficiorum,

& horum obliterare, & abijcere memoriam, quæ debet esse immortalis. Itaq; fundamentum, ut Dialectici loquuntur, huius exprobrationis, per literas factæ, est ille ipse homo ingratus, multis, magnisq; à nobis affectus beneficijs. Terminus est, ut quoniam est ἀμνημονῶν, oblitus istorum acceptorum beneficiorum: ut exprobratione uehementi, & acri, refricemus ei memoriam meritorum nostrorum; ut ea posthac agnoscat, & gratus pro ijs esse uelit, recordando, gratias agendo, aut uerbis, aut literis, aut reipsa, & facto. Cæterùm exemplum istud, quanquam breue est, ut sunt scholastica ὑποδείγματα, oratione uberiore dilatanda; est tamen ualde τεχνικὸν, & artificiosum, in ista succincta breuitate. Πολλὰ, καὶ καλά.) Propositio loco exordij, & narrationis est posita: Multis, & præclaris à nobis es affectus beneficijs. Hæc propositio est breuiter, ut in scholis fit, exposita: quæ dilatari atq; extendi tamen potest, non solum qualitate, id est, genere beneficiorum acceptorum: uerum etiam magnitudine, atq; multitudine. Produci quoq; hæc propositio potest, & amplificari narratione: qua signatis uerbis commemorantur nonnulla in ipsum merita. Καὶ θαυμάζω.) Sequitur post illam propositionem dilatationi aptam, ἡ κατάστασις, ipsa propositio exprobrans præstita ingrato homini beneficia. Sed hæ propositiones huius generis epistolarum plerunq; habent θαύμασιν, admirationem. Itaque sic scribit: Ac mirari satis non possum, qua ratione fiat: ut ex multis, atq; præclaris meis meri-

tis, nullius planè tibi ueniat in mentem. Non autem solũ hæc in obliuionem tibi uenerunt: uerum etiam, quod indignißimum est, pro benefactis maledicta reponis. Ὁπόσ.) Sequitur tanquam ἐπιφώνημα, acclamatio post rei indignæ expositionem. Quod sanè est certißimum ingratæ mentis argumentum. Οἱ γὰρ ἀχάριστοι.) Iam subijcit αἰτιολογίαν, grauißimam rationem ex loco adiunctorum, hoc est, à uitiosa natura, & improbis moribus hominum ingratorum. Etenim, inquit, homines ingrati non solum omnis honestatis, omnisq; officij obliuiscuntur; uerum etiam benè meritos de se, tanquam hostes, insectari non dubitant. Alterum exemplum istud est: Ἔδει σε τὸ, γνῶθι σαυτὸν, μαθόντα, τότε καὶ ἑτέροις προσφέρεσθαι δυσκόλως. νῦν γε μὴν ὑφ' ἡμῶν τρεφόμενος, καὶ δι' ἡμᾶς ἔχων τὸ πνεῦμα; μεῖζον φρονεῖς τοῦ δέοντος. ἡμεῖς δὲ τούτου αἴτιοι. σὲ γὰρ ἔδει μὴ τυχεῖν ἐλευθέρου σχήματος. καὶ εἴπερ δὲ νῦν ἐλεύθερος γέγονας, ὅμως ἔχεις σχῆμα δουλοπρεπές. λέγε δὲ κακῶς, ἐπεὶ καλῶς λέγειν οὐκ ἔμαθες. Artificiosum exemplum est. Incipit enim à trito, atq; peruulgato prouerbio: & quasi χρεία, Apollinis: ac statim initio, eum uno uerbo reprehendit, exprobrando: propterea quòd in eo præcipuum desiderat officium. Ergo, inquit, ἔδει, oportebat. Quod uerbum Cicero scribit esse, τοῦ δέοντος, officij. Omnium enim est, in se descendere: & se suo quasi pede metiri, antequam uideant, quid in alterius mantica sit. Ergo incipit σφοδρῶς, grauiter, & uehementer. Debebas, inquit, prius Apollinis illud tritũ omnibus: sed præclarum dictum cognouisse: quàm cæte-

ros præ te contemnere, & quasi de alto despicere. Νῦν δ'.) Sequitur post hanc reprehensionem, ὀνειδισμὸς, ipsa exprobratio, eaq; bipartita. Nunc uerò scis, te non solum à nobis liberaliter esse nutritum, & educatum; uerum etiam hanc, quam accepisti à Deo lucem, atq; animam, totam te nobis debere. Addit continenter aliam ἐπιτίμησιν, reprehensionem, quod plus æquo sapiat: quod est confidentiæ, & superbiæ: & propterea etiam extremæ stulticiæ. Altera pars epistolij habet μετάνοιαν, qua se ipsum corrigit & ueluti castigat, non sine pœnitentiæ significatione. Hæ enim epistolæ, ut omnes huius generis, plerunq; sunt ὀργιστικαὶ, præ se ferentes motum iræ. Hactenus enim ingrato iratus fuit: deinceps irascitur etiam sibi, & suis. Ac utitur μεταστάσει, translatione in se ipsum, benefactor. Mox sequitur ἀποστροφή, ut solet fieri ἐν τῇ σφοδρότητι, in orationis acrimonia, quæ propria est harum epistolarum: ita ut maneat in eodem animi motu, iræ uidelicet. Nam hæc sententia continet ἀγανάκτησιν. Σὲ γὰρ ἔδει, &c.) Conueniebat, inquit, & par erat: te improbum seruum, quoad uiueres, nunquam in libertatem uindicari. Καὶ εἴπερ.) Sequitur αὔξησις, amplificatio in qua est contemptus, & odium personæ, præter inuidiam. Nam odimus improbos: inuidemus meliorem fortunam indignis; contemnimus eos, qui nulla prorsus sunt authoritate præditi. Et quanquam, inquit, nunc quidem nostro beneficio manumissus, ex seruo libertus factus es: nostra deniq; liberalitate, tui iuris per nos extitisti: tamen adhuc animo es eodem præditus, nimirum ab-

iecto, & ſeruili. Ergo etiam hîc, διαβολὴ, criminatio perſonæ, quam accuſamus, principem tenet locum, quãdo in odium illius perſonam ducimus. Λέγε δ'.) Concludit epiſtolium ἐπιτροπῇ, permißione Rhetorica, ἐκ περιουσίας, ex abundanti, εἰρωνικῶς. Perge igitur poſthac nos, impudentißimè Canis, allatrare. Ἐπεὶ καλῶς.) Et addit rationem διαβλητικὴν, à uita antè acta, & perpetua hominis iſtius maledicentia. Nunquam enim, per omnem tuam uitam, ulli homini bene loqui didiciſti. Hactenus ex Græcorum breuibus definitionibus, & exemplis demonſtratum eſt: quid ſit epiſtola ἐλεγκτικὴ, διαβλητικὴ, ἐπιτιμητικὴ, μεμπτικὴ, & ὀνειδιστικὴ. Reſtat, ut paucis oſtendamus rationem tractandi hanc epiſtolarum formam. Sed utile eſt hoc diſcrimen obſeruare, inter μέμψιν, & ὀνειδισμόν. Etenim bipartitò diſtinguunt has epiſtolarum formas. Prima διάστασις, atque diſtinctio perſonarum eſt, τῶν προσώπων: altera tractationis, τῆς ἐργασίας. Etenim exprobratio dirigitur ad inimicos, præcipuè uerò ad ingratos. Expoſtulatio autem, ſiue μέμψις ſcribitur amicis: quorum deſideramus officium, & negligentiam corripimus, eorumque excitamus diligentiam in officio præſtando. Altera διάκρισις, & diſtinctio, pertinet ad ἐργασίαν, tractationem. Propterea quòd omnis exprobratio requirit αὔξησιν, κατὰ δείνωσιν, id eſt, amplificandi eam rationem, qua indignum facinus exaggeramus. Sed contraria eſt expoſtulandi rationis tractatio. Nam quoniam ſcribitur talis epiſtola ad amicum, quem diligimus, cuiuſque &

Cum amicis expoſtulamus: ingratis, & iam inimicis exprobamus.

mores,

mores, & uitam cupimus emendare: eumque in nostrorum amicorum retinere numero: idcircò grauiorem, & acriorem reprehensionem, atque commonitionem, uerbis atque sententijs mollioribus interspersis, lenire atque mitigare debebimus. Hermogenes hanc methodum nominat θεραπείαν. Et uerba quidem, præter sententias asperas requirunt in hoc genere epistolarum λειότητα, lenitatem quandam; σκληρότητα autem duriciem, & τραχύτητα, asperitatem fugit. Quod ad tractationem attinet, ea, ut apparet in epistolis Ciceronis, & aliorum, interdum in principio sententias habent uarias. Nam uel μετάστασιν continent, id est, translationem, uel habent in insinuatione, ἐν τῇ ἐφόδῳ, ironiam, id est, dißimulationem, qua paulatim, & sensim dilabimur in exprobrationem. Iam illa μετάστασις bipartita est: primùm enim continet sententias αἰτιολογικὰς, quæ propriè nominantur μεταστατικαὶ ab Hermogene. Sed tamen nituntur etiam criminis relatione: quæ ab eodem nominatur ἀντέγκλημα. Ergo dicemus interdum, pro ratione temporis, statim in ipso exordio literarum: nos ad eum, cui exprobramus aliquid, scribere; sed coactos atque inuitos. Nam omnis exprobatio abhorret ab humanitate, & propterea etiam non spontè suscipitur. Sed huic translationi, uel μεταστάσει; quæ uelu ti propositio est epistolæ, debet subijci κατασκευὴ, ratio, eaque probabilis. Sed quoniam multiplex à nobis potest afferri αἰτιολογία, delectus ex multis debet haberi potiorum causarum. Nam propter tres præcipuè

Tractatio.

Exordium sæpè abruptum est; propter ἀγανάκτησιν.

cipuè causas impellimur, quamobrem exprobrando in alterum inuehamur. Prima causa est istius hominis ἀχαριστία, ingratitudo, & quidem à nullo posthac ferenda. Altera causa est, κακολογία, istius hominis quotidiana conuitia, atq; maledicta; quæ nobis istam epistolam extorserunt. Tertia causa habet θέσιν, locum communem, & quæstionem infinitã, quæ loco maioris propositionis ponitur. Nam dicemus in exordio, quamuis plerunq; abrupto, cum impudentißimis hominibus, ut sunt ingrati, etiam esse acrius, & uehementius agendum, maioreq; cum libertate scribendi, si fortè ad sanitatem redire poßint. Deinde in exordijs locum habent percommodum, ἔννοιαι παραδειγματικαί. Nam dicemus uel in exordio, uel in epilogo, sæpè hoc esse factum à summis, & clarißimis uiris, qui sua beneficia ingratis hominibus exprobrarunt. Sequitur deinde ipsa διήγησις: qua rem indignam, narratione, sed artificiosa, ante oculos eius, ad quem scribimus, quasi constituimus. Ergo debet continere διατύπωσιν, illustrationem, atq; euidentiam. Itaq; perpetuò nostra in illum merita commemorando exaggerabimus: contra illius in nos amplificabimus omni ratione animum ingratum, & mentem immemorem.

EXEMPLA HVIVS GENERIS.

Cum alia multa exempla extant, apud optimos scriptores literarum: tum illa sunt maximè illustria atq; insignia: quæ etiam Roterodamus notauit, uerbi gratia lib. 5. famil. cuius initium est: Etsi statueram. Deinde est grauißimum

uißimum exemplum illud Ciceronis ad Octauium: Si per tuas legiones, &c. Apud Ouid. est pulchrum exemplum Medeæ ad Iasonem.

DE EXPOSTVLANDI RAtione.

CAPVT VI.

SVprà dictum est ex Græcorum obseruatione, & definitione, expostulandi per literas rationem, μεμπτικὴν appellari ἐπιστολήν. Habet autem propriũ locum, & usum inter amicos ueros. Quando nimirum eorum desideramus officium, id quod sæpè fieri solet. Sed istud in hoc genere, quemadmodum suprà est indicatum, diligenter obseruari debet præceptum, quod pertinet ad Hermogenis παραμυθίαν, & θεραπείαν. Etenim sæpè asperior est talis epistola ad amicum perscripta. Hermogenes hanc asperitatem, & uehementiam attribuit σφοδρότητι, acrimoniæ. Mitiganda autem, & mollienda est tribus potißimùm rationibus: aut enim uehementiam expostulationis lenimus dißimulatione, aut ioco, & salibus, atque facetijs, aut deniq; intertexta laudatione personæ, cum qua expostulamus, de intermisso officio. Interdum etiam utitur Cicero μετανοίᾳ, quasi pœnitentia dictorum, & nostri reprehensione, ἐπιτιμήσει. Quare ad hanc formam epistolarum, quinque omninò referuntur sententiarum genera. Quæcunq; enim in hanc formã incidunt ἔννοιαι, illæ uel continent προσαπόκρισιν,

σιν, dißimulationem, uel leporem, & iocationem quandam, id est, εὐτραπελίαν καὶ ἀστειότητα, uel laudationẽ, αἴνεσιν (quæ tamen sæpè est κολακευθικὴ, assentatoria) uel ἐπανόρθωσιν, correctionem ἐπιτιμητικὴν, qua solemus nosmetipsos tanquam reprimere, corrigere, & ueluti reprehendere, quod amicum castigauerimus uerbis acrioribus, & uehementioribus sententijs. Fit tamen sæpenumerò, ut is, cum quo expostulamus, tali sit ingenio, & natura, & moribus præditus; ut apud illum ipsum libera uoce in expostulando uti poßimus citra exceptionem, & mitigationem. Etenim omnis expostulatio, uel inter pares ætate, aut conditione homines suscipitur, aut instituitur inter inæquales; inæquales sunt persona inferior, & superior. Inter æquales referimus etiam coniuges: pares etiam condiscipuli sunt, et amici. Inter quos esse summa omnium rerum, & præterea officiorũ, communicatio, & æqualitas solet.

Nisi talis erit, cui scribimus: ut apud illũ nihil non liceat.

Huius igitur generis sententiæ aliæ sunt θαυμαστικαὶ, quæ continent admirationẽ: aliæ ἀπολογητικαὶ, quæ habent excusationem: aliæ deniq; ψεκτικαὶ, quibus rem uituperamus, & damnamus. Sæpè enim dicimus, nos etiã atq; etiam mirari: quæ causa fuerit, cur ille tam diu ab officio recesserit. Idq; non sine mitigatione, nos scilicet melius sentire de ipso: & suspicari potius malle quiduis aliud: quàm illum uoluisse suum officium negligere. Itaque istæ sententiæ mitigationis ad beneuolentiæ conciliationem pertinent: ad eamq; retinendam multum conducit excusatio. Cum ostendimus, nos nunquam de ipsius

Admiratio.

Correctio.

uoluntate, in præſtando officio dubitaſſe: quod antehac ſummo ſtudio præſtiterit.

Exempla præclara ſunt, lib. 5. fam. Q. Metelli, Q. Fabij ad Ciceronem: Si uales bene eſt, Exiſtimaram pro mutuo inter nos animo, &c. In eodem lib. illa, cuius principium eſt: Præpoſteros habes tabellarios. Sentẽtia hæc eſt μεμπτικὴ, ad Atticum: Sed abs te ipſo qui me accuſas, unas ſcito mihi literas redditas eſſe: cum & ocij ad ſcribendum plus, & facultatem dandi maiorem habueris, &c. Ergo, ut hoc exemplum oſtendit, ad μεμπτικὴν ἐπιστολὴν; ſæpè etiam ſcribitur ἀντιμεμπτικὴ, quæ mutuã expoſtulationem continet. Quomodo autem ad obiurgationem reſpondendum ſit refutando, colligi poteſt, ex Ciceronis ad Metellum, ἀντεπισταλτικῇ ἀνασκευαστικῇ: Si tu, exercitusq; ualetis, benè eſt.

DE EPISTOLA INVECTIVA.

CAPVT VII.

HOc genus epiſtolarum στηλιτευτικὸν appellatur. Quanquam autem à Græcis nõ definitur: tamen ex ſuperioribus proximis, quæ huic cognatæ ſunt, facilè, quid ſit inuehi in alterum epiſtola, poteſt intelligi. Eſt igitur inuectiua epiſtola, qua non ſolum grauiter aduerſarium inſectamur, perſonæ illius uituperatione, et criminatione: uerum etiam qua ab ipſo hoſtili animo nobis intẽtata crimina: ſed cõficta, refellimus, et eadẽ crimina in ipſũ aduerſariũ retorquem9.

Con-

Constat igitur ex duobus generibus causarum: ἐπιδεικτικῷ, & δικανικῷ, demonstratiuo, & iudiciali. Nam ψεκτικαὶ epistolæ, & προσωπογραφικαὶ, uituperantes, & notantes personam, propriè ad demonstratiuũ genus pertinent. At sententiæ ἀνασκευαστικαὶ, & ἀντικατηγορητικαὶ, propriæ sunt generis iudicialis. Veruntamen, quoniam regnat in hoc genere inuectio in alterum, propter accusationem, & recriminationem, & propter relationem criminum; rectius in hoc epistolarum ordine, atq; numero potest considerari.

Sententiæ huius generis literarum, quibus in alterum inuehimur, quædam sunt προοιμιαστικαὶ, uel προκαταρκτικαὶ, pertinentes scilicet ad rationẽ exordiendi (quanquam procœmia ferè sunt ἀπόῤῥυτα, abrupta; quemadmodum uidere est in orationibus aduersus Catilinam, & Salustium. Sed omnes istæ sententiæ Exordiorum insectationis, sumuntur aut ab aduersarij, aut à nostra persona. Itaq; primum genus sententiarum διαβολὴν habet, criminationẽ. Huc igitur pertinent ista Rhetorica præcepta, quorum finis est, aut καταφρόνησις, contemptio eius, in quem inuehimur: cum ostendimus eius intolerandam stoliditatem; aut φθόνος, inuidia: cum demonstramus illius etiam non tolerandam superbiam, & fastum: aut μῖσος, odium, quando eidem obijcimus importunitatem, atq; maleuolentiam.

Sequuntur, quæ à nostra persona ducuntur sententiæ, quæ diriguntur partim ad σύστασιν, commendationẽ nostri, partim ad λύσιν, occupationem. Fit enim non raro,

rò, ut significemus, nos scribere: sed inuitos, & coactos, præter ingenium nostrum: & contra nostram consuetudinem. Itaq; locus iste habet μετάστασιν, translationẽ: per ἀντέγκλημα, hoc est, criminis relationem. Ea Cicero utitur in Salustium. Insequuntur deinceps ἔννοιαι καταστατικαὶ, quæ sunt propositionis. Continent enim ὑπόσχεσιν, pollicitationem: quæ tamen τοῦ ἤθους, amabilium morum habet significationem, ἀντεξετάσει, comparatione nostræ cum illius persona. Partes eius sunt duæ: ἄρσις, negatio: & θέσις, affirmatio. ἄρσις est: Ego tecum non acturus sum: ut tu consueuisti, maledictis, & conuitijs. θέσις est: Sed temperabo mihi ab omni maledicentia, & contumelia: neq; conuitium conuitio retundam: neq; maledictum maledicto diluam. Verùm, intentata mihi abs te per calumniam crimina, tantum refutabo: maledictis etiam tuis responsurus: sed ueris rationibus, atq; argumentis. Hinc constat, inuectiuarum epistolarum, & orationum, principem partem uersari in statu coniecturæ. Itaq; ordine subijcitur ἀπόδειξις ἀνασκευαστική. Quanquam habet sæpè in uestibulo ipsoq; aditu quandam κατασκευὴν, probationem, sumptam à persona aduersarij, hoc est, ex loco adiunctorum. Solet enim interdum Cicero breui, sed euidenti, atq; illustri uti hominis istius, in quem inuehimur, coacti eius improbitate, atq; malitia, descriptione, atq; notatione: cuius finis idem est, scilicet, odium, atq; contemptus. Nam rationibus efficit uerisimile: Salustium omnia finxisse, adductum, uel odio, uel inuidia, uel etiam quadam

innata libidine maledicendi. Post hanc rationem sequitur ἀνακοινωσή. Nam Cicero, quando plura fuerunt sibi obiecta, unum ex illis solet proponere ad refutandum, præsertim cum est εὐέλεγκτον, & λύσιμον: ut sine negocio refutari poßit, negando, & testes adducendo. Ergo hæc diligenter refellemus. Cicero solet etiam quandoq; ἀντικατηγορίαν: instituere. Hinc enim ostendit recriminando, ex hoc uno falso nobis obiecto crimine: quod odio nostri commentus est, facile intelligi posse, istius hominis maledici impudentiam, & uanitatem. Eodem pertinet ἐπιστροφή, inuersio, cum ea ipsa, quæ nobis conatus est obijcere: in ipsum artificiosè retorquemus. Ostendemus igitur, si fieri poterit, aduersarium nostrum perpetrasse, si non grauiora scelera, atq; flagitia: at eadem, atq; similia. Locum hîc etiam habet ἀποσιώπησις, reticentias: cuius methodi hæc uirtus est: ut et uerecundiæ laudem nobis per eam comparemus, & multa in suspicione lectoris, uel auditoris relinquamus. Nam duæ sunt præcipuæ huius reticentiæ causæ. Poterimus enim primum dicere: aduersarij facta esse tam obscœna, atq; nefanda: ut ab homine uerecundo, ne cogitari quidem debeant. Deinde poterimus & illud addere: propt r flagitia innumera, ex plurimis unum atq; alterũ duntaxat nos uoluisse commemorare. Nam ex uno aut altero scelere, facilè istius uitam antè actam dijudicari posse. Genus autem harum epistolarum, est σφοδρόν, acre, & uehemens. Itaq; habet amarulenta scommata, & graues ironias, atq; illusiones. Dicteria item mordacia, & sales

acres: quibus rationibus ostendemus, aduersarium, non solum omnium odio dignum esse: uerum etiam contemptu. Ostendemus igitur hominem ridiculum esse, ob insignem stulticiam: & detestandum ob inauditam malitiam. In epilogo sæpè nos tanquam reprimimus, quã methodum Græci nominant μετάνοιαν, & ἀφορισμόν: *Cicero sui correctionem, aut castigationem. Sed quid ego te frustra nequißimè omnium hominum, qui uiuunt, grauioribus uerbis insector ? quin potius mihi tempero, meæq; existimationis rationem magis habeo. Hoc enim pertinet ad* ἦθος *scribentis, ne uideatur odio, uel inuidentia, uel aliquo alio motu grauiore talia scribere. Hic etiã* προτροπὴ *interdum, &* παραίνεσις, *cohortatio solet adhiberi. Boni enim uiri est, aduersarium, & inimicum suum hortari: ut aliquando tandem sapere discat, addita* ἐπιπλήξει, *comminatione. Quod si posthac non modestè sit scripturus, fore, ut coacti illius maledicentia, limites modestiæ transgrediamur. Paucißimæ epistolæ reperiuntur puræ in hoc genere: sed obseruandum tamen ab adolescentibus in lectione bonorum scriptorum, quæ sententiæ interspergantur* στηλιτευτικαὶ, *pertinentes ad inuectionem, atq; insectationem alterius. Illustre tamen exemplum inuectiuæ, non epistolæ, sed orationis est Salustij, & responsionis ad eandem Ciceronis. Ex quibus duabus orationibus contrarijs totum artificium huius generis facile animaduerti, & intelligi potest. In hoc itidẽ genere magna ex parte uersantur Aeschinis & Demosthenis contrariæ orationes. Atq; de hoc genere hactenus.*

DE EPISTOLA, QVAE RElationem criminis habet.

CAPVT. VIII.

AD superiores formas, quæ omnes uersantur in accusando, refertur etiam recriminans epistola: quæ nominatur ἀντικατηγορητική: cui uicina est, quam Græci nominant ἀντεγκληματικὴν. Eam autem ad istum modum definiunt: ἀντεγκληματική ἐστι, δι' ἧς ἐγκαλούμενοι, ἀντεγκαλοῦμέν τινι, τὸ ἐπιφερόμενον ἡμῖν ἔγκλημα περιτρέποντες τῷ ἐγκαλοῦντι. Est enim hæc epistola, per quam crimen nobis intentatum ita refutamus: ut in eum ipsum referamus. Itaq; τὸ προκαταρκτικὸν αἴτιον, causa impellens nos ad recriminandum, est, τὸ ἐπιφερόμενον ἡμῖν ἔγκλημα, nobis obiectum crimen. Vnde constat genus istud literarum esse ἀντεπιστολτικὸν, secundarium & subsidiarium: quod scilicet est respondentis ad epistolam, accusantis nos: quæ Græcis dicitur ἐγκληματική. Ea autem continet aliud nihil, quã ἐπιφορὰν τοῦ ἐγκλήματος, factam nobis criminationem ab aduersarijs: qui dicuntur ἐγκαλούμενοι. Officium autem huius epistolæ est, recriminationem instituere, ἀντεγκαλεῖν. Id quod fit retorquendo crimen in ipsum aduersarium: & ut Græci loquuntur τῷ περιτρέπειν τῷ ἐγκαλοῦντι. Exemplum Græcus subijcit, pro sua consuetudine, breuißimum quidem, ueruntamen acutum & utile:

Τὶ δὴ ἐγκαλεῖς ἡμῖν, ὡς αἰτίοις σοι γινομένοις συμφορᾶς: καὶ οὐκ ἐγκαλεῖς σεαυτῷ τῷ κακώσαντι τὰ καθ' ἡμᾶς: σὺ γὰρ ἡμῖν αἴτιος γέγονας ἀπείρων κακῶν, ὁ καὶ πολλοὺς ἄλλους λυπήσας, καὶ ἡμεῖς, οἱ μηδένα τὸ παράπαν ἠδικηκότες ποτέ.

Exemplum hoc breuißimum est, ſed tamen dilatari poteſt: ut excreſcat in quandam amplitudinem. Propoſitio eſt acris, & uehemens, propter ὀξύτητα ἐλεγκτικὴν, ut Hermog. loquitur. Habet enim interrogationem, non ſolum coarguentem aduerſarium: uerùm etiam eundem conuincentem. Itaq; auget acrimoniam ἀποστροφῇ. Statim enim in principio tanquam abrupto, non ſine ἀγανακτήσει, indignatione, alloquitur aduerſarium: non ſecus, atq; Neptunus uentos ab Aeolo emiſſos: Tanta ne uos generis tenuit fiducia, &c. Propoſitio igitur eſt informata interrogatione, ſed ἀγανακτικῇ. Quare, inquit, obijcis nobis, ac ſi authores extiterimus, tuarum calamitatum? Sequitur altera πρότασις, quæ eſt ἀντεγκληματικὴ, & ἀντικατηγορητικὴ, continens recriminationem, & mutuam accuſationem. Prior enim πρότασις fuit ἐγκληματικὴ. Nam intentauit accuſando aduerſarius reo crimen: quòd author omnium eius calamitatũ extiterit. Conſtat autem mutuam iſtam accuſationem niti coniecturalibus argumentis: & quanquam nondum argumentatur; tamen ſemina ſpargit coniecturalis confirmationis, in iſta ſcholaſtica ὑποθέσει. Propoſitio igitur eſt: Καὶ οὐκ ἐγκαλεῖς σεαυτῷ, ac non te potius accuſas, & in culpam uocas. Sequitur κατασκευὴ, ratio, à perſona

a cusatoris, quem nominat κακώσαντα, scilicet, qui sibi ipsi hanc infelicitatem accersiuerit. Et tempus addit explicatum. Græci Rhetores nominant ἐφέγκησιν τοῦ χρόνου, notationem temporis: qua explicat ἀόριστον, tribus uerbis breuißimis: τὰ καθ' ἡμᾶς, quasi dicat, nostra ætate, & memoria. Post κατασκευὴν illam, qua ostendit suorum incommodorum illum ipsum extitisse authorem, subijcitur ἐπικατασκευὴ, in qua approbatione rationis superioris est ipsa ἀντικατηγορία, recriminatio, eaq; tripartita. Primum enim utitur ἐπιστροφῇ, inuersione: Tu enim, inquit, nobis in causa fuisti: ut infinitis periculis obrueremur. Deinde μεταστάσει, translatione αὐξητικῇ, amplificatoria. Imò etiam multos alios duriter afflixisti. Postremò utitur inficiatione, ex comparatione. Nos uerò nequaquam, uel te, uel alios ulla unquam laceßimus iniuria, minus affecimus.

ΣΧΕΤΛΙΑΣΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

CAPVT IX.

AD superiores formas, diximus quoq; pertinere eam, quam Græci σχετλιαστικὴν nominant, & ὀδυρτικὴν; Latini hanc possent appellare indignantem epistolam, & querulam; ac ut superior παθητικὴ fuit, sicut etiam στηλιτευτικὴ, & proximæ superiores formæ, propter πάθος nimirum ὀργὴν, & νέμεσιν, indignationem: ita, quæ sequuntur apud Græcos epistolarum genera, sunt παθητικά. propterea quod animi

mi motum habent expressum: sed diuersum à superiore. Græci hanc sic definiunt; Σχετλιαστικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι' ἧς σχετλιάζοντές τε, καὶ ὀδυρόμενοι φαινόμεθα. Hac enim non solum conquerimur, uerum etiam lamentamur. Exemplum Græcus subijcit illud.

Ὢ πόσων ἡμῖν κακῶν αἴτιος γέγονεν, ἡ συντυχία τοῦ κακοδαίμονος ἑρμογένους. ὢ πόσαις συμφοραῖς, καὶ δειvοῖς ἡμᾶς περιέβαλε. κρεῖττον γὰρ ἦν ἡμῖν, τῷ πλούτονι συντυχεῖν, ἢ τῷ τοῖς θεοῖς ἐχθρῷ.

Exemplum istud proprium est iudiciorum, sed Comicorum etiam est, & Tragicorum. Nam Comici in media fabula, & quasi eius progressu, qui ἐπίτασις dicitur multa afferunt, quæ metum et terrorem incutiunt, & cũ Tragicis magnam habent cognationẽ. Vnde apud Græcos et Latinos Comicos crebræ reperiuntur exclamationes, querelæ, imprecationes, detestationes & lamẽtationes omnis generis: quæ tamen magis apparent, & extant apud Tragicos poetas, qui tristissimos casus, & horrendos exitus etiam illustrium personarum atrociter, & lamentabiliter describunt. Hoc genus autem epistolarũ tractatur interdum per se, interdum admiscetur alijs generibus. Si per se tractatur, semper ex abrupto inchoatur, quemadmodum ostendit exemplum pulcherrimum Aeneæ afflictissimi in tempestate, propter periculum imminens naufragij, ubi est σχετλιασμὸς, & ὀδυρμὸς, exclamatio, & querela grauissima:

—O terq;, quaterq; beati:
Queis ante ora patrũ Troiæ sub mœnibus altis,

Contigit oppetere, &c.

Quanquam hoc argumentum, est secundarum, ut Græci loquuntur, partium, seu τῆς δευτερολογίας. Propterea quòd adhibetur eo in loco, ubi aliquid grauiter est exaggerandum, κατὰ τὴν δείνωσιν, quæ amplificationis pars uehementior est, propter misericordiæ, aut indignationis motum. Ac exemplum huius Græci duabus ex partibus constat, quarum prima est: ἐκφώνησις, exclamatio: cuius finis est θαυμασμὸς, admiratio. Ergo propositio istius ὑποθέσεως est: Heu quantorum malorū causam mihi præbuit familiaritas infelicißimi nebulonis Hermogenis? Itendidem repetitur exclamatio σχετλιαστικὴ, & ὀδυρτικὴ. ὦ πόσαις συμφοραῖς, καὶ δεινοῖς ἡμᾶς περιέβαλε. Επιμονὴ, commoratio est, seu ἑρμηνεία, interpretatio: quæ constat diuersis uerbis, idem tamen significantibus. Ac notandum est, diuersum genus dicendi. Nam suprà dixerat, πόσων κακῶν: nunc illud dilatat, dum inquit; πόσαις συμφοραῖς, καὶ δεινοῖς. Itaq; totum quasi partibus explicauit in ista breuitate admodum succincta. Prætermisit autem συντυχίαν, consortium, & societatem, tanquam illorum malorum omniū causam. Omisit etiam principem causam, scilicet personam conuersantem, quam & nomine appellat proprio, & epitheton addit uituperandi causa. Hermogenem enim appellat κακοδαίμονα, inauspicati cuiusdam ominis, infelicißimumq; hominem. Propterea quòd, ut in clausula dicit, fuit omnibus superis inuisus. Postremò in hac ipsa ἐπιμονῇ, commoratione oratoria, explicat

quod

quod dixit; αἴτιος γέγονε, author extitit. Κρεῖττον γὰρ ἦν.) Pars altera sequitur εὐκτικὴ, uotum continens, & optationem: quæ tractatur συγκρίσει, comparatione rei indignioris. Satius enim, inquit, fuerat: in Ditem ipsum incidisse, seu cum Plutone familiaritatē habuisse: quàm cum isto scelesto homine, etiam omnibus superis inuiso.

ΛΥΠΗΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

CAPVT X.

HAnc Græci quoq; speciem epistolarum annumerant cæteris generibus. Nam est παθητική; quoniam dolorifica, ideoq; priori uicina. Quidam lamentatoriam interpretantur. Definitur autem his uerbis: λυπητική ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς ἐμφαίνομεν ἑαυτοὺς λυπουμένους. Hac enim epistola significamus ei, ad quem scribimus, nos uehementer tristari. Ergo differt à superiore forma, quòd ibi non solum est doloris significatio; sed multò magis iræ, eiusque causarum indicatio. Iam finis huius epistolæ est ἔμφασις, significatio nostræ tristiciæ. Sed προκαταρκτικὸν αἴτιον est, accepta offensio: qua ille, ad quem scribimus, animum nostrum mirum in modum conturbauit: nō tam nostra, quàm sua ipsius culpa. Exemplum istud subijciunt Græci; Σφόδρα, καθ᾽ ὑπερβολὴν ἡμᾶς λελύπηκας; τό δὲ τὸ πρᾶγμα διαπραξάμενος. ὅθεν ἰσχυρῶς ἄχθομαι πρός σε, καὶ δυσίατόν τινα λελύπημαι λύπην. Αἱ γὰρ ἐκ φίλων εἰς φίλους λῦπαι, δυσθεράπευτοι λίαν τυγχάνουσι, καὶ μείζους τῶν ἐχθρῶν ἐ-

χουσι τὰς ἐπιχειρίας. Eius propoſitio eſt αὐξητική, exaggerans uerbis grauibus, ſuperlatis, & geminatis, ἐκ τοῦ παραλλήλου, rei atrocitatem. Nam ſic proponit: Vehementer, atq; adeò ſupra modum me affeciſti dolore. Τὸ ϳ τὸ.) Cōtinenter ſubijcit αἰτιολογίαν, rationem ex cauſa προκαταρκτικῆ, efficiente hunc dolorem. Poſtquam audiui, te hoc indigniſsimum facinus perpetraſſe. Ὅθεν ἰσχυρῶς.) Sequitur αὔξησις, amplificatio altera huius ſuæ perturbationis. Oſtendit enim hinc factum eſſe: ut eò uehementius ipſi iraſcatur, uel potius eius ipſius cauſa, grauiter crucietur. Itaq; eadem utitur, qua ſupra, interpretatione. Etenim oſtendit, quid ſit ἰσχυρῶς ἄχθεσθαι, uidelicet λυπεῖσθαι λύπην, dolorem dolere, ἀνίατον, quaſi incurabilem, atq; inſanabilem. Αἱ γὰρ ἐκ φίλων.) Poſt iſtam ἔμφασιν τῆς λύπης, id eſt, ſignificationem accepti doloris, argumentatur: ſed breuiter, & ſentētioſè. Nam dolores, qui ex amicis obueniunt, eiuſmodi ſunt: ut perdifficile ſit, illis aliquam medicinam facere, aut adhibere leuationem. Quin etiam maiores adferunt moleſtias, amicorum nomine dolores ſuſcepti: quàm nobis ab inimicis noſtris factæ contumeliæ.

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΑΠΕΙΛΗΤΙΚΗ.

Reſtant adhuc duæ formæ, apud Græcos epiſtolarū, quas ſuperioribus, quæ accuſationem continent, poſſumus adijcere. Quarum una nuncupatur ἀπειλητική, altera παραγγελτική. Primum igitur de eo genere quo minas denunciamus. Græci non tam definiunt hanc epiſtolam,

lam, quàm uerbum hoc ſuum interpretantur, ex loco, quem Dialectici nominant, notationis, & coniugatorũ: ἀπειλητικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς ἀπειλοῦμεν τινι. Comminatoriæ literæ ſunt, quibus minamur. Alter Græcus Anonymus, paulò pluribus uerbis utitur. Sic enim inquit: ἀπειλητικὸς τύπος ἐστιν, ὅταν μετ᾽ ἐπιτάσεως φόβον τίσιν ἐμποιῶμεν, ἐπὶ πεπραγμένοις, ἢ πραχθησομένοις. Quæ deſcriptio non uerbum, ſed rem explicat. Complectitur enim non res tantùm, uerum etiam perſonas: modum etiam indicat, cum officio, & effectu talium literarum. Perſonæ ſunt, ut in omnibus epiſtolis, primum ſcribentis; deinde eius ad quem mittimus epiſtolam. Qui ſcribit, is minas non tantum ſpirat; ſed etiam denunciat. Ad quem autem exaratur tam formidoloſa epiſtola, is etiamſi non nominatur, tamen oſtenditur, homo eſſe longè audaciſsimus; & qui omnem ſibi impuritatem ſcelerum perpetratorum, aut eorum quæ perpetrare cogitat, pollicetur. Sed iſta effrenata audacia coercenda, & reprimenda eſt. Sunt enim duo contrarij iſti motus animorum, τὸ θράσος, καὶ ὁ φόβος. Ergo officium eſt ſcriptoris talium epiſtolarum, ἐμποιεῖν φόβον, metum incutere, atq; terrorem afferre: ſcilicet, ut hominis iſtius impudentiſsimi reprimatur confidentia. Sed is metus, propter incredibilem hominis audaciã, debet excitari μετ᾽ ἐπιτάσεως, uerborum, atq; ſententiarum maiore ui atq; pondere: ut etſi epiſtola ſit breuis: tamẽ, quoniam eſt παθητική, ſcilicet profecta ab homine irato: habeat ſingularem (ut Rhetores loquuntur) δείνωσιν. Ex qui-

bus

bus omnibus perſpicuum eſt: ea in hoc genus incidere: quæ extant 2.apud Ariſto.Rhet.lib.περὶ τῆς ὀργῆς.Qui enim ſcribit,iratus eſt. Propterea quòd alteri minatur pœnas,niſi deſinat:alter autem,cui minæ denunciantur, is,quia minimè curare iſtas minas uidetur, obiecto metu grauiore,perterrendus eſt.Iam eruditè ſubijcit,Ariſtotelem ſecutus,quamobrem iraſcatur ſcriptor.Nam cur minaces literas mittant, uel parentes, uel alij ſuperiores, quorum poteſtati ſubiecti ſumus:nulla alia cauſa eſt:quã rumor de nobis ſparſus, ἐπὶ πεπραγμένοις, id eſt, de rebus à nobis contra officium, atq; honeſtatem ſuſceptis, uel etiam de facinore quodam animo concepto. Verbi gratia:ut, Si pater reſciſcat,uel deſeruiſſe nos optimarũ artium ſtudia,& malorum ſequi ſodalitia: uel ſaltem in animo habere,nos abiecturos hæc ſtudia,& abituros in militiam: Hæc ſunt τὰ πραχθησόμενα. Itaq; hoc genus interdum tractatur per ſe,ut periodica, & pura ſit epiſtola. Tractatur tamen plerunq; cum alijs argumentis: quæ mixta dicitur epiſtola.Græci breuiſſimum exemplũ ponunt:quod uidetur ad poſteriorem hanc ſpeciem, hoc eſt,mixtam poſſe transferri.

Εὔξαι πάσῃ ψυχῇ,ἢ παντὶ σθένει, μὴ παραγίνωμαι, πολλῶν πειρασθήσῃ κακῶν, ὧν οὐκ ἤλπισας πεῖραν λήψεσθαι. Videtur enim particula cuiuſdam epiſtolæ,quæ diuerſi eſt argumenti. Habet autem ironicam quandam παραίνεσιν,non ſeriam adhortationem. Ex animo precare,ne propediem ad te proficiſcar. Sequitur ἀπειλή, uel ἔκπληξις,comminatio. Nam ſi ad te uenero,experieris,

ris, & senties multò maiora incommoda: & multò grauiores pœnas persolues: quàm tu nunquam expectasses.

Alterius hypodigma est paulò prolixius:

Εἰ μὲν ὑπολαμβάνει μηδεμίαν ὑφέξειν δίκην, ἐφ' οἷς διαπέπραξαι, πρᾶττε. Ἴσθι δὲ ἀκριβῶς, ὡς οὔτε ἀναπτησόμενος, οὔτε καταδυσόμενος, οὐδενὶ τρόπῳ χρόνον ἐπιασᾶς κενόν. Οὐδὸν γὰρ οὐκ ἂν εὕροις, δι' ἧς ἀποφύγοις: ἅ σε δεῖ παθεῖν.

Exemplum superius habuit iußionem ironicam, hoc permußionem, ἐπιτροπὴν, non sine scommate amarulento, καθ' ὑπόθεσιν. Si tibi, inquit, polliceris scelerum tuorum impunitatem: fac, quæ facere constituisti. Propositioni continenter annectit νουθέτησιν, καὶ κατάπληξιν, monitionem, & commonitionem. Illud tamen certò scias: te nullo in loco, siue subuoles, siue inferius subsidas, et occulteris alicubi, abiturum impunè. Grauißima uerba sunt: ὡς οὔτε ἀναπτησόμενος, οὔτε καταδυσόμενος, οὐδενὶ τρόπῳ χρόνων ἐπιασᾶς κενόν. Eandem sententiam ἐπιῤῥώσει, corroborat, exaggerans comminationem uerbis superlatis. Nullam enim uiam, qua elabaris, inuenies.

Nuda sunt, ut sæpius dictum est, scholastica huiusmodi exempla: sed apta styli exercitationi. Sed ut superiorum, ita horum generum ἐξεργασία considerari debet in exemplis: quæ diligenter annotamus in διαταγῇ omnium Ciceronis epistolarum: cuius nouæ dispositionis à sacra Imperatoria Maiestate, quæ sua est innata est munificentia, priuilegium impetrauimus.

EPI-

ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΠΑΡΑΓΓΕΛΤΙΚΗ.

Græci hanc & παραγγελτικὴν, denunciantem, & διαμαρτυρητικὴν, quasi testificantem nominant: & breuiter non solum definiunt; sed etiam explicant scholastico argumento Ac definitionem tradunt istam; Παραγγελτικὴ ἐστι, δι' ἧς παραγγέλλομέν τινι περί τινος. Hac enim uetamus, & aliquid alicui interdicimus. Itaque τὸ πρός τι, est ipsa παραγγελία, interdictum; τὸ ἀντιστρέφον, fundamentum, & correlatiuum est, res interdicta; terminus, ut sit παράγγελμα, ἢ ἀπαγγελία, interdictum, grauisq;, & seria admonitio, uetans quippiam. Sed hæc ex subiecto melius intelligentur exemplo:

Πολλάκις ἠδίκηκας τὸν ἡμέτερον γεωργὸν, ὡς μὴ γινώσκων εἰς ἡμᾶς ἀνατρέχουσαν τὴν ὕβριν. ἀλλὰ παῦσαι τοῦ λοιποῦ; μή σε καὶ τῆς προτέρας ἀδικίας δίκην εἰσπραξώμεθα.

Propter monitionem uidetur ad νουθετικὴν ἐπιστολὴν, referendum esse istud exemplum: sed ἀπαγγελία, quoniam est ἀπειλητική; uoluimus minanti epistolæ, & hanc ipsam subijcere. Sententiæ sunt partim δικαστικαί: ut, Sæpe iam uillicum nostrum iniuria affecisti: partim μεμπτικαί: ut, quasi ignores, hanc in nos contumeliam redundare: partim ἀπαγγελτικαί, ἢ παραγγελτικαί, uetantes, & interdicentes. Sed interdictum tibi uolo, ut posthac missum eum facias: partim ἀπειλητικαί, minaces; ne priorum etiam iniuriarum pœnas abs te repetere cogamur.

Sed de his formis hactenus: sequuntur quæ in excusando, purgando, & defendendo usurpantur.

DE GENERE EPISTOLARUM ἀπολογητικῶ.

CAPUT XI.

HActenus formas in iudiciali genere eas ferè percensuimus, quæ pertinent propriè ad accusandum, atque coarguendum. Sequuntur deinceps superioribus contraria genera: quæ cernuntur in defendendo, excusando & purgando. Græci nominãt horum generalem formam τύπον ἀπολογητικὸν. Latini defensionem appellant: & arctiore uerbo purgationem. Huius definitio est: ἀπολογητικὸς τύπος ἐστιν, ὁ πρὸς κατηγοροῦντα τοὺς ἀναιτίους λόγους μετὰ ἀποδείξεως εἰσφέρων. Eruditissima hæc est definitio, ex relatorum natura desumpta. Nam causa προκαταρκτικὴ, impellens nos ad defensionem parandam, est primùm ὁ κατηγορῶν, accusator. Deinde οἱ ἀναίτιοι λόγοι, rationes parum firmæ, imò sophisticæ, & sycophanticæ accusatorum. Quemadmodum in Elenchis Aristot. παραλογισμὸς nominatur, non causæ ut causæ, μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, ἢ τοῦ ἀναιτίου. Ergo officium epistolæ huius est, & omnium illius formarum. Primum, ἀπολογεῖσθαι, se defendere, si non purgando, at excusando, at deprecando. Alterum deinde officium est, proponere aduersarij fictas rationes: quæ dicuntur ἀναίτιοι λόγοι. Tertium officium est, illius ipsius

1. Εἰσφορὰ τῶν ἀναιτίων λόγων.

2. Απόδειξις ἀνασκευαστικὴ, καὶ κατασκευαστική.

ipsius εἰσφορᾶς, quasi illationis aduersariorum calumniæ, demonstrare falsitatem. Itaq; Græcus addit, μετ' ἀποδείξεως, hoc est, non solum negandum est id, quod nobis est obiectum criminis loco: sed etiam subiecta confirmatione, & confutatione illud est redarguendum, & conuincendus accusator. Ex his perspicuum est, defensionis, & purgationis officium esse, non solum accusationem refutare: & propterea etiam omnem exprobrationem, aut expostulationem diluere: sed etiã, quicquid nobis obstat, per literas amoliri: ne nobis noceat. Ergo ex superioribus quoq; constat accusandi formis, quæ themata, & quasi argumenta sint huius scriptionis: qua sæpenumerò utendum est. Sæpè enim parentes, fratres, curatores, affines, amici faciunt: ut per literas nos ipsis purgare oporteat. Exempli causa, interdum expostulant nobiscum: cum alijs de causis, tum quòd in scribendi officio diu cessauerimus, nihil literarum ad eos dederimus: uel paucis, aut negligẽter, uel etiam immodestius, quam nos deceat scripserimus. Aliquando etiam grauiter reprehendunt nos, quòd per imprudentiam aliquid sparserimus in uulgus, quod tacuisse longè præstiterat. Sunt & aliæ ὑποθέσεις, argumenta huius generis accusandi, cui opponenda est nobis aliqua responsio, seu ἀπολογία. Sed in defensione, illud est in uniuersum tenendum: quòd certa uia atq; ratio nequaquam præscribi, aut tradi poßit: propter multiplicem, & miram uarietatem. In Rhetoricis autem præcipitur, quo modo defensor se defendere: & suam causam tueri debeat, in omnibus controuersiarum

rum

sium constitutionibus. Quarum omnium rationum consilium nobis suppeditat, non solum ars dicendi; uerum utiam rei de qua agitur, circumstantiæ, & attributiones, ut sunt, res, tempus, & fortuna. Eruditi tamen annotaeunt, ex diuturna obseruatione, primum ostendendum esse: nos non tantum amici expostulatione, & reprehensione non offensos esse; uerum etiam maximam inde uoluptatem percepisse. Rhetores hanc exordiendi formam appellant ἐπιστροφὴν, κατὰ τὴν ἀντίθεσιν, inuersionẽ, quæ fit per contrarium, & ut Græci loquuntur, ἀπροσδόκητον. Illud etiam obseruandum est, ut suspicionem nobis obiectam non solum diluamus: uerum etiam grauibus uerbis detestemur, & quasi execremur. Rhetores nominant abominationem, Græci δυσφημισμόν. Quantum uerò ad refutationem ὑπολήψεως, seu ὑποψίας attinet: caput est, seu κεφάλαιον γενικώτατον, status coniecturalis, στοχασμός. Nam factum, si fieri potest, negari debet. Deinde præceptum κατασκευαστικὸν, non est negligendum. Negationis enim nostræ subijciemus in confirmatione probabiles rationes, de quibus Rhetores præcipiunt; quomodo scilicet à personis sint ducendæ πιθαναὶ αἰτιολογίαι: & à reliquis attributionibus. Græci istud ponunt exemplum apologeticum: Γεγραφέναι πρός σε μετ' ἐμοῦ τινα, καὶ πέπεμφθαί σε πρὸς στρατηγὸν ὑπ' ἐμοῦ. καλῶς δὲ πεποίηκεν ἡ τύχη, μεγάλα μοὶ πρὸς τὴν ἀπόδειξιν ποιήσασα. κατὰ γὰρ τοὺς χρόνους, φασὶ, τοῦτο πεποιηκέναι. μᾶλλον δὲ καὶ πρὸ τριῶν μηνῶν καταπλεῦσαι εἰς ἀλεξάνδρειαν, οὔτε μὴν τὸν στρατηγὸν ἑώρακα,

Exordiendi ratio ad amici reprehensionẽ, & expostulationẽ, ab effectu eius literarũ.

οὔτ' ἐκεῖνος ἐμὲ. Διὰ γραμμάτων δὲ οὐδὲ αὐτοὶ λέγουσί τι πεπέμφθαι κατὰ σοῦ. καὶ γὰρ ἦν ἄλογον, οὐδὲ μιᾶς μοὶ γεγονυίας πρός σε διαφορᾶς ἀξιοῦν κατηγορεῖν, τοῦ μηδὲν ἀδικοῦντος. ἀλλὰ φαίνονται αὐτοὶ πράξαντες. ἄτοπον γὰρ εἶεν, ὑπ' ὄψιν γενηθέντες, μή τινες σοι προσπέσοντες κατ' αὐτῶν προδιαβεβλήκωσιν. οὐδὲ εἰ εἶεν καὶ ἣν διαβολὴν φασιν, εἰ πεπίστευκας, εἰπὲ. εἰ διαμένεις οἷον δεῖ πρὸς ἐμοῦ παραγενομένου μαθήσῃ πάντα. καὶ γὰρ εἰ μὲν κατ' ἄλλων πρὸς σε πώποτε εἴρηκα, πιστὸν ἦν, καὶ κατὰ σοῦ πρὸς ἄλλους ὄρειν. προσδέχου με συντόμως, καὶ πάντα πρὸς ἔλεγχον ἄξομεν, ἵνα σὺ μὲν γνώσῃ, ὡς καλῶς με κέκρικας φίλον. ἐγὼ δὲ σοῦ πεῖραν ἔργῳ λάβω. σχεδὸν γὰρ οἱ διαβάλλοντες, ἡμᾶς μὲν συνάξουσιν, ἑαυτοὺς δὲ ἀποπνίξουσιν.

Exemplum est ἀπολογητικὸν, continens purgationem, atq; defensionem contra accusationem: quam huius libri initio posuimus, cuius summa fuit: inuitus audiui, quòd me, nescio quorum criminum, apud ducem exercitus insimulasti. At tu quidem eius ipsius iudicio, cui te adiunxisti contra me, planè rem inconsideratè credidisti. Cum scilicet ante facile scire potueris, maledicum hominem, atq; uanum esse nugatorem. Sed intelligis, ut arbitror, quid uelim: & quamobrem ad te scribam. Est enim totius negocij caput: eius te hominis familiaritate, & consuetudine delectari: cuius os, atq; uultus omnibus hominibus est inuisus. Quod tu, ut uideo, parum curas, &c. Ad hanc accusationem alter nunc respondet paulò prolixius. Propositio epistolæ est: Quòd ad te quispiam scripsit, quemadmodum apud ducem

exer-

exercitus te accusarim, propportunè accidit. Hactenus propositio, quæ continet accusationis caput. Καλῶς δὲ.) Sequitur iam altera propositio, & quidem contraria, ἀντιπρόστασις. Sed fortunæ beneficio, ad me defendendum, magna mihi argumentorum copia suppedit: quibus me tuear. Κατὰ γὰρ.) Κατασκευὴ, confirmatio στοχαστικὴ, coniecturis nitens; & posita in inficiando. Prima ratio sumpta est à persona aduersariorum, hoc est, ex illorum dicto, seu testimonio. Etenim dicunt isti me fecisse illud, recenti memoria. Imò intra spacium trium mensium, antequam ego in Alexandriam soluerim. Οὔτε μὴν.) Refutationem subijcit, à simplici conclusione: quam Græci nominant ἀπόδειξιν τεκμηριώδη. Non accusaui te apud ducem. Ratio sumitur ἀπὸ τοῦ χρόνου, à circumstantia temporis. Est enim nihil certius, quàm quòd neuter ab eo tempore est uisus. Διὰ γραμμάτων.) Aliæ rationes in ista refutatione. At potuisset ille obijcere. Quamuis in exercitu non fueris conspectus: tamen illud potuisti facere per literas, aut per alios quosdam calumniatores. Hactenus aduersarij συνέχον, seu firmamentum: sequitur ἀπόκρισις λυτική. Estq; ὑπόθεσις ualde morata, & plena humanitatis. Non enim est consentaneum, te à me, cum nulla iniuria me affeceris, falso esse delatum. Ἀλλὰ φαίνονται.) Iam instituit ἀντικατηγορίαν. Atqui isti ipsi uidenter illud fecisse. Ἄτοπον.) Subijcit continenter αἰτιολογίαν, rationem. Εἰ διαμενεῖς.) Defensionem abrumpit, & reijcit in suum aduentum. Καὶ γὰρ εἰ μὲν.) Ratio ab

antecedentibus, uim autem propositio hypothetica negationis habet. Ἐγὼ δὲ.) Sequitur deinceps conclusio munita ratione. Sed enim ego uicißim tuam fidem re ipsa experiar. Exempla apud Ciceronem sunt plurima, non solum in epistolis ad Atticum, & ad Brutum: quale est: Clodius tribunus Pl. Verum etiam in ijs, quæ nominantur familiares, lib. 2. Pulcherrimum est, Quanquam me nomine negligentiæ, &c. Est etiam exemplum ualde illustre, quod continet ἀντικατηγορίαν, recriminationem. Lib. 5. Si tu exercitusq; ualetis, &c. Lib. 12. Ita ne præter litigatores. Lib. 13. Cum antea capiebam, &c.

DE EPISTOLA VENIALI, quam deprecatoriam nominant.

CAPVT. XII.

HVIC generi purgandi se, propinqua est deprecatio, & ueniæ petitio, quam Græci uocant μεταμέλησιν, & ἀξίωμα[...]ιν. Nam postea dicemus de ἀρνητικῇ, qua negamus factum. Sed uenialis epistola est, per quam, etsi culpam fatemur: tamen nobis, uel alijs ignosci petimus. Quantum autem pertinet ad huius generis epistolarum præceptionem, Rhetores consulendi sunt: à quibus etiam omnis, & inueniendi, & collocandi, & tractandi ratio peti debet. Statum enim istud genus habet, qui dicitur στάσις συγγνωμονική:

μονικῆς: unde etiam rectè hæc epiſtola uenialis appellatur. Ergo primum κεφάλαιον, & caput eſt deprecationis, quod à Græcis ἱκέτεια appellatur, id eſt, ſupplices preces. Alterum eſt ἡ ἐξομολόγησις, confeßio. Culpam enim ingenuè fatebimur. Tertius locus eſt μείωσις. Extenuabimus enim factum, uel ab ætate, uel ab imprudentia: uel quod nunc primùm, nunquam antehac deliquerit: uel ab ipſius delicti genere. Quartus locus continet σύστασιν παθητικὴν, commendationem eius, qui peccauit, quòd pudore, dolore, metuq́; grauiter affligatur: & quod uenia, miſericordiaq́; dignus ſit. Quartum κεφάλαιον eſt, ἐπίδειξις. nam quem placare conamur, eius laudabimus clementiam. Quintum παραίτησις: eiuſdem enim clementiam identidem implorabimus: quod Cicero pro Ligario, & Deiotaro facit. Huc accedit ὑπόσχεσις, pollicitatio: cum ſpem facimus illi, apud quem intercedimus, uitæ melioris, eius qui peccauit. Sed iſta promißio non debet eſſe ἀκατάσκευος, ſine argumentatione. Debet enim reddi probabilis ex illius ipſius natura bona, & alijs rectè factis ſuperiorum temporum. Accedit huc interpoſitio authoritatis noſtræ, hoc eſt, fideiußio pro reconciliando. Reliqua κεφάλαια ſunt, μετάστασις, purgatio, & ἀντέγκλημα, translatio, ſiue criminis relatio. Nam non tantum extenuare debemus factum, ſed etiam magnam culpæ partem in alios transferre. Quæ ſententiæ habent, uel μετάστασιν, uel ἀντέγκλημα. Quantum uerò ad extenuationem pertinet facti, ibi propriè locum habet purgatio: quæ dicitur μετάθεσις τῆς

Κεφάλαια, ſeu loci deprecationis. Vide Eraſ.

αἰτίας, causæ transpositio, uel in imprudentiam, uel in ætatem puerilem, uel in casum, uel necessitatem. Ergo istæ sententiæ habent μείωσιν, extenuationem.

ΑΠΑΡΝΗΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

In defendendi genere, restant epistolæ, quæ ad statum, partim coniecturalem, partim iuridicialem referuntur. Etenim coniecturæ propria est, quæ dicitur ἀπαρνητική, inficialis; ad qualitatis constitutionem, pertinet αἰτιολογικὸς τύπος, & ἀξιωματικός: ad quas formas referuntur epistola μεταμελητική, & θεραπευτική, apud Græcos. Ἀρνητικὴν autem sic definiunt illi: ἔστι δὲ, δι᾽ ἧς ἀπαρνούμενοί τινι φαινόμεθα, hoc est, qua inficiando, aut factum aut dictum uidemur nos purgare, atq; defendere. Huius autem exemplum istud proponunt scholasticum: Οὐδὲν εἴργασμαι, βέλτιστε ἀνδρῶν, ὧν ἀδικῶς ἐγκαλεῖς μοι δεινῶν, ὅθεν * μοὶ φαῦλα φρόνει περὶ ἐμοῦ. οὐ γὰρ θέμις διαβολῇ πιστεύειν, καὶ φήμῃ ματαίᾳ, μηδὲν ὑγιὲς ἐχούσῃ. διαβολὴ γὰρ μήτηρ ἐστὶ πολέμου. Scholastica ὑπόθεσις, seu argumentum istud, est ἀπροοιμίαστον; semina duntaxat sparsa continet totius refutationis. Prima pars est ἀπάρνησις, uel ἀπόφασις, negatio, uel inficiatio obiectorum criminum. Nihil eorum, quorum me grauissimorum facinorum insimulas, commisi. Ὅθεν.) Conclusio enthymematis. Ne igitur de me tã improba suspiceris. Οὐ γὰρ θέμις.) Sequitur κατασκευή, ratio: quæ habet θέσιν, id est, locum communem, contra hominem innocentem, & calumnias aduersariorum. Neq; enim, inquit,

* Ad. ὅτι.

quit, est fas, & æquum: calumnijs credere, & uano rumori fidem adhibere; quo nihil est incertius, cum proficiscatur ab hominibus non sanis. Διαβολὴ γάρ.) Subijcitur ἐπιφώνημα τελικὸν, καὶ γνωμολογικόν: nam criminatio tanquam mater est omnis dißidij, discordiæ, atq; contentionis.

ΑΙΤΙΟΛΟΓΙΚΟΣ ΤΥΠΟΣ.

CAPVT. XIII.

SEquuntur epistolæ, quæ ad statum Qualitatis, uel Iuridicialem propriè pertinent. In quibus principem locum habet αἰτιολογικὴ: qua causas reddimus, quamobrem sit à nobis aliquid intermißum atq; neglectum obiecto impedimento; & quamobrem nunquam perfectũ iri arbitremur. Itaq; causas exponit, quæ uocantur à Græcis ἐμποδιστικὰ αἴτια, & κωλυτικά. Græci sic describunt hanc formam: αἰτιολογικὸς τύπος ἐστὶν, ὅταν τὰς αἰτίας, δι' ἃς οὐκ ἐγεγόνει, ἢ γενήσεται, σημαίνομεν, ὅτι δικαίως. Eius exemplum est illud. ἔγραψάς μοι, διὰ τάχους πρός σε διακομίζεσθαι, καὶ μοὶ δὲ τούτου μέλει. ἄπορον μέν τοι, τῷ πάντα ἡμῖν τὰ πρὸς τὸν πλοῦν ἀντιπεπτωκέναι. οὔτε γὰρ πλεῖον ἐστὶν εὑρεῖν, πρὸς τὰς λειτουργίας ἑλκυμένων ἁπάντων: οὔτ' ἂν εὕροιμεν ἀνέμων ὄντων ἐναντίων. ἐν καιρῷ δὲ τῷ μεταξὺ, καὶ εἰς κρίσιν ἐμπεπλέγμεθα. τὸν δὲ συστασθησόμενον οὐκ ἔχομεν, καὶ διεξάξοντα. πρὸς δὲ τούτοις ἠσθένηκα τῷ σώματι, ἐὰν ἅπαντα μεταπέσῃ ταῦ-

τα, ἐκδέχου. Propositio continet ἐπανάληψιν, breuem repetitionem eorum, quæ alter ad hunc scripserat: nimirum, ut primo quoq; tempore, ad se nauigare uelit. Pars altera habet ἀπόκρισιν, responsionem, & studij sui non obscuram significationem. Ostendit enim hoc sibi curæ fuisse. Απορον μέν τοι.) Αἰτιολογίαν subijcit, κατὰ μετάστασιν, per translationem, quòd scilicet dubia fuerit profectio: cum omnia contraria impedimenta sibi fuerint obiecta. Οὔτε γὰρ πλοῖον.) Hactenus ἄιτια κωλυτικὰ ἀορίστως, infinitè. Sequitur ἔκθεσις, expositio causarum impedientium, ὡρισμένως, finitè. Non enim solum, inquit, nullam fuisse facultatem: sed contra magnam difficultatem. Propterea quòd nulla fuerit nauium copia. Ανέμων ὄντων.) Sequuntur aliæ causæ, uenti contrarij: et ualetudo aduersa, quo minus se nauigationi ausus fuerit committere. Εαν ἅπαντα.) Concludit ὑποσχέσει, pollicitatione. Vbi uerò hæc omnia mutata fuerint, expecta nos.

ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

CAPVT. XIIII.

SVprà diximus de reconciliandi ratione per literas, quæ Græcis est ἐπανορθωτική, καὶ καταλλακτική: potest tamen utiliter etiam hìc considerari. Ei uicina est, quam Θεραπευτικὴν nominant. Hac enim epistolarum forma conamur offensionem omnem mitigatione

gatione tollere, & sanare. Sunt ex Græcis, qui hanc nominent generali uerbo, ἀπολογητικὴν, purgatricē. Definiunt autem eam hoc pacto: Θεραπευτικὴ δ' ἐστὶ δι' ἧς θεραπεύομεν λυπηθέντα τινα πρὸς ἡμᾶς περί τινος. Exemplum in scholis Græci istud proponunt suis auditoribus: quod dilatent studiosi pluribus uerbis, atq; sententijs: Ἐγὼ μὲν ἐφ' οἷς εἶπον λόγοις, ἢ μετῆλθον ἔργῳ. Hactenus propositio, κατ' ἐξομολόγησιν. Ergo factis, aut uerbis te offendi. Sequitur αἰτιολογία, ratio θεραπευτικὴ: qua offensum conatur placare. Τὸ γὰρ σύνολον, οὐκ ἐνόμιζόν σε ποτὲ λυπηθήσεσθαι; εἰ δ' ἐπὶ τοῖς λεχθεῖσιν, ἢ πραχθεῖσιν ἠχθέσθης: ἴσθι, κράτιστε ἀνδρῶν, ὡς οὐκ ἔτι τῶν ῥηθέντων λόγων ὅλως ποιήσομαι. Nunquam enim, inquit, te offensum iri putabam: & subijcit ὑπόσχεσιν, pollicitationem. Itaq; uir optimè, si mihi propter, uel dicta, uel facta succenses: credas mihi, uelim; me posthac illud solum daturum operam, ut amicos potius mihi conciliē factis & uerbis, quàm eos offendam. Sic enim concludit à suo consilio. σκοπὸς γάρ μοι θεραπεύειν μᾶλλον ἀεὶ τοὺς φίλους ἐστὶν, ἢ παραλυπεῖν.

ΑΞΙΩΜΑΤΙΚΟΣ ΤΥΠΟΣ.

Postremum locum apud Græcos in defendendo sibi uendicant, epistola uenialis, & pœnitens, & sunt certè inter se ita cognatæ, ut eiusdem argumenti esse uidcantur Ἀξιωματικὴν autem sic definiunt; ὁ δ' ἀξιωματικὸς (τύπος) ἐν δεήσει κείμενος, καὶ ταῖς αἰτίαις, καὶ ταῖς καλουμέναις λιτανείαις. κεῖται δὲ μετὰ παραιτήσεως ἐνίοτε.

Venialis enim, & deprecatoria epiſtola eſt in ſupplicibus precibus, & in purgatione, quæ fit cauſarum commemoratione. Conſiſtit etiam in uotis, quæ à Græcis λιτανίαι nominantur. Huic generi neceſſariò coniuncta eſt μεταμελητικὴ ἐπιστολὴ, qua oſtendimus nos delicti pœnitere. Definitur autem iſtis uerbis: μεταμελητικὴ δ᾽ ἐστὶν, δι᾽ ἧς δοκοῦμεν μεταγινώσκειν, ἐφ᾽ οἷς ὑποδεχόμεθά τινα ἐσφάλθαι. Quanquam alij ſic legunt, & corrigunt hunc locum: ἢ καὶ ἐφ᾽ οἷς ἐδεξάμεθα ἐσφάλθαι. Hac enim ſignificamus nos delicti pœnitere, præſertim ſi alterum imprudenter induximus in errorem, atque fraudem. Exemplum huius generis eſt tale: οἶδα σφαλεὶς, ὡς ἱκανῶς σε διεπραξάμην. Hactenus propoſitio epiſtolæ, quæ continet ἐξομολόγησιν, confeßionem delicti, quã Græcus iſte nominat μετάγνωσιν, quaſi agnitionem erroris. Agnoſco, inquit, errorem: & fateor, me te grauiter offendiſſe. Sequitur αἴτησις τῆς συγγνώμης, uel παραίτησις, deprecatio, & ueniæ poſtulatio, διὸ μεταγνοὺς ἐπὶ τῷ σφάλματι, συγγνώμην αἰτῶ μεταδοῦναί μοι ταύτης μὴ ἱκατονήσῃς. Itaque cum delictum agnoſcam, & me facti pœniteat: peto abs te, ut liceat ueniam peccati mihi apud te impetrare. Δίκαιον γὰρ.) Κατασκευὴ, ratio, ab honeſto, γνωμολογικῶς: qua epiſtolium dilatandum ueluti obſignat. Concludit epiſtolam pulcherrima κατασκευῇ, & grauißima ſententia. δίκαιον γάρ ἐστι συγγινώσκειν πταίουσι τοῖς φίλοις, ὅτε μάλιστα καὶ ἀξιοῦσι συγγνώμης τυχεῖν. Iuſtum enim eſt, amicorum erroribus ignoſcere; præſertim ſi ignoſci ſibi poſtulent. Ἀξιωματικῆς,

τινῆς ἐπιστολῆς ἀνώνυμος alter hoc exemplum subijcit: ἐπιτετίμηκα τῷ δεῖνι, περὶ ὧν εἰς σε διαπέπραχται. Hæc propositio est, quæ habet formam narrandi, τῆς ἀφηγήσεως. Grauiter succensui isti, postquàm audiui, te ab illo iniuria esse affectum. Subijcit αὔξησιν, amplificationem, καὶ πικρότερον ἢ προσῆκεν αὐτῷ διηνέχθην: & acerbius quàm æquitas postulabat, cum eo expostulaui. καὶ σχεδὸν μᾶλλον ἁπάντων, ἢ ἂν αὐτὸς ὑπὲρ σαυτοῦ διελέχθης. Et propemodum uehementius, quàm tu ipse tuo nomine fuisses facturus. Sequitur ἐξομολόγησις, culpæ confeßio. ἀλλὰ ἐμοὶ τὴν αἰτίαν ἀντίθες, εἰς τὸ πάλιν συνάξαι. Quocirca in me culpam transferas uelim: ut in gratiam tecum redeat. Deinceps ratio, αἰτιολογία, quæ continet ἔπαινον, laudem illius ad quem scribit. οἶδα δέ σε καὶ χρήσιμον ὄντα, καὶ τοῖς φίλοις χαριζόμενον. Mihi enim probè perspectum est; te non solum uirum esse bonum; uerum etiam libenter te amicis tuis gratificari. Demum concludit ἀξιώσει, petitione: ab Homeri authoritate: ὁλοσχερῶς οὖν ἀξιώθητι, κατὰ τὸ ὁμηρικόν. δάμασον θυμὸν μέγαν ὃ δὲ ἔχρη * νηλεὲς ἦτορ ἔχειν, στρεπτοὶ δὲ καὶ θεοὶ αὐτοὶ Omninò igitur, inquit, ueniam illi concedito: &, ut est apud Homerum; Vince iram, cœptos cohibeto furores. Vota mouent superos, turpe implacabile pectus. Ergo finis est ἠθικὸς, moratus, propter παραίνεσιν γνωμολογικήν. Est enim adhortatio ad mansuetudinem, hoc est, lenitatem, atque misericordiam. Differt autem à superiore exemplo; quòd illud fuit πρωτοπρόσωπον. Nam suo nomine delicti ueniam petijt. * Al σὲ χρή.

petijt. Hoc autem est τριτοπρόσωπον, propterea quòd pro altero intercedit: non pro ſe, ueniam culpæ deprecatur.

EXTRAORDINARIA EPISTOlarum genera.

CAPVT XV.

Reliquæ, apud Græcos, & Latinos ſcriptores, epiſtolarum formæ ſunt: quæ ad tria cauſarum genera non poſſunt, ut ſuperiores aptè referri: eãque ob rem extraordinariæ à nonnullis appellãtur, ab alijs familiares ſolent cognominari: ideò fortaſſis, quòd crebrior earum, in omnes uitæ partes, uſus ſit: quàm ferè ſuperiorum generum: de quibus hactenus in deliberatiuo, demonſtratiuo, & iudiciali diſſeruimus. Quanquam & illarum magnus frequensq; eſt apud literatos uſus. Ad hunc uerò ordinem referunt nonnulli epiſtolam percontantem, mandantem, collaudantem, gratias agentem, lamentantem, gratulantem, conciliantem, officioſam præterea nunciantem, iocantem, & diſputatricem epiſtolam. Sed nos de prioribus illis octo, ſententiam noſtram, & aliorum explicauimus, in ſuperioribus libris Reſtat igitur, ut de tribus poſtremis dicendum eſſe uideatur: περὶ ἐπαγγελτικῆς, σὺν τραπέζῃ, καὶ περὶ τῆς διαλεκτικῆς: quibus Græci adijciunt διδασκαλικὴν, σκωπτικὴν, εἰρωνικὴν, αἰνιγματικὴν, καὶ ἀλληγορικὴν.

DE

DE EPISTOLA NVNciante aliquid.

Primum igitur de nunciatione, quam Græci nominant ἐπαγγελτικήν; in scholis nunciatoriam uerterũt. Hanc autem sic definiunt illi: Ἐπαγγελτική ἐστι, δι᾽ ἧς ἐπαγγέλλομεν τι τῶν συμβάντων πραγμάτων. Hac enim epistola certiorem reddimus alterum, de ijs rebus, quæ acciderunt, seu quæ gestæ sunt apud nos, uel alios. Hoc genere literarum nullum est crebrius. Nam cum nouarum rerum simus cupidi: fit, ut cum aliâ nihil habemus, quod scribamus ad amicum: petamus, ut de nouis rebus nos certiores faciat: aut idem nos faciamus ab illo rogati, ut si quid noui habeamus: ad se diligenter, & accuratè perscribamus. Ex qua descriptione Græcorum, constat hanc quoq; formam epistolarum esse τῶν πρός τι. Etenim ἐπαγγελία, nunciatio est τοῦ ἐπαγγελτοῦ πράγματος, rei nunciandæ nunciatio, hoc est, expositio, atq; narratio: qua certiores reddimus absentes, non solum, de priuatis quibusdam rebus: quæ etsi nos non attingant: tamẽ propter communem utilitatem, ad nos pertinere uidentur. Ergo fundamentum, & ἀντιστρέφον huius epistolæ est, res nuncianda, & ut Græci loquuntur τὸ ἐπαγγελτὸν πρᾶγμα. Terminus autem, qui finem ostendit, atq; officium, est ἐπαγγέλλεσθαι, hoc est, nunciare, seu exponendo, atque narrando res nouas, alterum certiorem reddere. Iam ad fundamentum pertinent res nunciandæ, siue illæ sint priuatæ, siue publicæ. Prioris generis

Quid sit ἐπαγγελτικὴ ἐπιστολή.

sunt

Ἔνδειξις, ἢ δήλωσις, est rerum, quæ nūc fiunt, & geruntur; πρόρρησις gerendarum, & futurarum.

ſunt cum alia multa negocia priuata, & domeſtica: tum uerò etiam illa, quæ Eraſmus eruditè annotauit. Verbi gratia: ut, cum abſentem amicum certiorem reddimus, qua ſimus ualetudine præditi: quibus in ſtudijs ſimus occupati, quid rure agamus, quid in urbe: quid in aula ceſſerimus: item, quid domi, in foro, in controuerſiis, & litibus noſtris actum ſit: item, quid nouarum rerum præterea nos inſtituerimus, & ſi quid generis eſt eiuſdem. Poſterioris generis ſunt illa: cum ſcilicet ad alterum, quem certiorem cupimus facere, ſcribimus, uel de pace, uel etiam de bello, uel de regum aliquorum geſtis rebus, de fœderibus, electionibus, & nuptijs illorum, uel denique de peſtilentiæ lue, & fame graſſante alicubi: uel de inundationibus, uel tempeſtatibus inuſitatis, & terræmotibus, ſimilibuſque rebus. Genus illud literarum magnam habet uarietatem, propter res, quas per epiſtolas, uel nos ſolemus alijs, uel alij nobis nunciare. Quæ ποικιλία negociorum in cauſa eſt, ut certa nunciandi uia, atque ratio præceptis tradi non poſſit. Quantum ad methodum tamen, & genus orationis pertinet: omnibus conſtat, nunciationem contineri perpetua ferè narratione: quæ dicitur συνεχὴς ἀπαγγελία. Quanquam propoſitione interdum etiam conſtat, cui κατασάσει continenter ſubijcitur ὑποδιήγησις. Sed multò maxima ex parte eſt καταδιηγητική, cum aliqua cauſa continetur perpetua expoſitione. Quanquam non tantum eſt μονοειδὴς, καὶ ἄμικτος, uniuſmodi, & pura: uerum etiam, ut apud Ciceronem uidere eſt, ſæpenume-

rò

τὸ ἐμμιγὴς, mixta. Non enim rarò adiungitur alia huic epistolarum forma: ut, rogatio, consolatio, cohortatio, gratulatio, ut gratiarum actio: & si quod est aliud genus, quod cadit in epistolam. Dicendi genus, & character, seu stylus nunciatoriæ epistolæ est non solum σύντομος breuis, & σύνκρινὴς, distinctus: sed etiam ἀφελὴς simplex, & σαφὴς, dilucidus. Itaque non multum desiderat Rhetorici artificij. Hoc enim cum primis efficere studet, ut amico significet, si quid gestum sit nouarum rerum apud nos; quod uel illius scire referat, uel quod illi aliquam allaturum sit uoluptatem. Græci breuißimum exemplum istud subijciunt suæ definitioni: Πολλὰ δεινὰ τῇ νῦν ὑφ᾽ ἡμῶν οἰκουμένῃ συμβέβηκε πόλει. πολέμου γὰρ αὐτὴν ἐμφυλίου κατειληφότος, τὸ πλεῖστον αὐτῆς ἐξηφανίσθη, ὡς μηδὲν διαφέρειν τῆς σκυθῶν ἐρημίας. Exemplum istud habet κατάστασιν, propositionem, sed ἀόριστον infinitam. Multa, inquit, aduersa nostræ ciuitati, hoc tempore acciderunt. Hactenus propositio, sequitur ipsa ἀπαγγελία, narratio ἐπαγγελτική, nuncians hæc ipsa συμβάντα πράγματα, sed δεινὰ πολλά. Est enim nunciatio etiam rerum lætarum, quæ uoluptatem adferunt legenti. Nam inquit, ciuili, atque intestino bello, & domesticis seditionibus multò eius maxima pars uexata, atque oppressa est: & ita deleta, atque extincta: ut à conspectu hominum euanuisse, & ut nihil à uasta Scytarum solitudine differre uideatur. De re graui in ista breuitate etiam grauiter scribit. Nam utitur πληθυντικῷ σχήματι: non enim inquit,

ἓν δεινὸν, sed πολλὰ δεινὰ, & additur πάθος, motus animi, qui est misericordiæ: quod ista acciderint aduersa nõ alteri Reipubl. sed suæ ciuitati, quam hoc tempore incolunt. Deinde grauiora, quæ subijciuntur de intestino bello, quod à Plutarcho etiam nominatur ἐμφύλιος πόλεμος. Propterea quod inter tribules geratur, ideoq; inter ciues, & inter domesticos, & propinquos. Iam ὑπερθετικὸν illud τὸ πλεῖον, scilicet, μέρος, magnam habet ἔμφασιν. Ostendit enim plerosq; ordines populi hoc ciuili dißidio interijsse, & è medio sublatos esse: ut tanquam ex oculis hominum euanuerint. Hoc enim significat uerbum ἐξαφανίζεσθαι ἐξ ἀνθρώπων. Itaq; Græci hanc uastitatem Reipubl. ἀφάνισιν nominant, & ἀφανισμόν. ὡς μηδὲν δίχα) ἐπιφώνημα continet exaggerationem rei indignißimæ. Nam utitur breui comparatione, qua Reipub. labefactatas partes, imò tenues reliquias quasdam, cum uasta Scytarum solitudine componit. Apud Cic. inter exempla propè infinita, sunt illa maximè insignia: quæ Des. Erasmus annotat: cuiusmodi est, lib. 4. fam. Etsi scio non iucundißimum nuncium, &c. Et septima, cuius initium est: Si te dolor aliquis, &c. Libro 8. ista: Tanti non fuit, &c. Et, lib. 9. Caninius noster me tuis, &c. Interdum Cicero nunciat suis res quasdam, quæ risum mouere possunt. Paucæ tamen apud eum sunt epistolæ huius generis. Sunt qui ad hanc epistolam referant ὀρωτηματικὴν, sciscitantem, & percunctantem, qua nihil aliud agimus, quàm ut sciscitemur, quid rerum agat amicus noster. Sed differt à nunciatione, quòd percontatio ante-

Ἐξαφανίζομαι ἐξ ἀνθρώπων, è cõspectu hominum euanesco. Ἀφάνισις, ἢ ἀφανισμὸς, est exitus, interitus, è medio sublatio.

cedit. Nunciatio autem hanc ſequitur tanquam ἀντιγρα-φὴ, reſponſio, & ἀντεπισταλτικὴ epiſtola. Sed de hac nos etiam ſupra quædam diximus.

DE EPISTOLA IOCANTE.

CAPVT. XVI.

HActenus de ijs epiſtolis, quæ à Græcis nominantur σπουδαῖαι, quibus ſeriò agimus cum ijs, ad quos ſcribimus. Sequitur epiſtolæ ea ſpecies, quam uulgus iocoſam nominat, Græci εὐτράπε-λον καὶ ἀστεῖον. Solet enim interdum admiſceri liberalis quidam iocus, & lepos omni epiſtolarum generi: Maximè uerò ubi cauſa, resq́; ipſa illud patitur. Ac Cicero in iocando, in leporibus, & ſalibus quantum præſtiterit, ex ipſius epiſtolis cognoſci poteſt. Eſt tamen diligenter cauendum: ne iocus iſte ſcurrilitati proximus ſit: id quod fit, ſi immodicus eſt, ac ſolutus. Ergo abeſſe debet ab hoc genere omnis βωμολοχία, quæ contraria eſt urbanitati. Debet enim argutus eſſe iſte lepos, hoc eſt, cum prudentia, comitate, atq; humanitate coniunctus. Ex Demetrio Phaleræo de hoc genere literarum, libro de charactere epiſtolico diſſeremus: quarum proprius eſt ἱλαρὸς χαρακτὴρ, læta, & hilaris epiſtolarum forma: & Cicero in 2. de Orat. locos facetiarum, & dicacitatis nobis commonſtrauit: & Quintil. in cap. περὶ τοῦ γελοίου, poſt M. Tullium eruditè præcepit. Ergo uidendum

est, ut iocus epistolaris sit non solum liberalis; uerum etiam tempestiuè aspersus, & aptè adhibitus. Sic enim sæpè plus ponderis, atque momenti habet, quàm seria oratio. Nam & hîc decori diligenter omnis est habenda ratio.

Exempla iocosæ epistolæ paßim apud Ciceronẽ reperiuntur, in utroq; uolumine. Sed quæ ad C. Trebatium Iureconsultum scriptæ sunt, ferè excellunt, cuiusmodi inter alias est, septima lib. fam. In omnibus meis. Et illa: Legi tuas literas. Item ista: Nisi ante Romæ, &c. Deniq; illa: Mirabar, quid esset. Nonus liber continet festißimum exemplum, huius initium est: Non tu homo ridiculus es. Cuius generis sunt etiam aliquot insequentes, ut illa: Accubueram, &c.

DE ALIIS FORMIS IOCOSARUM LITERARUM.

CAPVT. XVII.

GRæci huc σκωπτικὴν referunt, seu irridentem. Est autem de hac supra in genere uituperandi explicatum. Huc igitur & illa non incommodè referri potest, quæ appellata est παραλογισμὸν, despiciens: sed & de hac eodem in loco est dictum. Propriè uerò huc referunt τύπον εἰρωνικὸν, hoc est, formam epistolarum fictarum & dißimulantium. Græci autem ad hunc modum definiunt: εἰρωνική ἐστιν, ὅταν ἐναντίοις πράγμασιν ἐναντία λέγωμεν, καὶ τοὺς κακοὺς ἀγαθοὺς λέγομεν.

γομεν. Cum rebus uitiosis, et malis contraria tribuimus, κατ' ἀντίφρασιν, ac hominibus improbis, atq; sceleratis nomen bonorum uirorum attribuimus, per simulationem. Itaq; rectè nominatur εἰρωνικὸς τύπος epistolarum. Exemplum Græcus ἀνώνυμος, fortè Libanius sophista, illud dat: ἀπόδειξαι τὴν πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν, ἣν ἐν παλαιῶν χρόνων εἶχες. Hactenus propositio, quæ de principio uidetur esse eius, qui seriò loquitur. Sed omnia, per contrarium, seu ἀντίφρασιν, sunt intelligenda. Quam tu, inquit, beneuolentiam erga nos superioribus annis, scilicet, constanter declarasti: eandem in posterum uicißim à nobis expecta. Sequitur igitur ratio: οὐ γὰρ λέληθεν ἡ καλὴ σοῦ, καὶ ἀγαθὴ προαίρεσις. Qualis autem est πρότασις, talis etiam est κατασκευὴ, ratio propositionis, uidelicet ἀντιφραστική. Neq; enim, inquit, latet nos tua illa, si dijs placet, præclara erga nos uoluntas, atq; studium. Et huic rationi subijcitur eiusdem generis confirmatio. Διότι τὸ κατὰ σαυτὸν μόρος εἴρηκας ἡμᾶς. Argumentum est à signo, hoc est, à promißis. Siquidem pro uirili tua parte nobis omnia liberaliter pollicitus es: quorum tamen nihil omninò præstitisti. Iam sequitur pro pollicitatione ἔκπληξις. ἐὰν δὲ τῶν ἴσων τυγχάνῃς μὴ δυσφόρει. Quod si parem tibi reponemus gratiam, & par pari referemus: non erit, quod iniquo animo id ferre debeas. Rationem subiungit: πέπεισμαι γὰρ, ἂν οἱ θεοὶ θέλωσι, καιρὸν ἕξειν, οἷον συνοήσεις καθ' ἡμῶν οὐδέποτε. Omninò enim persuasi sumus, diuino annuente nu-

mine:nos occasionem peropportunam nacturos, referendi tibi talem gratiam; qualem tu nunquam erga nos declarasti. Quidam Græcorum sic definit hanc epistolam: εἰρωνικὴ ἐστι, δι᾽ ἧς ἐπαινοῦμεν τινα ἐν ὑποκρίσει παρὰ τὴν ἀρχήν; ἐπὶ τέλει δὲ τὸν ἑαυτὸν σκοπὸν ἐμφαίνομεν, ὡς καὶ τὰ ῥήματα καθ᾽ ὑπόκρισιν εἰρήκαμεν. Hac enim statim in uestibulo dißimulanter aliquem laudamus, in extrema autem epistolæ parte, atq; clausula, significamus: quemadmodum ad speciem seriæ orationis, omnia dixerimus ficte, & simulanter. Pulcherrimum exemplum istud est huius formæ apud Græcos: λίαν ἄγαμαι τὴν σὴν ἐπιείκειαν. Hæc est propositio; Suprà modum, inquit, & admiratus sum, & amaui humanitatem illam tuam, summa cum modestia coniunctam. Sequitur ἔμφασις, quæ ostendit hæc dicta fuisse per simulationem. ὅτι οὕτω ταχέως μεταβάλλῃ ὑπ᾽ εὐνομίας εἰς τὸ ἐναντίον. Quod tam subitò à tanta uirtute, in contrarium es mutatus, nimirum à legum obedientia & obtemperantia. Addit ἐπανόρθωσιν, correctionem. Generale enim uerbum est, τὸ ἐναντίον; ergo illud explicat per speciem, τῇ εὐνομίᾳ, contrarium est ἀνομία, qua quis legum habenas laxat: ijsq; non obtemperat, sed uiolat: quam μοχθηρίαν appellat, nequitiam consceleratam. Deinceps clarius explicat hanc μοχθηρίαν: οὐ δ᾽ ἔοικεν, οὐ τοὺς ἐχθροὺς φίλους ποιεῖν παρασκευάσας, ἀλλὰ τοὺς φίλους ἐχθρούς. Non enim, quemadmodum conueniebat, ex hostibus amicos tibi paras: sed contrà eos, qui amici tibi hactenus fuerunt: illos ipsos tua improbitate facis tibi inimicos.

Sic enim uidetur iste locus corrigendus: ὃ οὖν (ὡς ἔοικεν) τοὺς ἐχθροὺς, &c. Sequitur clausula, per ἐπιφώνημα. τὸ δὲ δρᾶμα δέδειχεν, ὡς καὶ φίλοις ἀνάξιον, καὶ τῆς σῆς * παροινίας ἐπάξιον Quod factum te arguit, atq; conuincit. quàm tu amicis rem indignam facias. Tua uerò dementia rem longè dignißimam. Ex quibus perspicuum est, hanc epistolam, si quis argumentum rectè consideret (quoniam siumlatam laudationem initio, & postea apertam uituperationem habet) non referri posse ad generis demonstratiui formas.

*Al. παρανοίας.

ΑΙΝΙΓΜΑΤΙΚΗ, perobscura.

CAPVT XVIII.

Vicinæ superioribus sunt, αἰνιγματική, καὶ ἀλληγορική. Priorem sic definiunt: αἰνιγματική ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς ἄλλα μέν τινα λέγεται, ἄλλα δὲ ὑπονοεῖται. Est enim, per quam alia dicuntur, alia autem subintelliguntur. Exemplum breuißimum illud subijciunt: Ἐστι τὸ λεγόμενον περί τινος ὑπάνδρου. λέγει οὖν, φυλάττου μὴ τὴν ἀλλοτρίαν γυναῖκα ἐγκύμονα ποιήσας. Δίκην (Al. δίκη) περιπέσῃς. οἱ γὰρ τὴν ἀλλοτρίαν γῆν γεωργοῦντες, δίκαις οὐ μικραῖς περιπίπτουσι. Habet monitionem: Caue, ne alterius uxorem prægnantem facias; pœnamq; tibi accersas. Sequitur ratio: Qui enim alterius agrum colit, graue supplicium incurrit.

ΤΥΠΟΣ ΑΛΛΗΓΟΡΙΚΟΣ.

Græci hanc non inscitè superioribus annumerarunt, quæ forma epistolarum continet, ut Cicero alicubi nominat inuersionem. Est autem ἀλληγορικὸς τύπος ἐπιστολῶν, ὅταν πρὸς ὃν γράφομεν, αὐτὸν εἰδέναι βουλόμεθα μόνον, καὶ ἑτέρου πράγματος εἰκόνα σημαίνομεν. Hac enim epistolarum forma scribimus ad alterum, quem solum uolumus à nobis intelligi: ideoq; alterius cuiuspiam rei tanquam simulachrum, atq; imaginem in nostris ad illum datis literis adumbramus. Exemplum istud à Græcis subiungitur: Ἀκούω τὸν πρός σε ἀγωνισάμενον ἀθλητὴν, γυμνὸν ἔξω τῶν πυλῶν ἐν σκοτεινῇ, κατοικεῖν οἰκήματι. Hæc est propositio, ducta à narratione. Audio, inquit, istum, qui tecum proximis diebus certamen inibit: nudum, & inermem se in obscura quadam, & tenebricosa casula uix continere. Hactenus narratiuncula, quæ pertinet ad aduersarij, uel Athletæ contemptum. Iam subijcit obscurè admodum cõclusionem. κρατήσεις δὴ πάντως. Omninò igitur uictoriam abs tuo aduersario reportabis. Allegoria in illo est, quod non scribit expreßè. Intelligit autem, aduersarium periturum. οὐ γὰρ ἐσήμηνεν ὅτι ὑφείληφεν αὐτοῦ τὸν ἀντίδικον ἀπολωλέναι. Græci hanc obscuram significationem nominant ὑπόληψιν. Iidem aliud huius generis subijciunt exemplum. ὡς ἑτέροις ἀπειλῶν ἔγραψεν. Οὐ βούλεσθε παύσασθαι, ἕως ἂν ἴδητε τοὺς τέττιγας ἐπὶ τῶν βώλων ᾄδοντας. Quendam, inquit, aduersarijs grauißimè com-

minatum esse, & de suo inimicorum exitio in hanc sententiam scripsisse. Non ultis conquiescere, antequam ad glebas stridentes cicadas conspiciatis. Allegoria in illis uerbis est, quibus indicare uult: Hostes non prius quieturos, quàm agrum omnem suum uideãt suffossum, atq; euersum. Græci sic interpretantur hunc locum; οὐ βούλεσθε παύσασθαι, ἕως ἂν ἴδητε τὴν χώραν ὑμῶν κατεσκαμμένην, καὶ δενδροτετμημένην. Δι' ἄλλο γὰρ πράγματος, ἄλλο πρᾶγμα σημαίνει. Cicadæ enim nisi lignis, murisq; omnibus amotis, in agro uersari non possunt. Ex alia igitur re, significare uoluit aliam.

ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

CAPVT. XIX.

Restant ad extremum tres formæ adhuc, apud Græcos epistolarum, quas διαλεκτικὰς nominauimus; propterea quod propriè ad Dialecticos, & Philosophos spectare uidentur: quorum est disputare, interrogare alterum de quodam proposito, aut de eadem quæstione, atq; problemate percontanti, atq; sciscitanti respondere. Reperiuntur enim apud illos, ἐρωτηματική, διδασκαλική, & quã διαλεκτικὴν generali uerbo nominant. Ac sæpenumero homines docti disputant, ultrò citroq; missis literis, de ea controuersia, de qua inter ipsos non admodum conuenit. Sed hoc genus literarum propter admirabilem uarietatem,

non poteſt certis præceptis comprehendi. In Dialecticis autem aperti loci inueniuntur, & explicata methodus, atq; tractatio. Huius exemplum eſt breuiſſimum, apud Ciceronem lib.7. cuius initium eſt; Illuſeras heri inter ſcyphos, &c. In hac tamen breuitate, multum eſt iocorum, & ſalium. Libro 9. extat διαλεκτική; Amo uerecundiam, &c. Sed exemplum Rhetoricum pulcherrimum eſt, quod ſubiectum eſt Rhetoricæ Phil. Melanthonis. eſt autem Ioannis Pici Mirandulæ, ad Hermolaum Barbarum: & Franciſci Vinarienſis, id eſt, Philippi Melanth. nomine Hermolai: qua reſcribit epiſtolæ Mirandulæ.

ΕΡΩΤΗΜΑΤΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Græci hanc ita definiunt: ἐρωτηματική ἐστι, δι᾽ ἧς ἐρωτῶμέν τινα περὶ τινος, ἀγνοοῦντες ἐπὶ τῷ τὴν ἐπιστήμην ἐντυχοῦσαι παρ᾽ αὐτοῦ τοῦ ζητουμένου. Etenim hac percontamur aliquem de eo, quod ignoramus, ut dubitationem noſtram ſua reſponſione tollat: & hac ipſa reddamur doctiores. Propria igitur hæc epiſtola Dialecticorum eſt, propterea quòd diſputatorum alter interrogat alterum de quadam re propoſita. quod eſt Græcis ἐρωτᾷν τινα περὶ τινος, ſcilicet ζητουμένου. Sed interrogator plerunq; eſt ἀγνοῶν, adhuc dubitans de rei propoſitæ certitudine, atq; euidentia. Finis autem eſt ἐντυχία, hoc eſt, ut conſequatur id, quod omni diſputanti debet eſſe propoſitum: cuiuſmodi eſt ἡ ἐπιστήμη τοῦ ζητουμένου, ἢ προβλήματος,

ματος, cognitio, atque ſcientia eius: de quo antè dubitabatur. Proponunt autem hoc exemplum: Πολλὴν ζήτησιν εἰσενεγκάμενος περὶ τόδε κεφάλαιον, καὶ μὴ κατειληφὼς αὐτοῦ εὕρεσιν, δίκαιον ἡγησάμην διὰ τοῦδε τοῦ πρὸς ἡμᾶς ἐρωτηματικοῦ ῥήματος τὴν ἐπιστήμην τοῦ ζητουμένου παρ᾽ ὑμῖν ἐντυχῆσαι. λοιπὸν ἀξιοῦντι μηδαμῶς ἀποκνήσηται παρασχέσθαι τὴν χάριν, καὶ ἐπιστῆσαι τοῦ ζητουμένου. Exemplum eſt infinitum, conſtans ἀφηγήσει, narratiuncula: & ἀξιώσει, petitione. Initiò oſtendit ſe in quæſtione hac, uel illa diu, multumq́; occupatum fuiſſe: nondum tamen ea adhuc inueniſſe, quæ ad eius explicationẽ ſunt neceſſaria. Itaq; ab illo hanc expectandam duxiſſe. Quare ſe rogare, ut non grauetur in hoc ſibi gratificari; & ſciſcitantem erudire.

ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΚΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ.

Hæc epiſtola ad docendum eſt directa, & præcepta continet ἠθικὰ, & θεολογικὰ, hoc eſt, leges honeſtas ad uitam inſtituendam, moresq́; conformandos, & ad pietatem colendam pertinentes. Græci eius definitionem & exemplum breuiſsimum, ueruntamen ſententioſum, & graue, ſubijciunt. Definitio eſt: διδασκαλικὴ ἐπιστολή ἐστι, δι᾽ ἧς διδάσκομέν τινα περί τινος. Hac enim alterum docemus, & inſtruimus ſalutaribus præceptis: ad res, quæ ad humanæ uitæ conformationem pertinent. Exemplum autem illud eſt apud Græcum ſcriptorem: μὴ νόμιζε τῶν συμβαίνοντων σοι δεινῶν αἴτιον τὸ θεῖον γεγενῆσθαι. Hactenus propoſitio epiſtolæ, quæ uidetur ini-

tio fuisse παραμυθητική, consolatoria: cuius hæc pars est θετική, continens locum communem, de causa peccati: quæ nequaquam Deo imputari, uel ascribi debet. Nõ, inquit, existimare debes, numen diuinum ijs, quæ tibi aduersa acciderunt, authorem ullo modo extitisse. Hactenus ἀπόφασις, inficiatio. Deum nequaquam causam esse malorum; sed, ut Theologi dicunt, pœnæ, non autem culpæ. Sequitur κατασκευή, ratio, à Dei quasi persona, eiusq; natura. πανταχοῦ γὰρ τὸ θεῖον ἐλεύθερον κακῶν ὑπάρχει. Etenim Deus ubiq; locorum, immunis, & liber est ab omnibus malis. Huic subiungit ἐπικατασκευὴν, rationis confirmationem. τὸ γὰρ τοῖς ἄλλοις φεύγειν τὰ κακὰ παρακελευόμενον, οὐκ ἂν αἴτιόν τινι ποτὲ κακίας γένοιτο. Nam qui alijs præcipit, ut mala fugiant: is nequaquam author mali est censendus. Sed huius generis frequentißimus usus est, maximè apud eos: qui inter se, arctißimo amicitiæ tanquam fœdere, sunt coniuncti. Sic igitur scribunt Episcopi ad ecclesias suas: parẽtes ad suos liberos: propinqui ad suos cognatos: præceptores ad suos discipulos, deniq; amici ad suos amicos perturbatos, et afflictos: aut in aliquo tetro errore uersantes. Atq; hæc sunt apud Græcos, epistolarum genera: quæ reperire potuimus: suntq; incertorum authorum. & tametsi enumerata, definita, & exemplis confictis aliquo modo sunt illustrata: tamen distributa suis generibus, proprijs partibus distincta, peculiari cuiusq; tractatione explicata ab illis non sunt. Nostra ætate tamen cum ab alijs, tum uerò in primis ab Erasmo Roterodamo nostro multorum ἐργασία

γαρία est indicata: quam in his libris, in plerisque sequi placuit. Reliquum est, ut studiosi elegantis, & disertæ, hoc est, Tullianæ scriptionis, hæc quæ tradidimus hactenus ἀμαθέστερον, καὶ σαφέστερον, ad usum transferant, hoc est, ad epistolas conscribendi rationem, & consuetudinem applicent. Sed scriptionem lectio præcurrere debet epistolarum Ciceronis: in quibus argumentum, genus causæ, & cuiusq; generis formæ partes propriæ, & peculiaris tractatio, debent obseruari. Obseruationem proximè sequitur illorum, quæ doctrina duce, cónute autem nostra industria, animaduertimus, huius artificij epistolaris, annotatio, & delineatio, ad imitandum proposita. Hoc enim imitatoris officium est: alterius scriptoris uirtutes obseruare; obseruatas annotare: annotatas ἀποσχηματισμοῖς, seu figuris suis delineatas ante aspectum constituere: ut inter scribendum, semper nostræ menti, et sensibus obuersentur: quibus impellamur, ut imitãdo effingamus epistolam talem: qualem uix meliorem efficere nos, uel addendo, uel detrahendo, uel immutando, posse uideamur.

ΤΕΛΟΣ.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

IN-

INDEX CAPITVM
Libri Primi.

I. Quid sit epistola, quot eius genera, atq; formæ: et quæ huius facultatis præcipuæ sint commoditates.

II. De causis Epistolarum, earumq; alijs quibusdā partitionibus.

III. Tractatio singulorum generum, & primum de generis deliberatiui, ac suasorij formis.

IIII. De genere Epistolarum συμβουλευτικῶν, uel προτρεπτικῶν: quibus consilij expedita continetur ratio.

V. De Cohortatione.

VI. De tractatione sententiarum, in suasorio, et cohortatorio literarum genere.

Tractatio sententiarum, quæ à Græcis nominantur φοβεραὶ, quæ metum incutiunt.

VII. Tractatio sententiarum, quæ ad impellendum pertinent, & cohortandū: cuiusmodi sunt φιλητικαὶ.

VIII. Tractatio sententiarum, quæ mouent, atq; impellunt animos eorum, ad quos scribimus, sumptarum ab expectatione amicorum, & necessariorum eorū, ad quos scribimus.

IX. Tractatio sententiarum earum, quæ superioribus affines sunt, & proximæ: & petuntur ab æmulatione, atq; inuidia.

X. De sententiarū, quæ à laude ducūtur, tractatione.

XI. Exemplum epistolæ cohortatoriæ, quæ est Ciceronis, ad Q. Fratrem, post longam suasionem, atque commo-

commonitionem.

XII. *Exempla rationis suadendi, & literarum συμβουλευτικῶν, καὶ προτρεπτικῶν.*

XIII. *Exemplum secundum προτρεπτικὸν, eiusdem argumenti, & uniusmodi.*

XIIII. *Tertium exemplum προτρεπτικῆς, seu suasoriæ epistolæ, eiusdem argumenti.*

XV. *Exemplum suasionis quartum, eiusdem generis, & argumenti.*

XVI. *Quintum exemplum.*

XVII. *De epistola respondente.*

XVIII. Τύπος ἀποφαντικός.

XIX. *De literarum dissuadentium, & dehortantium genere.*

XX. *De ratione ad dissuasionem respondendi.*

XXI. *De literarũ genere, quod appellatur ἀναθετικόν.*

XXII. *De ratione petendi aliquid per literas.*

XXIII. *De commendatitia epistola.*

XXIIII. Ἐπιστολὴ προσφωνητική.

XXV. *Alia ratio, ac uia respondendi, uel ad ἀντεπισταλτικὴν commendatitiarum, uel ad præstita à nobis commendato officia.*

XXVI. *De ratione alterum per literas consolandi, siue de epistola consolatoria.*

XXVII. *De admonendi genere.*

XXVIII. Ἐπιστολὴ ἀποφαντική.

XXIX. *De ratione conciliandi, quæ προσαλιτικὴ dicitur.*

XXX.

XXX. De officiosa.
XXXI. De reconciliatoria.
XXXII. De literis, quibus optamus quippiam.

INDEX CAPITVM Libri Secundi.

I. De generis deliberatiui epistolis, & primùm de ἐπαινετικῇ.
II. Ψεκτικὴ ἐπιστολή.
III. De gratulandi genere.
IIII. De ratione gratias agendi per literas.
V. Επιστολὴ ἐκφραστική, qua laudandi gratia, describimus aliquam, uel personam, uel rem.
VI. De personæ laudatione, & descriptione.
VII. De ratione laudandi, uel describendi res, & primùm de laudatione regionis alicuius.
VIII. De ratione laudandi urbes.
IX. De alicuius ædificij, aut domus, aut horti, aut etiam uillæ, seu prædij laudatione.
X. Ratio laudandi montes.
XI. De laudatione rerum, factorum, & animantium.
XII. Factorum, uel rerum gestarum laus, τῶν καλῶς πεπραγμένων ἐπίδειξις.
XIII. De alijs quibusdam epistolarum generibus uituperationi subiectis, & primùm de epistola παραλογιστικῇ.

IN-

INDEX CAPITVM Libri Tertij.

I. De generis iudicialis epiſtolarum formis.
II. De ratione accuſandi per literas.
III. Ἐλεγκτικὴ ἐπιστολή.
IIII. Ἐπιτιμητικὴ ἐπιστολή.
V. Μεμπτικὴ ἐπιστολή.
VI. De expoſtulandi ratione.
VII. De epiſtola inuectiua.
VIII. De epiſtola, quærelationem criminis habet.
IX. Σχετλιαστικὴ, καὶ ὀδυρτικὴ, querula.
X. De genere epiſtolarum Apologetico.
XI. De epiſtola ueniali, quam deprecatoriam nominant.
XII. Αἰτιολογικὸς τύπος.
XIII. Θεραπευτικὴ ἐπιστολή.
XIIII. Extraordinaria epiſtolarum genera.
XV. Εὐτράπελος, iocoſa.
XVI. De alijs formis iocoſarum literarum.
XVII. Αἰνιγματική.
XVIII. Διαλεκτική.

FINIS.



Erythraeus de Epis
& Soarez Rhetorice